This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

LSoc 1727.1

VERITAS

HARVARD COLLEGE LIBRARY

HOHENZOLLERN COLLECTION

IN COMMEMORATION OF THE VISIT OF
HIS ROYAL HIGHNESS
PRINCE HENRY OF PRUSSIA
MARCH SIXTH, 1902
ON BEHALF OF HIS MAJESTY
THE GERMAN EMPEROR

PRESENTED BY ARCHIBALD CARY COOLIDGE PH.D.
ASSISTANT PROFESSOR OF HISTORY

FROM THE LIBRARY OF PROFESSOR KONRAD VON MAURER
OF MUNICH. No 1272

ACTA

ACADEMIAE

THEODORO - PALATINAE

TOM. III.

HISTORIA
ET
COMMENTATIONES
ACADEMIAE ELECTORALIS
SCIENTIARVM ET ELEGANTIORVM
LITERARVM
THEODORO-PALATINAE

VOLVMEN III. HISTORICVM.

MANNHEMII TYPIS ACADEMICIS
MDCCLXXIII.

LSoc 1729.1

Harvard College Library
Von Maurer Collection
Gift of A. C. Coolidge
July 18, 1904

FUERE populares & exteri, qui commentationes noſtras academicas, ut ſunt duplicis maximegeneris, ita non una, ſed diverſis quoque libris prodire mallent.

In hiſtoria quidem, ſenſu latiori accepta (*), verſantur academici prope omnes; at non omnes, qui legunt, omnem hiſtoriam, quæ ampliſſima eſt, æque magni faciunt aut colunt. Naturali qui

(*) Dictum eſt de hiſtoriæ amplitudine & præſtantia vol. 1, pag. 6.

delectantur, philoſophi ac medici, alteram, quæ in factis, moribus & antiquitatibus exponendis occupata eſt, aliorum ſtudio relinquere plerique amant.

Deſideriis itaque hiſce ut ſatis fieret, ſeparari omnino, quæ hiſtorica ſenſu vulgari dicuntur, ab iis, quæ triplex naturæ regnum ſibi vindicat, academia decrevit; ſalva & illæſa priſtina collegii, in duas claſſes deſcripti, concordia.

Priora itaque duo, quæ ſuperioribus annis vulgata ſunt, volumina baſis & fundamentum quaſi ſunt commune ædificii bipartiti, hiſtorici atque phyſici. Ad prius pertinet tomus hicce novus, ad poſterius ſubſequetur alius; uterque

ſui

ſui generis tertius. Tertio utrique indices ſubjunguntur rerum & verborum omnium, quæ in una alteraque diſciplina hactenus prolata ſunt, hiſtorico geographici potiſſimum & genealogici, phyſico ad res naturales evolvendas idonei. Et ſic per trina deinceps volumina, fortunante ſpem noſtram ſummo, ſine quo nihil, Numine, porro agetur.

Habes hic, lector, novi inſtituti, rebus tuis proficui, rationem. Muſis Palatinis qui bene cupit, de academiæ hujus incrementis noviſſimis, ætatis virilis robur quæ promittere ei videntur, cum legerit, mirifice nobiscum lætetur, neceſſe eſt. Parentem infantia habuit, pueritia protectorem, quo non datur melior. Supplendum hic,

quod in narratione ipſa omiſſum, ſuſcepti ab auguſto principe patrocinii peculiaris memoriam cuſo nummo ſervari, cujus imaginem hiſtoriæ academicæ frons offert ex ære inciſo.

Perſcr. XI kal. Mart. MDCCLXXIII.

CON-

CONSPECTUS OPERIS.

Continuatio historiæ academicæ ab anno MDCCLXVIII usque ad an. MDCCLXXI, *Latine* pag. 1

Iter literarium, *Latine* 18

Jo. Dan. Schoepflini disquisitio de Verbigeno & Tigurino Helvetiæ pagis ad aram Salo-duri repertam, *Latine* 169

Andr. Lameji dissertat. ad lapides antiquos Heddernheimenses, ubi de Novo Vico & Tauno monte, *Latine* 175

Casimiri Hæffelini dissertatio de Lupoduno, *Latine* 185

Ejusdem de balneo Romano in agro Lupodunensi reperto, *Latine* 213

Andr. Lameji descriptio pagi Spirensis, qualis antiquis fuit temporibus, *Lat.* 228

Jo. Dan. Schoepflini prælectio de duellis & ordaliis veteris Franciæ Rhen. *Lat.* 281

Christoph. Jacobi Kremeri de comitatu Nemoris, feudo ducum Juliac. Palatino, *Germanice* 284

Jo. Dan. Schoepflini diss. de Guilielmo VII Juliaci comite, marchione, duce, *Lat.* 305

Ejusdem de evangelii sancti Marci codice apud Venetos, *Latine* 326

Georg. Christiani Crollii responsum ad quæstionem de antiquo Franciæ Rhenensis ducatu, *Latine* 333

Indices historici rerum & verborum in tribus, quæ prodierunt, academiæ voluminibus contentorum

HISTOR.

HISTORIA

ACADEMIAE

THEODORO - PALATINAE



QUINQUENNIO primo, in superioribus historiæ & commentationum voluminibus delineato, succedit nunc rerum quatuor hinc annis in academia gestarum brevis enarratio.

MDCCLXVIII.

Conventu publico vernali, die XVI Aprilis, quum ad illas de marga & apibus quæstiones, (*a*) ante biennium iterum propositas, plures respondissent, de marga nullus, de apibus tres **Conventus publ. vernalis.**

A bene

(*a*) Quæstiones has vide in *act. acad.* vol. II, p. 2.

MDCCLXVIII

bene meruiſſe, & aliqua ſaltem præmii parte digni judicati ſunt. Fuerunt iſti, ut ſchedulis apertis apparuit, Jo. JUSTUS ZEIS, ſcholæ Treyſanae in Haſſiæ comitatu Ziegenhainenſi rector, JOHANNES RIEM, pharmacopola & ſocietatis apiariæ Lutrenſis auctor, ac CHRISTIANUS HEMPEL, ſclopetarius aulicus Wirtenbergenſis. Primo quindecim, ſecundo decem, tertio ſex aurei, quos ducatos appellant, ſenatus decreverat.

Sed & excitando Palatinorum in plantandis arboribus & alendis lanigeris ſtudio œconomico, idem in tempus promiſſum fuerat præmium viginti quinque ducatorum, in alterutro excelluiſſe quenquam, ſive privatum hominem ſive ſocietatem integram, allatis teſtimoniis judicialibus quum recte conſtiterit. Terminus autem mittendis teſtimoniis præfixus quum & arborum noviter eductarum vigor comprobandus eſſet, propter veris hujus acerbitatem in autumnum proximum prorogatus eſt.

Socii novi

Socii novi tum proclamati ſunt ſex, ordinarius unus in locum Oberkampii, anno ſuperiore defuncti, CASIMIRUS HAEFFELIN, extraordinariorum ex claſſe, (b) itineris literarii cauſa tum abſens. Deinde honorarius unus, STEPHANUS EVODIUS ASSEMANNI, Apameæ archiepiſcopus & bibliothecæ Vaticanae præfectus.

Porro extraordinarii quatuor, viri celebres:

PAULUS PACIAUDI, clericus regularis Theatinus, regii ducis Parmenſis bibliothecarius &c.

LAURENTIUS MEHUS, Florentinus.

GERARDUS MEERMANN, conſiliarius & ſyndicus olim Roterodamenſis.

FRANCISCUS DE SCHEYB, patricius Conſtant. ſtatuum Auſtriæ inferioris à ſecretis.

Lectum

(b) Vol. II, p. 6.

Oberkampii elogium.

Lectum denique eodem in consessu Francisci Josephi OBERKAMPII, quem vita excessisse diximus, elogium. Natus is die solstitiali æstivo an. 1710 Amorbaci, ubi pater, Bartholomæus, publico physici munere fungebatur, aulæ Bambergensis dein medicus. Avum habuerat Jo. Jacobum, quo Leopoldus imp. in variis ad proceres Germaniæ legationibus usus; proavum Johannem, post Anglicanam aliasque legationes Cæsaris referendarium intimum, qui insigne immunitatis, exemptionis fori, emendorumque bonorum nobilium privilegium cum juribus annexis per Germaniam omnem a Ferdinando II imp. an. 1629 sibi posterisque suis acquisiverat.

Medicinæ doctor Bambergæ creatus, an 1736, juvante celsissimo Schœnbornio, principe episcopo, ad alias Germaniæ scholas, doctorum suorum fama illustres, Altorfensem, Lipsiensem, Halensem, Jenensem, Gœttingensem, evolavit. Pependit plurimum Lugduni Batavorum ab ore Bœrhavii, Albini & Gaupii; quorum memoriam edito nuper dissertationum, quas ibidem collegerat, selectarum volumine gratissimus discipulus publice recoluit.

Ex Batavis Lutetiam Parisiorum se contulit, aditurus mox Italiam, quum eminentissimi Schœnbornii cardinalis, Spirensium præsulis, valetudini curandæ vocaretur Bruchsaliam. Hic archiater perstitit usque ad an. 1742, quo non facere magis, quam docere, cui natus & factus videbatur, medicinam cupiens, oblatam sibi cathedram publicam Herbipolitanam non recusavit. Sexennio post, accepta comitivæ sacri imperialis palatii dignitate, accersitus est in Palatinatum, ut & studia juvenum Heidelbergæ, & ipsius Augustæ nostræ, sanctissimæ principis, valetudinem regeret. Accessit quinquennio post consiliarii electoralis intimi axioma.

Vires suas an. 1767 debilitatas sentiens medicus aliorum felicissimus ad Aquas Marchicas, calore & salubritate sua ab omni ævo nominatas, transiit. Media valetudinis curatione nuntius de serenissimo principe Friderico, augustæ Palatinæ gentis heröe

ſummo, Swezingæ graviter decumbente ei affertur. Accurrit Oberkampius, poſtpoſita vita ſua, ſuccurritque tam efficaciter, ut morbus deviƈtus omnino crederetur, quum domum ipſe regreſſus & arrepto calamo formulam remedii ſibi ſcripturus, d. VII Julii ſubita morte profligaretur. Stantem ſi mori imperatorem decet, mortem ſane digniſſimam medico is oppetiit. Numerantur diſſertationes ſex ſupra viginti, quas cum Würzeburgi tum Heidelbergæ in lucem emiſit, præter libellum de acidulis Kiſſigenſibus vernacule ſcriptum.

Feriæ

Ferias duplices, vernales & autumnales, legibus academicis permiſſas, in æſtivis hujus anni menſibus jungi placuit, itineris literarii cauſa, quod ſapientiſſimi Principis juſſu, inveſtigandis & colligendis omnis generis monumentis, Palatinis maxime, ad Loganam, Moſellam, Rhenumqne inferiorem, uti pluribus infra dicetur, a tribus ſuſceptum eſt ſociis. Feriæ itaque iſtæ, die tertia Junii indiƈtæ, ad kalendas ſeptembres uſque protraƈtæ ſunt.

Convent. publicus autumnalis

Poſt ferias convenerunt academici publice d. XX menſis Oƈtobris. Quæſtio ante biennium publicata fuerat duplex, hiſtorica & matallurgica. Priore quærebatur de *eccleſiae Moguntinae ante S. Bonifacium facie et juribus. Quid additum vel immutatum ſub hoc Germaniae apoſtolo. Gaviſane unquam metropolis eccleſiaſticae honore Wormatia.*

Poſteriore *de invenienda methodo nova, qua mercurius minori, quam adhuc fieri ſolet, jaƈtura vel damno, ſumtibusque minoribus ex mineris ſuis eliciatur.*

Qui ad hiſtoricam reſponderant quæſtionem, argumentis ac teſtimoniis maximam partem invalidis uſi, nemini, quod voluerant, perſuaſerunt. Felicior paulo fuit, alteram quæſtionem qui traƈtaverat, non integro quidem, ſed dimidio viginti & quinque ducatorum præmio, poſtquam auƈtor, de hoc aca-
demiæ

demiæ judicio per ephemerides publicas edoctus nomen suum sciri ac publicari se velle declarasset, affectus. Est is Jo. CONRADUS SCHIMPER, Med. D. præfecturæ Lichtenbergicæ in ducatu Bipontino physicus Cusellæ.

Dictum est supra, prorogatum fuisse præmii arboribus atque lanigeris maximo numero eductis positi terminum. De lana nullus appetiit. De arboribus apparuit præfectus Sobernheimensis, BERNHARDUS SCHLEMMER, qui bis mille, septingentas & sexaginta novem stirpes maximam partem fructiferas, præter majorem longe salicum aliarumque hujus generis arborum copiam sese plantasse, testimoniis legitimis comprobavit; unde promissum XXV ducatorum præmium nemine refragante ei decretum est.

Socii nov

Sed & in collegio academico tunc nonnihil mutatum. Petierant nempe, sonticas ob causas, socii ordinarii duo, Vonckius atque Kellingius, uterque absens, in liberiore extraordinariorum collocari classe. His itaque decedentibus suffecti sunt

JACOBUS HEMMER, canonicus Heinsbergensis, anno superiore jam academiæ extra ordinem adscriptus. (c)

NATALIS JOSEPHUS DE NECKER, Insulis Flandriæ oriundus, suisque *deliciis Gallo-Belgicis* clarus, quem colligendis describendisque spontaneis Palatinatus Rhenani stirpibus, plantis & herbis munificentia Principis paulo ante destinaverat.

Secretarii adjuncti vices, quibus Kellingius fungebatur, in laudatum superius Hæsselinum, ex itinere suo reducem, tum quoque translatæ sunt.

Oratio festiva.

Ad festum Carolinum, votis pro Caroli Theodori, optimi Principis, salute perpetua sacrum, societatis jussu ac nomine Fladius senior, consilii ecclesiastici Reform. director, die V Nov. peroravit vernacule.

A 3 Poten-

(c) Vide vol. II, p. 6.

Danorum monarcha

Potentiſſimus Danorum monarcha, CHRISTIANUS VII, in ſuo ex Gallia reditu die XIX Dec. in urbem & aulam hanc archipalatinam, incredibili hominum applauſu atque concurſu cum eſſet delatus, academia majeſtatem ejus, quam in literas & artes valde propenſam eſſe acceperat, propius venerari cupivit, idque facile impetravit. Etenim regi die ſequenti poſt prandium à ſereniſſimo Electore ceterisque ſanguinis Palatinæ Principibus in bibliothecam aulicam deducto, ſocietatem academicam omnem ibidem collectam excellentiſſimus præſes, Leopoldus baro de Hohenhauſen, commendavit, ſimulque nummos academicos, majorem atque minorem, utrumque ex auro, in patera argentea obtulit. Obtulit inſuper Lamejus ſecretarius compacta quinque, actorum nempe academicorum unum, codicis diplomatici Laureshamenſis duo, totidemque hiſtoriæ Friderici Victorioſi, electoris Palatini, a Kremero conſcriptæ, volumina. Pergrata ſibi omnia eſſe, rex clementiſſimis verbis ſignificavit. Actorum acad. exemplum cum nummo majore argenteo traditum porro eſt Bernsdorfio comiti, adminiſtro regis primario.

MDCCLXIX.

Amaliæ Auguſtæ nuptiæ

LÆTUM anni ſuperioris exitum ſecuta mox ſunt anni novi primordia haud minus læta. Præparabantur tum AMALIÆ AUGUSTÆ Palatino-Bipontinæ, ſereniſſimæ Electricis noſtræ ex ſorore nepti filiæque luſtrali, cum Friderico Auguſto, Saxonum Electore, nuptiæ, ad quas oratione academica celebrandas deſignatus fuerat Kremerus. Orationem de antiquo & novo Francorum Rhenenſium ſive Palatinorum cum Saxonibus amicitiæ vinculo (*d*) in conſeſſu academico prælectam, typisque excuſam, ſocie-

(*d*) Die Freundſchaft der Pfælzer mit den Sachſen aus der geſchichte erwieſen 4°

ſocietas omnis, die XV Jan. ſub meridiem in gratioſiſſimum Principis ſponſæ conſpectum ac ad manus ipſius oſculationem clementer admiſſa, per manus præſidis ſui devotiſſime obtulit. Alia orationis exempla tum auguſtis heris noſtris, tum ſereniſſimis, qui in aula verſabantur, principibus, Clementi Trevirenſium archiepiſcopo & electori, Chriſtiano IV Bipontino duci, Carolo & Maximiliano, Palatinis Rheni comitibus, alia Saxoniæ oratori, illuſtriſſimo Riaucurio comiti, pro regia & electorali aula ipſius, tradita & commendata ſunt.

Nummus præterea aureus maximi moduli, cujus altera parte imago AMAL. AUG. COM. PAL. RHENI DU. BAV. JUL. CL. M. altera APPLAUSUS RHENI ET ALBIS cum die nuptiali in ſegmento repræſentantur, curante academia cuſus ac ſereniſſimæ Electrici nuperrime nuptæ cum literis Dreſdam miſſus eſt. Magna & optima Princeps de dono accepto gratioſiſſime reſcripſit his verbis:

Meſſieurs

„Die mir von Denenſelben ſchrifftlich zu erkennen gegebene „aufmerckſamſte Bezeigungen Ihrer gefreut-geflieſſenen Theilnehmung an meiner beglückten Vermählung, und angefügte „wohlmeynende Wünſche, haben mir nicht anders als angenehm und vergnüglich ſeyn können. Ich bin Denenſelben „nicht weniger vor die mir zugleich überſchickte ſchöne Medaille in Gnaden verbunden, zumahlen dieſelbige, nebſt dem „Andencken dieſer engen und frohen Verbindung beyder Churhäuſſer, auch ein immerwährendes Zeugniſs des mir von der „Göttlichen Vorſehung perſöhnlich geſchenckten Glücks der „Nachwelt aufbehalten wird. Eine löbliche Churpfälziſche „Academie der Wiſſenſchafften kann ſich anbey von meiner Litteræ

unver-

„ unvergefslichen Erkenntlichkeit, fo wie von meiner beharrli-
„ chen Zuneigung und eftime jederzeit verfichert halten.
„ Schlofs Pillniz den 26 Junii 1769.

Dererfelben

befonders wohl affectionirte
AUGUSTA.

Convent. public. vern.

Conventus publicus hujus atque fequentium annorum vernalis propter præfidem honorarium, ut commode intereffe poffet, in menfem Majum dilatus eft. Die XXIV Maj. itaque declaratum academiæ de refponfis ad quæftionem vitibus profpicientem, de qua alibi jam retulimus, (*e*) iterum acceptis judicium, fecundum quod refponfum numero quartum reliquis palmam præripuit, aliud vero folenne illud, quod *acceſſerit*, elogium meruit. Apertis fchedulis, nomina tegentibus, victor apparuit CAROLUS BARO DE VORSTER, condominus in Saulheim, Moguntiæ. Victoriæ proximus fuit, quem ante biennium jam eodem in argumento quandam præmii partem accepiffe memoravimus, ISRAEL WALTHER, paftor Wefthovienfis. Refponfa duo, una cum excerptis ex num. quinto, cujus auctor ignotus, annuente fenatu academico typis nuper excufa funt. (*f*)

Socii novi

Sociis extraordinariis annumerari tum coeperunt *fpectatiffimi* duo in orbe literato viri, Hungarus atque Italus, ille ADAMUS FRANC. KOLLAR, Auguftiff. imperatricis ac reginæ apoftolicæ confil. & bibliothecæ cuftos primarius Vindobonæ; hic JOSEPHUS BARTHOLI, regiæ Sardorum maj. antiquarius Auguftæ Taurinorum.

Lectum

(*e*) *Act. acad.* vol. II, p. 5.

(*f*) Hoc rubro: *Von den Rebenftichern drey Schriften, eine Fortfezung von den am 27 Apr. 1771 öffentlich gekrönten Preisfchriften* 8° 1771 Conf. *act. acad.* l. c. pag. 6.

MDCCLXIX

Vonckii elogium

Lectum eodem in consessu a secretario CORNELII WALRAMI, vel uti ipse latine scribi maluit, VALERII VONCK, socii olim ordinarii, nuper defuncti, elogium. (*g*) Natus ille Noviomagi in Gelria III kal. Sept. an. 1724 ex Johanne Vonck, I. V. D. comitatus Cuyk in Brabantia Batavica archigrammateo, & Christina Elisabetha Vermeeria, literis a prima ætate tam feliciter vacavit, ut decennis carmina jam conderet, ingenii valde præcocis nuncia. Trajecti ad Rhenum, Petro Wesselingio & Abrah. Wielingio ducibus, porro tantum profecit, ut ante XVIII ætatis annum *specimen crit. in varios auctores*, poetas, historicos, philosophos, oratores, *cum observationibus miscellaneis* ederet; unde non defuere, qui cum viro maximo, Hugone Grotio, Vonckium compararent, amici. Subsecuti mox *lectionum* ejusdem generis *latinarum libri duo.* Anno 1745 scripta *thesium inauguralium philologico-nomicarum centuria* summos, quos vocant, in utraque jurisprudentia honores consecutus est. At prævaluit constanter Latii veteris amor, quem ad alios, populares maxime suos, ut propagaret, tum *Bonamici de rebus ad Velitras*, tum *Ferrarii de rebus Eugenii principis bello Pannonico gestis* commentarios purissime scriptos; imo & *Hier. Faleti de bello Sicambrico* sive Gelrico carmen heroicum cum præfationibus suis & animadversionibus edidit, idque consilio præsertim viri generosissimi, Frid. Othonis de Lynden comitis, illustris rei literariæ patroni. Edidit insuper *Adami Hugenii chronicon Dusburgense*, eique peramplam historiæ Gelricæ scriptorum notitiam præmisit.

A primo reip. in patria capessendæ gradu, quem an. 1749 adiit, principis Arausionensis, æquissimi ingeniorum judicis, favore singulari ad summum velocissime ascendit. Ex secretario scabinus, ex scabino prætor seu judiciorum præses & provinciæ

 univer-

(*g*) Elogium Vonckii, amici sui, elegantissimum nuper scripsit, brevique post ipse decessit amplissimus *Klotzius* in *actis lit.* vol. VI, part. I. num. 5.

MDCCLXIX

universae tum quaestor, tum historiographus factus, an. 1756 consulatum & in delegatis Gelriae ordinibus, imo etiam in supremo septem provinciarum Belgii foederati senatu locum amplissimum consecutus est. Verum nescio, quibus causis impulsus, honores vix acceptos vir ab ambitione haud immunis deposuit, servatis tantum, quas antea gesserat, praetura & quaestura usque ad an. 1762, quo strepitus forensis, imo & patriae pertaesus Coloniam Agripp. profectus est ad amicos veteres, Reiffenbergium & Harzhemium, S. J. patres eruditionis laude claros. Hisce suasoribus testibusque ad ea Christianorum sacra, a quibus majores ipsius recesserant, Vonckius clam sese convertit, indeque Rheno adverso Mannhemium, ut augustum Palatinorum principem, lucidissimum Germaniae sidus, praesens veneraretur, pervenit. Carolus Theodorus Batavum advenam benignissime suscepit, consiliariumque suum intimum & historiographum Juliaco-montanum nuncupavit, imo & gratiosissimo nobilitatis, quod vocant, diplomate ornavit. Instituta mox ab eodem serenissimo Electore hac scientiarum academia, in primariis ejus assessoribus Vonckius apparuit, & in ipso conventu inaugurali *meditationem de felici integritatis ac prudentiae in historia temperamento* tradidit, quae brevi post Trajecti ad Rhenum, curante Lyndeno comite, cum elegantissimo Abrah. Perrenoti, viri clarissimi, ad novam academiam carmine typis excusa est. Ex academicis praelectionibus, quas frequenter instituit, nata deinde & illata est in primum historiae & commentationum volumen quadripartita *observationum criticarum & etymologicarum sylloge.* Longe plura praestitisset vir praestantissimus, nisi tota corporis compages quam maxime fuisset debilitata. Valetudini instaurandae remedium in aere natali quaerens, mense Jun. an. 1765 in dynastiam Ravensteinensem, Noviomago proximam, secessit. Ibi refici cum coepisset, horribili quadam ruina duplicem brachii sui dextri fractionem patitur, cui sanandae tredecim fere menses decubuit. Sanatum quidem brachium, at invaluere magis magisque dolores alii, cephalalgia,

motus

motus ſpasmotici, ejectiones ſanguinariæ &c. quibus denique accedens apoplexia d. XVII Jan. 1769 duriſſimæ vitæ finem leniſſimum attulit.

Conventus publ. autumn.

Conventus publicus autumnalis d. v Octobris habitus eſt. Ad quæſtionem phyſicam, præmio duplicato iterum expoſitam (r), nullum aderat reſponſum; de hiſtorica vero recte ſolvenda duo fuere ſoliciti, in quibus prævaluit multum, cui ſimbolum erat, *Laudo meos Francos*, quippe qui triplici ſectione non tantum Franciam Rhenenſem peculiarem & primariam olim regni Germanici provinciam fuiſſe, ſed & ſtatum ejus tum ante duces, tum ſub ducibus, imo formulam, dignitatem & jura ducatus hujus Franciæ Rhenenſis ex optimis fontibus pleniſſime docuit. Aperta auctoris ſchedula, ut præmium acciperet, inventus eſt CROLLIUS Bipontinus prof. academiæ noſtræ ſocius extraord. cujus diſſertationem in ſerie commentationum reliquarum infra producimus, non patrio, quo primum conſcripta eſt, idiomate, ſed latino, in quod auctor, ſermonis utriusque peritiſſimus, ut ſapientiſſimo decreto & exteris ſatisfaceret, eam ipſe tranſtulit.

Oratio votiva

D. III Nov. pridie feſti Carolini Maillotus principis noſtri tum humanitatem ſummam, tum ſubditos ejus exinde felices Gallice prædicavit.

Hutteni cardinalis donum lit.

Idem hoc feſtum Carolinum, tot aliis lætum, hiſtoricæ ſociorum academiæ claſſi peculiarem ob cauſam fuit lætiſſimum. Miſerat nempe Eminentiſſimus cardinalis Huttenus, Spirenſium epiſcopus & princeps, per nuncium ſuum, Carolo Theodoro gratulaturum, ſupra ſexaginta exempla chartarum veterum ex reverendiſſ. capituli majoris ſui tabulario, monumentorum hujus generis ditiſſimo. Neſcit jam eruditorum nemo, quanti ſint pre-

(k) Vide tom. II, pag. 6.

MDCCLXIX

tii subsidia diplomatica, quantique in historia omni, imo & jure momenti. Academia itaque celsissimo principi de munere gratam mentem quovis modo testatura, tum epistolam latinam scripsit, tum dona quaedam literaria vicissim misit, opera nempe sua quaecunque typis excusa, & numiscaticam Electorum Palatinorum seriem argenteam. Respondit eminentissimus Cardinalis verbis humanissimis & academiae supra quam dici potest jucundis; imo & pro argento accepto aurum munificentissime rependit. In perpetuam Principis nunc pie defuncti laudem epistolae ejus responsoriae verba hic apponimus.

Litterae

„ FRANCISCUS CHRISTOPHORUS, sacrae Romanae ecclesiae cardinalis, episcopns Spirensis, praepositurae principalis Weissenburgensis & equestris Odenheimensis praepositus, sacri Romani imperii princeps, inclytae academiae electorali scientiarum Theodoro-Palatinae felicitatem & incrementum. Diplomatum veterumque chartarum monumenta, quae pro nostro in rempublicam literariam studio in manus serenissimi Electoris nuperrime consignavimus, grata omnino & accepta fuisse, ipsae principis hujus optimi literae satis testantur. Gratulamur nobis, id genus officia, ad quae in quacunque causa faciles promtique erimus, ita probari, ut & exspectationi sapientissimi musarum vestrarum parentis, & votis vestris, generosi ac clarissimi viri, satisfactum, novo argumento intelligamus; cum & vobis epistolam officiosae humanitatis plenam ad nos exarare libuerit, & in gratam animi tesseram numismata electorum Palatinorum, nec non eruditi laboris vestri partus magis selectos offerre. Gratias agimus pro utroque dono nobis gratissimo; & ut ad vivum expressas ac velut spirantes virorum illorum principum & electorum imagines jucundo obtutu frequenter usurpamus, ita & in evolvendis vestris voluminibus, tanto eruditionis apparatu refertis, non sine suaviore animi

„ sen-

„ ſenſu verſamur. Induſtria veſtra in tam operoſo diſciplinæ ge- „ nere, non minori laude, quam fructu collocata, ita nos ani- „ mat, zelumque pro literarum veſtrarum incremento accendit, „ ut ſi quid præſidii ex tabulariis noſtris porro eruere & ad emo- „ lumentum præſtantiſſimi veſtri propoſiti poſſimus afferre, pa- „ ratos nos ſemper fore promtosque ſpondeamus.

„ Dent ſuperi, votisque noſtris aſpirent, ut ſub ſereniſſimo „ Electore, inclytæ academiæ veſtræ fundatore munificentiſſimo, „ omnigena felicitate fruamini, & elimatæ lucubrationes veſtræ „ in principis hujus optimi gloriam, patriæ utilitatem & ſplen- „ dorem, nec non in univerſæ reipublicæ literariæ incrementum „ cedant. Valete. Dabamus Bruchſaliæ IV kalend. Decembris „ MDCCLXIX.

MDCCLXX.

DAMNA ſegetibus illata à vermibus, e quibus ſcarabei ſtriduli formari noſcuntur, moverant academiam, ut publicaret quæſtionem, ſecundum quam, qui pernicioſi hujus inſectorum generis *naturam ab ovo usque ad interitum, & rationem, qua deleri facillime poſſit*, recte docuerit, præmium 25 ducatorum accepturus foret. Comparuerunt præmii candidati octo, in quibus numero tertius reliquos omnes, in priori ſaltem quæſtionis membro, tum verborum tum experimentorum copia & labore ſuperaſſe longe videbatur. Præmium ei addictum, & in conventu ſolenni d. XX Maj. nomen auctoris manifeſtatum eſt: CHRISTIANUS FRID. CAR. KLEEMANN, pictor Noriberg. & claſſici inter Germanos de inſectis ſcriptoris, Aug. Joh. Rœſelii, gener. Prodiit jam elegans diſſertatio cum aliis hujus generis ſcriptionibus in ſocietatis Elect. phyſico-oeconomicæ, quæ ſibi communicari iſta petierat, obſervationibus.

Convent. publicus vernalis

Socii novi

Sed & eodem confeffu publico declarata eft trium fociorum exterorum noviffima electio. In his honorarius unus, vir illuftriffimus

CAROLUS ERNESTUS S. R. I. comes de Bentheim & Steinfurt, equeftri Leonis Palatini ordini ab augufto ejus conditore paulo ante adfcriptus.

Dein extraordinarii duo, egregiis propenfiffimi in mufas archipalatinas animi documentis commendatiffimi

JO. MICHAEL ANT. LOEBEL, celfiffim. Principis epifcopi Spirenfis a confil. aul. & archivarius ecclefiæ cathedralis Spiræ.

ANT. NOACHUS DE POLIER in Bottens, antiftes facrorum & capituli decanus Laufannæ.

Convent. autumn.

Quæftio in autumnum hujus anni publicata fuerat unica, ad legem academicam, & quidem genealogica: *Cum ex diplomatibus certo conftet, Hermannum de Staleck, comitem Palatinum Rheni, fratrem habuiffe, Henricum comitem de Cazenelenbogen*, (uti ex itinere literario, quod infra defcricimus, patebit) *quis pater eorum communis, quique majores, quas gentis fedes et bona avita fuerint*, indagandum proponebatur.

In refponfis allatis præmio majore dignum judicatum eft illud, cui fymboli loco præfixum erat epiphonema: *Res hujus aevi genealogicae quam funt fallaces!* Aperta fchedula, id quod in conventu publico d. XII Oct. factum, auctor idem, qui anno fuperiore vicerat, inventus eft CROLLIUS prof. Bipontinus.

Oratio

D. IX Nov. pietatis academicæ interpres Wedekindius felecta quædam ex Ottonis Illuftris, Palatini Rheni comitis ac ducis Bavariæ, vita expofuit latine.

Protector academ.

Lætus fuit anni fuperioris exitus, lætior hujus, quum non tantum fereniff. princeps Palatino-Bipontinus, CAROLUS AUGUSTUS

stus, honorariis academiæ ſociis annumerari, ſed & ipſe auguſtus Princeps Elector, auctor & ſtator noſter, ejusdem *Fundator atque Protector*, uti bonarum literarum amantiſſimus eſt, haberi ac dici publice voluiſſent.

MDCCLXXI.

Quæſtiones minores intermiſſæ

INSTITUTA anno ſuperiore ſocietate peculiari phyſico-œconomica Lutrenſi, à Carolo Theodoro, Principium optimo, legibus munita & privilegiis, iſtud quæſtionum genus, quod in conſeſſu vernali publicari ſolebat, intermitti poſtea, imo & reſponſa accepta, in lucem quæ nondum prodierant, eidem ſocietati, ut pro lubitu ſuo iis utatur, tradi placuerat; ſervata tamen academiæ libertate, ut ſi quæ quæſitu præmioque digna ſibi occurrerint, extra ordinem proponat.

Conſeſſus vernalis

In conventu itaque publico, d. XXIX Maj. habito, omiſſa omni quæſtionum & præmiorum cauſa, proclamati ſunt ſocii duo, honorarius unus, alter extraordinarius, cooptatione uterque digniſſimi. Ille fuit

FRANCISCUS PHIL. CHRISTOPH baro de HUTTEN in Stolzenberg, eccleſiæ cathedralis Spir. decanus, metropolitanæ Moguntinæ & equeſtris ad ſ. Albanum canonicus capitularis &c.

Extraordinarius ANT. ULRICUS ab ERATH, ſereniſſ. principis Naſſovio-Arauſ. conſiliarius juſtitiæ intimus Dillenburgi.

Conſeſſus autumnal.

Ad quæſtionem hujus anni phyſico-chymicam:

Quomodo ſinguli ignis ſive caloris gradus in quolibet cujuscunque naturae atque figurae corpore inſtrumenti vel unius, vel plurium ope dignoſci ac determinari accurate poſſint,

cum ſit ſolutione, quod non negamus, valde difficilis, nemo reſpondit. Hoc non obſtante defectu conventus publicus autumnalis

nalis fuit omnium ſuperiorum ſplendidiſſimus & bonæ litterarum apud nos cauſæ ſummopere accomodatus. Advenerat nimirum in aula hac archipalatina ſereniſſima MARIA ANTONIA, Saxonum Electrix vidua, variis, iisque elucubratiſſimis opuſculis, tecto licet nomine editis, orbi literato pridem venerabilis. Academias exteras cum ornet, Theodoro-Palatinæ nomen tanto facilius dedit magnanima Princeps, quod ex auguſta gente Boico-Palatina ipſa prodiit. Oblatum ei diploma d. XI Oct. in bibliotheca electorali, quum viſendi & perluſtrandi cauſa eam intraſſet, hora à meridie quarta, una cum nummo inaugurationis acad. aureo & binis actorum voluminibus, quæ edita tum fuerant in lucem. Diploma membranaceum cum nummo excellentiſſ. præſes tradidit, acta nitide compacta ſecretarius. Dici vix poteſt, quantum ſereniſſima ſocia collegas præſentes humanitate, gratia, doctrina ſua in ſui rapuerit admirationem. Triduo poſt celebratus eſt conventus publicus, aſſidente in ſuperiori menſæ parte cum ſereniſſ. Carolo Auguſto Palatino-Bipontino principe ipſa hac muſarum patrona, pridie ſuæ in Saxoniam profectionis. Aperuit conſeſſum ſecretarius brevi, quæ ſequitur, oratione.

„ Duo ſunt, auditores, noſtros quæ animos nunc maxime „ movent; alterum dolore, alterum gaudio perfundit. Lugemus „ & lugent profecto nobiſcum muſæ univerſæ virum in literaria „ noſtræ ætatis republ. uti ætate, ita celebritate nominis, digni„ tate, meritis, auctoritate, gravitate facile principem. Illata „ academiæ huic electorali primo ſexennio, ſed & ſanata feli„ ciſſime ſunt vulnera tria; octennali quartum nuper inflictum „ eſt vulnus vix & ne vix quidem ſanabile. Singula biennia, „ uti fert triſtis rerum humanarum conditio, ſingulos nobis abſtulere „ collegas, noviſſimum abſtulit præſidem, conſiliis & exemplo, „ natura & uſu incomparabilem (*i*). Hic ipſe locus, hic conſeſſus,

(*i*) Deceſſerat Schœpflinus Argentorati d. VII Aug. an. ætatis LXXVII.

„ feffus, hoc templum mufarum Schœpflinum, jam feptuagena-
„ rium gratia fere juvenili dicentem, legentem, differentem non
„ femel mirati funt, at qui propius noverunt, mirati funt magis
„ conjunctam cum tanta ingenii felicitate excellentem animi in-
„ dolem, humanitatem, temperantiam, integritatem, pruden-
„ tiam, conftantiam, aliasque virtutes corrupto hoc feculo mi-
„ nime obvias. Talis fuit, quem amifimus, Schœpflinus, ta-
„ lemque fuiffe vel ex levi vitæ ejus defcriptione, quæ proxi-
„ mum in confeffum vernalem ex legibus academicis fervatur,
„ patebit uberius.

„ Mitigando dolori noftro fupervenit opportuniffime magna
„ Princeps, Cæfarum & Regum excelfa progenies, in qua Saxo-
„ niam cum Bavaria, utramque cum Palatinatu Rheni arctiffimo
„ vinculo junctas fufpicimus; Princeps magnanima, quæ divi-
„ num, quod nacta eft, ingenium ad omne bonarum artium &
„ literarum genus ac ftudium conferre haud dubitat, rarum in
„ principibus viris, rariffimum in feminis exemplum. Tuum, Se-
„ reniffima Antonia, his in oris adventum gratulantur fibi mufæ
„ Rhenanæ, Apollonis Palatini, augufti & fapientiffimi Princi-
„ pis, tutela felices; Te, Minervam Saxoniæ, quotquot funt
„ boni doctique, falutant, colunt, venerantur, Tuoque con-
„ fpectu, fine dicamus, veluti aufpicatiffimo ac lucidiffimo fidere
„ lætabundi exultant. Sine, patere, indulge noftro five amori
„ five ambitioni, æternum Tuum nomen faftis noftris acade-
„ micis infcribi, Teque, uti humaniffima es, academiæ hujus
„ Theodoro-Palatinæ, de communibus auguftæ gentis Palatino-
„ Boicæ, ex qua ipfa prodiifti, originibus, monumentis & re-
„ bus magis magisque eruendis, potiffimum folicitæ, fociam
„ principem honorariam nunc & publice, quod facimus, creari,
„ dici, proclamari.

Dixit pofthæc Colinius de literarum cum ftatu civili nexu Gallice, idque Italorum, Gallorum, Germanorum potiffimum

 exem-

exemplis probavit. Subjunxit elegans Principis Electricis studiis Palatinis tantum faventis elogium.

Oratio festiva

Ad sacra sanctissimi academiae fundatoris & protectoris nominalia hujus anni de vita hominum, Palatinorum maxime, naturali & morali, Jo. Daniel Flad, fratrum junior, d. VIII Nov. vernacule jussus disseruit.

Typographia

Postremo reticendum non est, typographiae academicae, sex abhinc annis institutae, (*k*) dato pretio aulicam cum privilegiis suis universis accessisse mense, quem modo diximus, Novembri, serenissimo Electore cum regiminis sui senatu id approbante & ratum omnino habente.

Iter liter.

Anni sexagesimi octavi mensibus aestivis, in quos conjici tum placuit ferias utrasque, vernales & autumnales, academiae legibus ordinatas, confectum est iter superioribus, quae suo loco descripta sunt, longe praestantius. Serenissimi namque pariter ac sapientissimi Domini nostri jussu, imo beneficio verius, id ingressi sunt XVI Kalend. Quintiles praeses honorarius, illustris Schoepflinus, secretarius Lamejus, qui haec omnia describit, & Kremerus collega cum Verhelsto chalcographo aulico, artis suae egregie perito. Lustratis Wormatiae tabulis Caesarum autographis, quibus civitas haec ab Henrico IV prae aliis imperii Germ. oppidis fulget, titulisque seculorum proxime lapsorum sepulcralibus Oppenhemii, omnis generis civibus olim conspicui, Francofurtum, indeque Heddernhemium, vicum Moguntinae ditionis una leuca distantem, evagati sunt.

Hic

(*k*) Vid. *actor. acad.* vol. I, pag. 18.

Hic literati antiquitatis Romanæ lapides in horto dominico affervantur, genii nempe duo, vel ſtatua potius unius ejusdemque genii duplex, iisque additæ inſcriptiones, *Novum* Romanorum *Vicum* ad Niddam, alias ignotum, loquentes; loquentes inſuper *Taunenſes*, vocabulum alibi non auditum, & conſulatum denique dupliciter memorabilem; dignum peculiari diſſertatione, quæ inferius occurrit, argumentum. **Heddernheim**

Idſteinii quæ acta ſint, paſtor loci ad cl. Gatterer prof. Gotting. ſcripſit, qui epiſtolam hanc luce publica dignam judicavit (*l*), poſtquam monumenta Romana, quæ rev. Krauſius poſſidet, LEG. XXII & COH. IIII. loquentia, in eadem ſua bibliotheca hiſtorica (*m*) jam edidiſſet. Pretium monumentorum iſtorum auget locus, in quo reperta ſunt, rudera nempe valli, in altiſſima montium catena, Rhenum inter ac Mœnum, firmando Romanorum limiti transrhenano Germanis olim oppoſiti, quod uno vocabulo *Pfalgraben* accolis dicitur. **Idſtein**

Servantur in tabulario Idſteinenſi lapidum ſepulcralium Naſſovicæ gentis apographa, in quibus epitaphium Mechtildis, filiæ Adolphi regis, Rudolfo I Palatino nuptæ, quæ anno Dom. MCCCXXVIII, in die ſanctorum Gervaſii & Protaſii, obiiſſe hic traditur. At inſcriptionem, ab Hagelganſio, genealogo Naſſovico, jam publicatam, annum ſaltem vitioſum prodere, Crollius noſter (*n*) recte obſervavit, ex diplomate an. 1324, quo Mathilda duciſſa *quondam* Bavariæ commemoratur. Chartam Adolfi Palat. Mechtildis filii, die Jovis poſt S. Jacobi apoſt. an. 1323 Heidelbergæ ſcriptam, quo Heidenrico de Heiger militi feudum

 ali-

(*l*) *Allgemeine hiſt. Bibliothek* tom. V, p. 267.

(*m*) Ibid. p. 277.

(*n*) In diſſ. ad illuſtrandam hiſtoriam Palatino-Bavaricam ſub Ludovico IV imp. quæ inſerta eſt *actis acad. Boicae* tom. III, p. 97.

aliquod propter fidem ac operam fibi matrique fuæ jam tum defunctæ præftitam, contulit, ex tabulario Arnfteinenfi mox infra producimus (*o*). Lapide ipfo, in Claravallenfi qui prope Wisbadam ecclefia exftiterat, deperdito, reftituendi tituli fpes omnis interiit. Sanctorum Gervafii & Protafii memoria in d. XIX Jun. incidit, hacque die anni 1323 Mechtildem, ex qua fereniffima omnis Palatinorum Rheni comitum progenies, a Bavarica fejuncta, defcendit, ad plures abiiffe, Crollio, doctiffimo viro, nos facile largimur.

Limburg

Meffis diplomaticæ, propter quam hoc inprimis inftitutum eft iter, primus manipulus collectus eft Limburgi ad Loganam, in ecclefia collegiata D. Georgio facra, quam Conradus comes, Curcipoldus cognomine, filius Eberhardi, Conradi I regis patruelis, in comitatu fuo extruxit fub Ludovico Infante, qui *Chuonrato* huic curtem dominicalem *Brichene* donavit ad bafilicam, quam extruere cœperat in monte *Lintburk*, in *Logenahe*; uti autographum diplomatis habet, quod illuftriff. Honthemius cum notis fuis publicavit (*p*). Addimus de figillo, non pueri, fed viri jam barbati imaginem referre, Arnolpho patri potius quam Ludovico Infanti fimilem. Caput cum pectore expreffum & manibus, in quarum altera gladius, altera clypeus. Supra caput perigraphe: HLUDOVVICUS REX. Alias membranas, quas nunc primum integras exhibemus, ante nos Browerus (*q*), imo ante Browerum Gelenius (*r*) viderunt, & adductis ex iis verbis fcripta fua egregie locupletarunt.

Pertinet

(*o*) Inter documenta itineris hujus defcriptioni fubjuncta num. XI.

(*p*) *Hiftor. Trevir. diplom.* tom. I. pag. 258.

(*q*) *Annal. Trevir.* tom. I, p. 454, 536, 572.

(*r*) *Hift. et vindiciae b. Richezae* p. 8.

Pertinet huc Ottonis I regis diploma, quo prædium in *Ubtusheim*, (nunc Ober-Zeuzheim, principatus Nassovio-Hadamariensis vicus) in pago Logenahe, in comitatu Chuanradi, ad petitionem ejusdem Chuanradi comitis, clericis ecclesiæ in Lintburc donavit an. 940. Ipsum Limburgensis ecclesiæ conditorem Conradum comitem, non alium, hic quoque adduci, conveniunt, quotquot genealogicas Salicæ gentis rationes subduxerunt. Docum. n.I.

Dein sequitur Heinrici IV regis præceptum de sex mansis in *Brechelbach*, *Sekaha & Westernaha*, (s) in pago Logonahe, in comitatu Imbrichonis, ad altare S. Georii in Linpurc a se traditis an. 1059. Num. II

Excipit has literas ejusdem regis confirmatio donationis duorum mansorum in *Haderichesbach* & in *Hildenhagen*, in pago Logenahe, in comitatu Embrichonis, sitorum, quos ab Agnete augusta, regis matre, S. Georgius in Lintburg acceperat, anno 1062. Num. III

Quartum instrumentum est Adelheidis, Palatinæ comitissæ, quæ consensu filii Sigefridi pro salute animæ Herimanni mariti beneficium capellani sui canonicis Limburgensibus contulit an 1097. Browerus male ad an. 1099. retulit. At cum neutro cohæret, quod & Browerus jam vidit, annus imperii Henriciani XXXVIII autographo adjectus. Unde factum, ut tum hæc tum aliæ difficultates chartam omnem Crollio nostro (t) suspectam redderent. Sigillum æri incisum ex autographo sistimus. (u) Longum tot annorum Henrici IV sive regnum sive imperium, Num. IV

 tot

(s) De his & aliis pagi Loganensis locis ex Browero disseruit defunctus nuper *Jo. Jac. Reinhard*, vir illustris, in *jurist. u. histor. kleinen ausführungen* tom. II. diss. 10.

(t) *Erlaeuterte reihe der Pfalzgraven* &c. pag. 120.

(u) In tabula sigillorum infra ad pag. 70. num. III.

tot agitatum motibus, notarium vel ſcribam fallere quam facile potuit. A charta ſcripta triginta & octo annos ſi retrogrediaris, incidis in an. 1059, quo tertium regni ſui, ordinationis autem quintum annum Henricus jam numerabat. Ludovici Germ. annos regni aliter regem ipſum, aliter monachos computaſſe, alibi annotavimus. (*x*) Difficilior mihi videtur quæſtio de Hermanno, Adelheidis marito. Reliqua omnia in Henricum de Lacu, comitem Palatinum Rheni, biennio ante defunctum, optime congruunt.

Num. V Adelbertus archiepiſcopus Moguntinus donationem iſtam Adelheidis an. 1124 confirmavit literis, quibus *Heremannus*, maritus ejus, *Palatinus comes* diſerte ſcribitur; ita ut Hermannus Lucelburg. Henrici IV imp. æmulus, quod faciunt multi, huc trahi nequeat. Ante Henricum de Lacu vero Palatinus comes fuerat Hermannus II, ſub finem anni 1085 extinctus, de quo an uxorem filiumque habuerit, non conſtat. Hunc admittere hic ſi volueris, & Adelheidem uxorem, & Sigfridum filium habuiſſe, æque ac ſucceſſor, dicendus eſt. Præterea haud immerito quæras, quomodo Moguntinus præſul Trevirenſis diœceſis rebus ſeſe immiſcuerit. Ad hanc enim pertinent cum Limburgo bona ei collata; ut niſi mutatos poſt Adelbertum utriusque diœceſis fines, Limburgum ſaltem peculiari Moguntini archipræſulis tutelæ commiſſum fuiſſe, negari minime poſſit. Aliæ hujus generis exceptiones a regula proſtant alibi.

Num. VI Accedit ejusdem Adelberti inquiſitio & declaratio judicialis de juribus eccleſiæ Limburg. adverſus familiæ, ea quæ debebantur negantis, molitiones ſtabilitis an. 1129, quod ſane inſtrumentum jurisdictionis eccleſiaſticæ in ipſo Limburgo & in homines collegiatæ hujus exercitæ documentum eſt omni exceptione majus.

In

(*x*) *Cod. diplom. Laureſham.* vol. I, præf.

In antiquo chori Limburg. directorio Conradi fundatoris cum elogio *ducis* celebrari jubetur memoria, his verbis:

„ Anniverſarius ducis Conradi fundatoris hujus eccleſiæ, „ qui obiit in die commemorationis S. Pauli, infra hanc octa„ vam peragetur modo infra ſcripto. „ Porro: „ III Jul. anniverſa„ rium quondam ducis Conradi hujus eccleſie fundatoris.

Præterea canonici ſervant poculum argento conveſtitum, in cujus centro aurata Conradi ſedentis imago, cum hac perigraphe, quæ ſuperficialis, non inciſa ſcalpello: DVX. CUNRADVS. FUNDATOR. ECCLESIE. LIMPVRGENSIS. REQVIESCAT. SEMPER. IN. XPO. CAT. Sceptrum in dextra, in pectore torques. At in adductis regum & archiepiſcopi Moguntini ſec. X atque XII chartis fundator eccleſiæ Conradus ubique *comes* appellatur; ut tribuendus haud dubie ſit Limburgenſium in conditorem ſuum pietati majoris, qua illum exornant, dignitatis honos.

Ad veterum Limburgi hujus dynaſtarum genealogiam facit lapis ſepulcralis in eccleſia Franciſcanorum ſuperſtes, cum hac epigraphe: ANNO DNI M. CCC. XII. IN DIE MICHAELIS O. DNS JOHANNES DE LIMPURG.

In tabulario oppidi ſervatur privilegium Ludovici IV imp. vernacule ſcriptum, quod civibus datum eſt Francofurti die Sat. poſt S. Barthol. an. 1346, rogante viro nobili Gerlaco domino in Limpurg.

Johannes & Gerlacus illi fuerunt fratres, filii Gerlaci I, cujus frater, Henricus, auctor eſt Iſenburgicæ gentis. (*y*)

Arnſteinenſis canonicorum Præmonſtratenſium abbatia, a Ludovico comite, communi Gommershemii atque Enckenbacenſis ſanctimonialium & ad Dreiſam virorum ejusdem Præmonſtr. Arnſtein

monſtr.

(*y*) Vid. *Jo. Jac. Reinhardi juriſt. u. hiſtoriſche kleine Ausführungen* tom. I, pag. 315, ubi de Limburgenſibus his dynaſtis præclare diſſeritur, omiſſis tamen, quæ nos adduximus, monumentis.

monſtr. ord. monaſteriorum vel conditore vel inſtauratore (*z*), ad Loganam amnem in monte prærupto circa an. 1140 inſtituta, primum confirmationis regiæ diploma cum nonnullis aliis chartis, ad veterem Palatinatus noſtri ſtatum pertinentibus, ſuppeditavit. In Wormatienſi enim non minus quam in Einrichiano pago Ludovicus ille, Arnſteinenſis comes, dives fuit prædiorum, quorum magna pars ad monaſteria ab ipſo excitata pervenit. Conradus III rex monaſterium Wormazgoviæ ad Dreiſam eidem Ludovico converſo fratribusque in Arnſtein an 1144 regendum ordinandumque commiſerat (*a*), quum biennio poſt Spiræ agens novum Arnſteinenſe inſtitutum datis quoque literis approbaret

Has quidem Gudenus (*b*) atque Honthemius (*c*) ediderunt, at vitioſas in nominibus locorum atque perſonarum propriis. In autographo nomina locorum ita leguntur:

„Selbach. Chirchdorph... Gozymiroth (*d*). Weldroth (*e*).
„ Hatdenhuſen. Salſheth. Holdinruchgyn .. Singhophin. Bru-
„ nincbach .. Piſſinhophen. Neyuen (*f*) .. Wezhe. Bubin-
„ heym... una huba alterius villæ .. Bubinheym. (*g*)

Teſtes

(*z*) Vitam hujus Ludovici comitis edidit *Browerus* in *Sider. illuſtrium & ſanctor. viror. Germaniae* Mogunt. 1616 latine. Verſio Teutonica ſatis antiqua in bibliotheca elect. Palat. ſervatur in membrana, ex qua Broweriana emendari hinc inde poteſt.

(*a*) Diploma in *act. acad.* vol. I, pag. 297.

(*b*) *Cod. diplom.* tom. II, pag. 10.

(*c*) *Hiſt. Trevir. diplom.* tom. I, p. 552.

(*d*) Hod. *Grosroth* prope Kirdorf.

(*e*) Hic vicus coaluit cum Attenhuſio.

(*f*) *Neven* prope Treviros.

(*g*) Bubenhemium itaque fuit duplex, ſuperius forte atque inferius. Conf tom. I, pag. 253.

Teſtes autem ſubſcriptos refert diploma ſequentes:
„ Sigefridum Spirenſis eccleſiæ epiſcopum. Bucgonem Wor-
„ matienſem epiſcopum. Vuolnandum (*h*) abbatem Lorſamenſem.
„ Benedictum abbatem Huzynburchenſem. Fridericum ducem.
„ Heremannum Palatinum comitem. Heberhardum. Emicho-
„ nem. Echebertum. Vudalricum. Henricum de *Chatzinellin-*
„ *bogyn*. Bobbonen de *Henynberch*. Adilbertum de *Levynſteyn*
„ comites omnes. Vudalricum de *Hurningen*. Godefridum de
„ *Spanheym*. Gerlachum de *Iſenburch* &c.

Inſtrumenta alia quatuor ad Hohenfelſiorum dynaſtarum genealogiam & monaſteriorum quorundam hiſtoriam egregie faciunt. Docum. n. VII Primo Iſengardis vidua Philippi de *Hoenvels* cum Wernhero & Hermanno filiis, nec non Johanne de *Metis* ſeniore & Agnete, genero & filia ſuis, univerſa bona ac jura ſua in villa *Steden* (*i*) abbatiæ in *Monſterdreyſen* an. 1291 vendidit. Secundo Jacobus abbas & conventus Monaſterienſis in eadem villa *Stetin* reditus Num. VIII annuos Arnſteinenſi abbatiæ divendidit an. 1327, teſtantibus & ſigilla ſua appendentibus Heinrico Rubricenſis (*k*) eccleſiæ abbate, Philippo comite de *Spanheim* & Hermanno domino de *Hoenvels*.

Tertio Catharina magiſtra & conventus monaſterii vallis b. Num. IX Mariæ ord. Præmonſtr. prædia ſua in *Stedin* prope Bolandiam Wilhelmo abbati & conventui Arnſteinenſi ſubdiderunt, conſenſu patris ſui, Conradi abbatis Monaſterienſis, teſtibusque Jacobo, abbate quondam Monaſterienſi, Heinrico milite de Stedin, Wilhelmo de Krumenauwe armigero aliisque an. 1333.

(*h*) Alias Folcnandus in *cod. diplom. Laurish.* tom. I, pag. 238.

(*i*) De loco hoc pagi Wormat. vid. tom. I, pag. 259.

(*k*) Rodenkirch, de qua vid. tom. I, pag. 44 ſq.

Docum. n. X — Quarto denique Hermannus & Wernherus fratres domini de Hoenvels & Conradus dominus in *Ripultzkirchin* nullum unquam jus in prædiis, abbatiæ Arnsteinensi a monialibus vallis b. Mariæ venditis, sibi competiisse profitentur.

Num. XI — Ad ipsam vero augustæ Palatinorum Rheni gentis historiam spectat, quam supra jam (*l*) laudavimus, charta Adolfi ducis de vino Braubacensi Heidenrico militi de Heiger in feudum dato; qua sane charta tempus mortis Mechtildis Nassovicæ, Adolfi matris, propius determinatur. Villa & parochia Heigere cum omni judicio antiquissimum Nassoviorum feudum est Palatinum.

An. 1355 die Sabbathi post s. Joh. Rupertus senior, elector Palatinus & vicarius in Germania, absente in Italia propter coronationem imperialem cæsare, Wilhelmum abbatem & conventum Arnsteinensem de censu quodam in *Bozirsheym* prope Celle, in feudum castrense Oppenhemii oblatum, Confluentibus investivit.

Carolo imp. ex Italia reduci, quum Noribergæ legum publicarum causa, ex quibus aurea bulla conflata, comitia haberet, idem Wilhelmus abbas curiam suam in Steden eodem obtulit pacto, ut feudi nempe castrensis in Oppenheim nomine ac jure penes abbatiam suam perpetuo remaneret.

Boppart — Boppardiæ, regio ante Henricum VII imp. inde Trevirensis ecclesiæ oppido, imminet monialium nobilium ord. s. Bened. abbatia (*m*), ad quam adeundam monumenta quædam Palatina invitarunt, nusquam publicata.

Johan-

(*l*) Pag. 19. sq.

(*m*) In chartis *Marienberg*, vulgo *das hohe Closter*, a situ suo, dicitur. Ipsæ tamen moniales vulgarem hanc appellationem a celsissimis illis, quas monasterium olim continuit, feminis, Palatinis maxime, exortam esse tradunt.

Johannes II Simmerensis, Friderici III. electoris pater, tenerrimæ ætatis filias, Johannam & Odiliam, loco huic religioso consecravit, datis literis, quas ex abbatiæ scriniis infra producimus. In peristylio claustri, quo visitatorum, qui valde opportune aderant, licentia ægre admissi sumus, Odiliæ & aliarum ejusdem serenissimæ gentis monialium tituli sepulcrales visuntur lapidei, in muro erecti, quorum verba ordine, quo positi sunt, hic apponimus curate descripta: Docum. n. XII

I.

ANNO. DNI. M.V^{c}XX. VICESIMA. PRIMA.
DIE. MENSIS. APRILIS. OBIIT. ILLUSTSIS.
SOROR. ANNA. COMTISA. PALATIN. REN.
BAVARIE. DVCISA. AC. COMTISA. IN. VELDENTS.

Lapidi insculptum est scutum Palatino-Bavaricum, cui insidet minus in medio, Veldentinum.

Anna ista filia fuit Ludovici cognom. Nigri, auctoris familiæ Palatino-Bipontinæ, a qua Veldentina descendit.

II.

ANNO DNI MV^{c}XX. DIE XI SEPTEMBRIS
OBIIT ILLVSTRIS. SOROR IOANNA
COMITISSA PALATIN. RHEN. BAVARIE
DVCISSA AC COMITISSA IN VELDENZ.

Johanna hæc eundem Ludovicum Nigrum habuit vel patrem vel avum; quum ex tabulis genealogicis appareat, & Ludovico, & filio ejus Alexandro, filiam hujus nominis natam & factam fuisse sanctimonialem. Alexandri tamen filiam Johannam præferimus, si verum est, quod Pareus (p) tradit, hanc decessisse an. 1520.

 III.

(u) *Hist. Bavar. Palat.* Lib. V. sect. 2. p. 192 novæ edit.

III.

ANNO 1553. 6. SEPTEMBRIS OBIIT
ILLVSTRISSIMA AC RELIGIOSA VIRGO
ODILIA RHENI COMITISSA ET BAVARIAE
DVCISSA CVIVS ANIMA REQVIESCAT
IN PACE.

Habemus hic Odiliam eandem, de qua pagina præcedenti.

IV.

OBIIT ANNO DNI 1576. VICES.
NONA MAII ILL. SANCTIMO.
MARIA COMI. PAL. RHENI ET
DVC. BAVA. HVIVS MON. SCRIBA.

Quis Mariæ hujus pater fuerit, non liquet, nec vacat nunc indagare.

Addimus ex libro chori ejusdem abbatiæ annotationem sequentem: „Anno Domini milesimo quingentesimo in die S. Ruperti (Huberti) que fuit vicesima septima Martii hora quasi duodecima nata est Catharina monialis in coenobio Comeda filia illustrissimi principis domini Johannis Comitis Palatini Reni ducis Bauarie & comitis in Spanheim & domine Beatricis marchionisse de Baden supradicti ducis conj.

Catharina hæc itaque soror fuit Johannæ & Odiliæ, monialium Boppard. natu maxima, ipsa quoque monialis & abbatissa denique facta in Comeda, uti mox infra patebit.

Simmern

Simmera, principatus peculiaris caput ac quondam sedes (*o*), plura principum olim suorum, Johannis nempe primi ac conjugis

(*o*) Anno demum superiore prodiit *Simmera Palatina in pago Hunnorum illustrata*, auctore Jo. Henr. Andreæ gymnasii Heidelb. rectore, viro historiæ patriæ, literariæ maxime, studiosissimo.

gis ejus Johannæ Naſſovicæ; Johannis ſecundi, hujusque uxorum, Beatricis Badenſis & Mariæ Jocobeæ Oetingenſis; Richardi ducis &, quæ ei nuptæ fuerunt, Julianæ Wiedenſis atque Aemiliæ Wirtembergicæ, monumenta ſervat in æde parochiali; quæ qui viderit, ducum Simmerenſium in operibus ſuis magnificentiam miretur neceſſe eſt. Omnia ſunt ex marmore cum ſtatuis, inſignibus, inſcriptionibus ornamentisque aliis elegantius, quam ætas illa vulgo ferebat, exſculpta. Richardus potiſſimum doctrinæ & artium ſtudioſiſſimus fuit. Apponimus hic inſcriptiones:

I.

AN. DNI. MV:IX. XXVII. DIE. IANVARII.
OBIIT. ILLVSTRIS. PRINCEPS. DNS. IOANNES
CO. PAL. RE. DVX. BAVARIE. ET CO. IN
SPAIN. ETATIS. SVE. 50. ET. REGEMINI.
EIVS 28. P. P. M. E.

II.

ANNO SALVTIS HVMANÆ 1521. DIE VERO 7.
MENSIS MAII ILLVSTRIS AC GENEROSA DOMINA IOANNA EX NOBILI PROSAPIE COMITUM
DE NASSAV ET SARBRUCKEN UNICA COMITATUUM AC DOMINIORUM LOEN ET HENSBERG
HAERES, UXOR QUONDAM &c.

Publicavit jam integram hanc epigraphen ſocius itineris, cel. Kremerus, in præſtanti ſuo de Heinsbergæ dynaſtis opere poſt iter factum elucubrato. (r)

D 3 III.

(p) *Akad. Beitraege zur Gülch - und Berg. Geſchichte*, tom. I. pag. 82.

III.

ANNO DOMINI MDLVII DEN XVIII MAII IST IN
Chriſto abgeſtorben der Durchleuchtig
Hochgeborn Furſt und Herr Johanns
Pfaltzgraue bey Rhein Hertzog in Bairn und
Grave zu Spanheim. Der Selen der almechtig
Gott ein froliche Urſtende verleihe. Amen.

In eodem monumento repræſentantur cum Johanne Beatrix uxor, de qua ad pedes legitur epigraphe ſequens:

IV.

ANNO CHRISTI MDXXXV DEN IIII APRILIS IST IN
dem Hern entſchlaffen die Durchleuchtige Hochgeborne
Furſtin Frau Beatrix Pffaltzgreuinn
bey Rhein Hertzogin in Bairn geborne Margrevin
zu Baden und Greuin zu Spanheim.
Der Selen Gott in ewigkeit gnad. Amen.

Imago Beatricis ſculpta feminam ſane prodit corpore & animo jucundiſſimam. Fuit Chriſtophori Marchionis filia, nata an. 1492, mater Friderici III. electoris atque Richardi, de quo infra. Beatrice defuncta Johannes II vixit novendecim annos viduus; inde impleto anno ætatis ſexageſimo ſecundo ſecundas cum Maria Jacobæa Oeting. comitiſſa nuptias celebravit. Docet hoc epigramma Germanicum viginti verſuum, ex quo Johannes II natus eſt menſe Martio an. 1492, non, quod vulgo ſcribitur, 1486. Mariam Oetingenſem enim duxit an. 1554. Accedit nummus a Johanne cuſus an. 1539, ætatis 47, de quo Exterus noſter, vir de re nummaria Palat. meritiſſimus. (q)

V.

(q) *Verſuch einer Samml. von Pfälziſch. Medaill.* tom. I, pag. 50.

V.

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. PRINCEPS AC DOMINUS, DNS RICHARDUS COMES PALATI. RHENI. DUX BAVARIÆ. DVM CLARUS MAXIMIS REBUS IN IMPERIO. NON SOLUM PACIS SED ET BELLI TEMPORE. SUB CAROLO V. ET MAXIMILIANO II. AA. PRIMA EXPEDITIONE IN GALLIAM CELTICAM. ET ALTERA IN PANNONIAM. ADVERSUS SOLIMANNUM TURCARUM TYRANNUM. SUMMA CUM LAUDE GESTIS. NON IMMEMOR SORTIS HUMANÆ. VIVUS SIBI. ET PRÆDEFUNCTÆ THORI DULCISSIMÆ CONSORTI. PIÆ MEMORIÆ. DOMINÆ JULIANÆ PALATINÆ EX GENEROSA PROSAPIA COMITUM IN WIDA &c. QUÆ PUERPERA OB DIFFICULTATEM PARTUS. LICET CONSTANTFR MULTUMQUE RELUCTATA. TANDEM UT RACHEL PIISSIMA MATRONA ET ISRAHELIS CONJUNX. DOLORE VICTA. PARI FIDE ET FORTUNA. ANIMAM DEO. CORPUS HUIC SEPULTURÆ REDDIDIT.

MONUMENTUM HOC IN MEMORIAM F. M.

OBIIT ILLUSTRISS. PRINCEPS ANNO CRISTI 1598. 13 JANUARII INTER 12. ET 1. NOCTIS HORAM. ANNOS NATUS 76½ FERME. POSTQUAM SIMMERENSI PRINCIPATUI AD ANNOS 29 PRÆFUISSET LAUDABILITER.

OBIIT ILLUSTISSIMA DUCISSA PRIDIE KALEND. MAII ANNO VIRGINEI PARTUS MDLXXV.

VI.

Exemplo Aemiliae Palatinae Principis ortae
Wirtembergiacae illustri de sanguine stirpis
Discite mundanas animo deponere curas
Discite palentis prope quam vestigia mortis
Instent atque pias ad sydera tollere mentes.
Foemineo plus quam suffulta haec robore Princeps

Omnia

Omnia vesani contemsit ludicra mundi
Insidias reputans fortunae munera quae tam
Chara tenent homines quae tam mirantur & optant.
Votum erat hoc unum fuit una haec cura laborque
Inservire Deo benefactis vincere cunctos
Nupta Palatino Heroi duo lustra Richardo
Atque annum consors thalami fidissima tandem
Anno milleno quingenteno octuageno
Et nono Junii quarta mundo valedicto
In spe non dubia superas concessit ad auras.
Ossa sub hoc tumulo quem cernis tecta quiescunt
Donec dante tuba sonitum caro cuncta resurget.

VII.

D. O. MAX. S.

Ergo hic videam labi per viscera mortem
Nec mihi quod dederit claros fortuna parentes
Regibus aedita quod atavis Palatinaque dicor
Non profuit miserae magnum Bojaria nomen
Ast quia crudelem Christus per tartara mortem
Fregit & obtulerat sua regna petentibus ultro
Non queror in tenebris lucem mox ipsa visura.

VIXI ANNOS XIV. MENSES XI. DIES XV.
ANNO DOMINI M.D.LIII. DEN XIX MARTII. IST IN
(GOT VERSCHEIDEN DIE HOCH-
GEBORNE FüRSTIN FREULEIN ALBERTA
PFALZGREVIN BEY RHEYN UNND
HERZOGINN IN BAIRN DER SELEN DER ALMECHTIG
(EWIG
GOT GNEDIG SY. AMEN.

De

De Alberta hac, Friderici Simerensis, postea electoris, primogenita, quam Palatinarum rerum, quotquot extant (r), scriptores ignorant, Albertum filium pro Alberta statuentes, præter monumentum hoc sepulcrale testem habemus fratrem Albertæ, Ludovicum electorem, qui laterculum de fratribus, sororibus, liberisque suis manu sua scriptam reliquit, in scriptoribus, quos paramus, Palatinis olim proditurum.

Proxima Simmeræ fuit monialium abbatia ord. Cisterc. Comeda, vulgo *Chumd* dicta, quæ sub finem seculi XII excitata est pietate Conradi Palatini comitis & Dickiorum, florentissimæ olim tum in Palatinatu, tum in Alsatia familiæ liberalitate. Ex Conradi archiepiscopi Mog. litteris, quibus monasterii hujus initia comprehenduntur, quasque in documentorum appendice infra producimus, Henricus de Dicke, auctor primarius, filium habuit Alexandrum, patrem haud dubie Henrici de Staleck, episcopi Argent. an. 1238 electi, hujusque fratris Alexandri domini de Dicka, qui novennio post in Alsatia comparet. (s) Donationem quandam Henrici fundatoris an. 1204 novo cœnobio factam, Henricus ille episcopus & Alexander fratres an. 1252 confirmasse reperiuntur. Bona monasterii apud Wesaliam ab omni precaria et servitio Henricus rex Rom. an. 1234 & Ludovicus IV imp. 1324 liberarunt. Jus patronatus in Bornheim prope Flanhemium a Rudolfo archidiacono Trevirensi moniales acceperunt an. 1241. Consensu Johannis II comitis Spanheimensis, qui curiam abbatiæ in Enkerich ab omni exactione immunem reddiderat, Ludovicus miles de Dunso rem suam in eodem loco Comedensibus donavit an. 1264. Postea milites a Trays dicti,

Num. XIII

E qui

(r) An. 1769 demum Carolus Büttinghausen, vir plur. rev. universitatis Heidelberg. tum rector, Albertam istam primus publice vindicavit in programmate ad orationem nuptialem Palatino-Saxonicam, quam ipse quoque habuit, scripto.

(s) *Schoepflini Alsatia illustrata*, tom. II. pag. 629.

qui ad Mosellam locus est, Dickiorum in his oris, uti videtur, heredes, plurimum prædiorum, silvarum, jurium exeunte XIII & ineunte XIV seculo dono obtulerunt. Inter postremas abbatissas recurrit Dorothea de Meizenhausen an. 1556, cui successit Catharina, Johannis II Simmerensis ducis filia (*t*) quæ prædium quoddam prope Clotten ad Mosellam in emphyteusin dedit d. 4 Oct. an. 1563. Desiit paulatim disciplina monastica. Scholamne an hospitale hic institueret, dubitavit Richardus, Simmerensium princeps. Richardo mortuo hospitale instituit Fridericus IV elector an. 1598.

Bacherach

Bacheracum & Cuba, veneranda cum castris suis, Staleck, Stalberg, Gutenfels, Pfalzgrafenstein, Braunshorn, Furstenberg, Palatinatus hodierni primordia, superiorum temporum rabie vel eversa vel misere lacerata, parum relatu hic dignum offerunt. Cubæ proscriptionis Philippi Ingenui electoris & obsidionis Hassiacæ, quæ hebdomades quinque cum dimidia incassum protracta, (*u*) ac Stegæ, vico retro Bacheracum insigni, diri Hispanorum, Franckenthalia missorum, impetus cœtu omni in æde sacra collecto, facti (*x*) inscriptis vernacule lapidibus servatur memoria. Bacheraci monumenta quædam sepulcralia præfectorum, Phil. Wolfii de Spanheim (*y*) & Mainhardi de Schœnberg, (*z*) avi cele-

(*t*) Conf. supra pag. 28.

(*u*) Cœpta est obsidio die dom. post festum ascensionis Domini 1504.

(*x*) D. 29. Jun. an. 1645 hora octava matutina.

(*y*) Obiit Kal. Maji 1558 æt. 56, uti & recte *Humbracht Rhein. adel* tab. 154.

(*z*) Natus hic est d. 26. Apr. 1530. Obiit in castro suo Schœnberg infra Bacheracum sito d. 22 Apr. 1596, pater quinque filiorum ex Dorothea Riedeselia de Bellersheim, quæ vidua monumentum viro nobili dignum posuit. Inscriptio vernacula hoc eos omnes ordine recenset: Heinrich Diether,

celeberrimi belli ducis, Friderici vulgo de Schomberg dicti, aliaque plura supersunt. At historiae patriae cultoribus acceptiora erunt duo, quibus messem nostram diplomaticam auximus, instrumenta chartacea, alterum Brunonis Trevirensis, alterum Heinrici Coloniensis archiepiscorum, utrumque de *Bachrecha* villa seu de *Bacharaco*. Prius datum est an. 1119, posterius an. 1230, utrumque adhuc ineditum. Addimus tertium de Cuba, titulum acquisitionis castri & oppidi, una cum jure patronatus ecclesiae in *Wissel* an. 1277, quo ipso Cubam alio, quam Bacheracum, jure ad Palatinatum Rheni pervenisse discimus. Num. XIV & XV Num. XVI

Ravengirsburgi prope Simmeram monasterium olim canonicorum regularium S. Augustini floruit, a Bertoldo quodam comite an. 1074 conditum. Arcem hic antea substitisse traditur, & loci nomen persuadet. (*a*) Exeunte seculo XV positum est conditori monumentum, quod interiori templi novissime extructi muro insertum conspicitur cum hac epigraphe: Ravengirsb.

XPI. OB. AMOREM. SANCTIQ. MRIS. XPOFERI.
IN. HONOREM. LOCVM. HVNC. CONTVLIT.
GENEROSVS. BERTOLDVS. COMES.
ET. HANDWIGIS. EIVS. LEGITIMA. DEO.
FIDELITER. FAMVLANTIBVS. ANNO. SALVTIS.
M. LXXIIII. TERCIO. NONAS. MAII. HOC. IN.
MAVSOLEO. PAVSTANTES. CELESTIA. BONA.
EXPECTANTES. 1497. 7. YDVS. AVG.

 Fun-

Diether, Johann Friederich, Johann Mainhard, Jerg Wolff, Johann Otto und Anna Elisabetha. Tres posteriores male nominavit Humbracht l. c. tab. 212. Medius filiorum horum procreavit Fridericum ducem, Gallis, Lusitanis, Britannis, laudatissimum.

(*a*) In charta Ottonis M. Wormatiensi ecclesiae data an. 956, ap. *Schannat hist. Worm.* part. II, p. 20. & *Scheid orig. Guelf.* t. IV, p. 297 *praedium Ravan-*

Fundationis hujus monaſterii literas, a Sigefrido archiep. Moguntino, vivo Bertholdo comite, ſed eodem tamen, quo hic deceſſit, anno ſcriptas, Gudenus publicavit. (*b*) Ibi prædia ſua in tribus pagis, Nachgowe, Trachari & Hundesruche dediſſe legitur, quorum quædam in ejusdem Bertoldi, quædam in Emichonis comitatu ſita dicuntur. Emicho cum Nahgoviæ comes certiſſime fuerit, Bertoldum reliquis duobus præfuiſſe comitatibus vel pagis colligimus.

Hic „ poſtpoſita heredum & amicorum ſuorum dilatata „ propagine, Chriſtum & martirem ejus Chriſtoforum & ſanctiſſ. „ confeſſorem Martinum heredes ſibi elegiſſe „ iisdem in literis traditur. Heredes itaque neceſſarios, liberos nempe, non habuit, ſed cognatos & amicos, in quibus Spanheimenſes procul dubio comites, quippe quos deinceps loca poſſediſſe reperimus in iſtis fundationis literis commemorata.

Pertinet huc Johannis comitis de Spanheim charta libertatis monaſterii curtibus in Einkirch & Reile renovatæ an. 1239,
Document. n. XVII quam videſis infra. Advocatiam autem monaſterii, feudum Palatinum, tenuerunt comites Silveſtres, & ab his ſubadvocatiam domini de Heinzenberg, diſtinguendi ab Heinsbergæ dynaſtis, Spanheimenſium comitum ſurculis. Mortuo Gerhardo II Wildgravio in Kyrburg Rupertus Palatinus cæſar advocatiam iſtam ſibi ac ſuis in Palatinatu ſucceſſoribus ſervavit, teſte diplomate
Num. XVIII anni 1408 infra ſubjuncto.

Superſunt in area veteris monaſterii lapides quidam ſepulcrales, in quibus tres Coppenſteinenſes. Horum inſcriptiones exhibere hic lubet tanto magis, quod familia iſta, paucis abhinc annis

Ravangeri in pago Nahgouue legitur; quod a noſtro tamen diverſum credimus.

(*b*) *Cod. diplomat.* tom. I, p. 377.

annis extincta, auctorem habuit Johannem II comitem Spanheimensem ex armigeri cujusdam sui filia valde speciosa, ut testis est Trithemius. (*c*) Insignia lapidibus insculpta sunt, eadem, quæ Spanheimensia, excepta ave, corvo simillima, quæ aream scuti primam occupat.

1)

ANNO DNI M. CCC. LXIII. XIII.
KAL. MAII. OBIIT. HONORAT.
DNS PHILIPPUS. DE. COPPENSTEI.
PPTS. HUJ. ECCE. CUJ9. ANA. RE-
QUIESCAT. IN. PACE. AMEN.

2)

ANNO DNI M. CCCC. XXXII.
IN. DIE. SACTI. MAURICJ. MR.
OBIIT. DOMI. JOHANES. DE. COPPEN-
STEIN. CANON. REGULARIS HUJ9. ECCLIE.
CUJ9. AIA. REQUIESCAT. IN. PACE.
AMEN.

3)

ANNO. DNI. M. CCCC. LX. . . . .
OBIIT. DNS. PHILIPPUS. DE. COPPE-
STEIN. CANOICUS. HUJ9. ECCIE.
CUJU9. AIA REQUIESCAT. IN. PACE.
AMEN.

Ad Mosellam quæ reperta sunt Noviomagi, Treviris, Igelæ monumenta antiqua, præripuit nobis pleraque Christoph. Browerus Noviomag.

(*c*) *Chron. Sponheim* ad an. 1325.

werus, annalium Trevirensium scriptor solertissimus. Habet ille titulum sepulcralem Varusianum, qui in multis aliorum lapidum literatorum fragmentis Noviomagi solus integer superest, recte expressum. (*d*) In ecclesia hic conspicitur epitaphium Heinrici comitis de Isenburg, Domini in Neumagen, qui obiit die XIIII Febr. an. MDLIII, *more*, ut in fine inscriptionis, quæ vernacula est, additur, *Treve.* ist est, more Treverensi, locutio tum familiaris & necessaria, quod apud alios Germania populos eo, quo Henricus ille Isenburgicus decessit, mense ac die annus agebatur quinquagesimus quartus, non tertius, uti apud Trevirenses, qui redeunte vere ab annuntiatione b. Mariæ, non a circumcisionis, nec a nativitatis Domini festo, anni sui initium ducebant, (*e*) more Gallico.

Treviris

Antiquissima multisque nominibus veneranda S. Maximini abbatia prope Treviros, ubi novem dies suavissime transacti, literarum monumenta, regia potissimum & imperialia, maximo numero servat, quæ partim à Zillesio, Martenio, Bertholeto & nostra iterum ætate ab illustriss. Honthemio, partim a Valent. Ferdinando Gudeno, cui spicilegium eorum insigne debemus, (*f*) edita sunt. Autographa, cum exemplis editis collata, corrigenda multa suppeditarunt, quæ vero non sunt hujus loci. At dicendum hic est de duplici instrumento cæsareo, quod rebus Palatinis inservit, in una causa paucis diebus interjectis exarato. Ex Zillesio nimirum, Tolnero, Honthemio, aliisque constat, Henricum II imp. sex mille, sexcentos & quinquaginta sex abbatiæ Maximinianæ mansos *Ezzoni Palatino comiti et Henrico Duci, nec*

non

(*d*) *Annal. Trevir.* tom. I, pag. 55.

(*e*) Vid. *Hontheim hist. Trevir.* t. I, p. 460 sq.

(*f*) In *cod. diplom. Mogunt.* tomo II, ab initio, sed potissimum tomo III, pag. 1018 sqq.

non Othoni comiti in beneficium contulisse, ut *pro abbate curiam regalem petant et in expeditionem eant.* Argumentum hinc pro dignitate veteris Palatini comitis, qui duci præponitur, desumtum, ut ducibus saltem haud inferiorem fuisse appareat. Gudenus (*g*) postea cum ejusdem, uti videbatur, diplomatis partem edidisset, qua inverso ordine Palatinus Ezzo Henricum ducem subsequitur, nata est Crollio nostro, sagacissimo veritatis historicæ vindici, facile occasio, ut litem moveret iis, qui ducem postposuerant Ezzoni, contra legitimam diplomatis, quod sibi persuaserat, fidem. (*h*) At utrumque exemplum, & Zillesianum & Gudenianum, recte se habet, cum instrumenta adsint duo, die locoque diversis scripta, quorum prius duci, posterius Palatino comiti favet, utrumque autographum certissimum. Prius cum integrum nondum prodierit, documentis nostris infra adjungimus. Datum Num. XIX illud est Moguntiæ pridie Kalendas Decembris, id est, ultima die Nov. an. 1023. Alterum diploma, quod Zillesianum appellavimus, posterius est decem diebus, datum scilicet Triburiæ quarta idus Dec. ejusdem anni. Conditis itaque Moguntiæ tabulis, cæsar Triburiam, proximum inde palatium, progressus, alias fieri jussit, in quibus capita duo luculentius expressa, alterum de advocatis villarum, alterum de appellando pontifice Romano, cui monasterium S. Maximini a Constantini imp. ac matris ejus Helenæ temporibus addictum fuisse prædicatur. Dives abbatia novum ejusdem prope argumenti diploma, levem ob causam, facile redemit. Moguntiæ Henricus dux, Triburiæ Palatinus comes Ezzo prævaluit, alternis honoris vicibus, indicio sane haud obscuro, Palatinos Rheni comites ducibus, si non potestate, dignitate saltem jam tum fuisse æquiparatos. Fuerat, quod non prætereundum, Henricus, Bojorum dux, Cunigundis augustæ frater,

Ezzo

(*g*) Lib. cit. tom. III, p. 1013.

(*h*) *Von dem ursp. des Pfälz. münzregals* §. V, & in *Pfalzgraven zu Achen* pag. 35.

Ezzo vero præcedentis imperatoris Ottonis III affinis, ducta sorore ejus Mathilda, ut hoc affinitatis quoque nomine uterque princeps Henrico cæsari carus esset, sed carior Henricus.

Tristem urbis Trevirensis seculo IX atque sequenti statum charta depingit, qua Theodoricus archiepiscopus monasterium S. Martini, extra muros hujus urbis ad Mosellam positum, instauravit. Merentur verba ex autographo desumta hic apponi:

„ Ex decreto superum propter delicta habitantium civitas „ Trevirensis data gentibus Normannorum vastatione a suo statu „ concidit. ac postmodum resurgens. imperii mutatione. tyran„ norum principum successione. tempore Gisalberti ducis seu Con„ radi. ab invasoribus episcopium omne direptum est. ecclesiæ „ destructæ. possessiones subreptæ. Dei cultus imminutus. & sine „ respectu divini atque imperialis judicii homines maligni con„ tra sanctas Dei nitebantur ecclesias. Ea tempestate divina cle„ mentia providente ego Theodoricus Trevireæ urbis curam pa„ storalem suscipiens. ad restauracionem ecclesiarum & divinæ reli„ gionis animum appuli &c. &c. Data Treveri an. DCCCCLXXV. „ Indict. III. . . imperante Ottone magno imperatore, anno VII. „ imperii ejus.

Excellentissimi historiæ Trevirensis scriptores, Browerus atque Honthemius, nec rei, nec chartæ hujus mentionem faciunt. Idem dicendum est de literis Egilberti archiepiscopi, eidem S. Martini abbatiæ datis, quibus præter alia tres mansos, unum Becelini, unum Gevonis, unum Durandi in villa Palatioli, beneficium scilicet cujusdam militis Folcheri cognomine Barbati, Hierosolymis defuncti, tradidit cum domibus & ambitu curiæ. Datæ hæ literæ sunt „ VI id Febr. Treveris in aula publica anno „ M. XC. VII. Indict. V. imperante invictissimo Heinrico IIII anno „ regni sui XLI. imperii autem XII. Domini Egilberti excellen„ tissimi Trevirorum archiepiscopi anno pontificatus sui XVIII. „ *advocato Sigefrido comite.* majore domus Adalberone Confluen-

„ tino

„ tino S. Caſtoris eccleſiæ propoſito. Acta feliciter per manus
„ Petri Romani canonici S. Petri, magiſtri & bibliothecarii.

Eccleſiæ Trevirenſis advocatiam penes antiquos comites Palatinos Rheni, nominatim Sigefridum, Henrici de Lacu privignum atque heredem, fuiſſe, ex Brunonis archiepiſcopi charta Springirsbacenſi an. 1107, quam infra laudamus, conſtabat, a quo Honthemius (*i*) illam publicaverat. Nunc memoriam advocatiæ œcennio vetuſtiorem habemus. Sigefridum autem in comitiva Palatina immediate non ſucceſſiſſe, ſed intermedium fuiſſe Henricum quendam, Lacenſi Henrico ſanguine forte junctum, ante nos recte obſervavit laudatiſſimus Crollius noſter, (*k*) & fragmentum chartæ ſuperius confirmare videtur, quippe quo Sigefridus advocatus ſimpliciter *comes*, non Palatinus, ſcribitur. Palatinus autem primum laudatur anno 1099, quod tangi hic liceat, in Henrici IV imp. diplomate Spirenſi, quod adhuc ineditum.

Treviris Mannhemium allata ſunt marmora duo cum inſcriptionibus hominum Chriſtianorum ſepulcralibus, quorum alterum plane non, alterum vitioſe publicatum eſt. Utrumque propter ſingularem literarum quarundam formam ligno incidi, hicque repræſentari curavimus. Frequentes ſunt in hujus generis monumentis barbariſſimi latinitatis magis magisque titubantis, donec vel in ruſticam omnino linguam degeneravit, nullis adſtrictam legibus, vel maximam ſui partem a peregrino idiomate, quemadmodum Treviris, fuit oppreſſa. Primum itaque nunc prodit ſequens epitaphium:

(*i*) *Hontheim hiſt. Trevir. diplom.* tom. I, p. 483.

(*k*) *Erläut. reihe der Pfalzgraven zu Achen* pag. 141.

. Nescio, an alibi occurrat hoc Genesii elogium, quod immature quidem, at superstitibus tamen filiis suis omnibus atque uxore decesserit. Quæ quæso felicitas? Vides, quam ingeniorum acies cum sermonis cultu arctissime sit conjuncta. Nec multum acutiora sunt verba, quibus *conjux semper amantissima sui atque obsequentissima*, ipsa suppeditante, approbante saltem, laudatur. Genesium episcopum Claromontanum prodit alius titulus sepulcralis seculi VIII apud Muratorium. (*l*) Baptisterium inter duas columbas, olivarum surculos ore ferentes, hominem Christianum fide ac moribus suis beatum significant. (*m*)

In

(*l*) *Thes. inscript.* t. IV, p. MDCCCLXXIX, 7.

(*m*) De columba, frequentissimo in sepulcralibus veterum Christianorum titulis symbolo, vide *Aringhi Rom. subterr.* lib. VI, cap. 35. Ibidem de oliva cap. 44.

In basilica Paulina extra muros Trevirenses extiterat, quod altero nunc loco subjungimus, epitaphium:

Browerus, (*n*) ex Browero Muratorius (*o*) atque Honthemius (*p*) male exscripserunt; rectius ante hos omnes ex Ortelio Janus Gruterus. (*q*) *Ursacium cursorem dominicum* aliud monumentum sepulcrale Christianum, Treviris effossum, habet. (*r*) Quis autem Ursatius *Usliarius*? Vocem hanc *Usliarius* alibi frustra quæsiveris. Autographum ipsum ante oculos cum habeamus, nec *Vestiarium* nec *Ostiarium*, quod utrumque magis placeret, extricare possumus. In ecclesiasticas Christianorum personas in indice Gruteriano Scaliger,

(*n*) *Annal. Trevir.* t. I, pag. 61.

(*o*) *Thes. nov. Inscript.* t. IV, p. MCMLX, 10.

(*p*) *Prodrom. hist. Trevir.* t. I, pag. 203 & 207. Bis dedit Honthemius, diverso modo, nullibi exacte.

(*q*) *Inscript.* t. II, p. MLXI, 6.

(*r*) *Brower.* l. c. p. 53 & *Murator.* l. c. pag. MDCCCLXXXVIII, 2.

liger, nescio qua fultus auctoritate, Ustiarium ex lapide hoc nostro retulit. Vixit Ursatius Ustiarius annos sexaginta & sex cum dimidio. *Exuperius*, quod filii nomen, in Reinesiano quoque syntagmate Christianus legitur. (*s*) Ibidem *carmena*, *vertutem*, *benemeretus* &c. offendimus, (*t*) ut qui ista legerit, *Tetulum* hic nostrum ac *Aeternetate* superius offendere neminem queat. Pro cruce, Christianae fidei symbolo, usitatissimum tum fuit Christi, quod hic comparet, monogramma graecum. De marmoris utriusque aetate nihil definimus. Id certum, novam literae L in Ursatiano formam an. 436 jam fuisse Florentiae receptam. (*u*)

Igel

Genere suo unicum trans Alpes est, loquimur veteri stylo, monumentum Iglense, in vico Luzelburgici juris, ad viam publicam, bihorio supra Treviros, monumentum, quod uti miraculis accensendum, secundum Browerum, (*x*) ita labyrinthi instar inextricabile est. Difficultas oritur ex hominum, qui inscripti sunt, mediocritate, cum opus sit magnitudine & structura plane regium; quadratum scilicet, 64 pedum Gallicorum altitudine, omni circumquaque parte affabre exsculptum. Iconem ejus post Browerum luculentius repraesentavit Bertholetus, (*y*) & dissectis partibus planissime Lorentius, praetor Epternacensis, vir ingenio & doctrina pollens, qui statuum Luzelburgicorum jussu molem hanc, ubi ruinosa erat, an. 1764 demum resarcivit atque delineavit. Verum enimvero dignitatem, vim & elegantiam operis, quod ex tot aliorum naufragiis, post tot hominum, imperiorum, tem-

(*s*) Class. XX, num. 301.

(*t*) Ibid. num. 434 & 446.

(*u*) In *Gor. inscript. antiq. Etruriae* tom. III, pag. 328 sq tabula marmorea exhibetur, consulatu Isidori & Senatoris, qui in annum istum incidit, eademque literae L forma notabilis.

(*x*) *Annal. Trevir.* tom. I, pag. 42.

(*y*) *Hist. de Luxemb.* tom. I, dissert. IV, p. 360.

temporumque vicissitudines perenne, manus hucusque sive charta nulla recte expressit. Exprimendis debite peritissima opus est manu ac diebus, imo mensibus non paucis. Ausonium in *Mosella* sua (z) monumentum hoc decantasse, facile largimur, at in Caligulæ hic nati honorem id positum esse, quod post alios vult Lorentius, (a) equidem non concedo. Locus Suetonii, quo conjecturam istam firmari putant, de *ara* loquitur inscripta ob Agrippinæ puerperium. Sed quanta operis ab aræ forma diversitas! Inscriptio Secundinos, Aventinum atque Securum, id parentibus suis defunctis & sibi vivos fecisse refert; scandalum doctorum, qui nec mendacem in Trevirorum & Belgarum omnium oculis inscriptionen impune poni, nec privatos homines, obscuros saltem, tantæ magnificentiæ mausoleo extolli potuisse, imo voluisse, persuadere sibi possunt. Meretur res sumptibus publicis examinari penitius ac describi de novo.

Epternach

Epternaci S. Willibrordi abbatia, ad Suram amnem in ducatu Lucelburgico sita, tabularium suum humanissime aperuit, absque ullo, qui tot alios scriniorum custodes ac possessores vexat, sive metu sive livore. At eadem, quæ hic regnat, humanitate factum est, ut tabularum Epternacensium præstantissima series, a seculo VII per singulas fere regum & imperatorum ætates, Belgicarum ac Trevirensium rerum scriptoribus, uti Maximiniana, oblata pridem ac in lucem publicam fuerit emissa.

In Palatinorum comitum historia locum suum præclare tuetur charta illa an. 1095 scripta, qua Heinricus comes Lucelburg. ablata reddidisse narratur, *presidente dompno Henrico Palatino*

(z) Vers. 312 sqq.

(a) In libro cui tit. *Cajus Igula ou l'Empereur Cajus Cesar Caligula né à Igel le 31 Aout de l'an 746 de Rome... Essai par forme de dissertation sur le sujet & l'epoque du fameux monument, appellé communement la Tour d'Igel &c. à Luxembourg* 1769.

tino comite, cui a domino nostro gloriosissimo imperatore augusto. H. in Italia exercitum ductante. imperii commisse sunt habene (*b*), nec non Heinrici VI. imp. diploma, quo *Cunradus comes Palatinus de Reno* cum cæsare hoc, Gerardo comite de Dietse, Godefrido comite de Veingen, Bertholdo comite de Catzenellenbogen &c. occurrit in *Wizenowe juxta Maguntiam* VIII kal. Septembris an. 1192 (*c*). Hæc typis alibi vulgata, quibus nunc primum accedit ex necrologio Epternacensi observatio sequens: *XII. kal. Octobr. Heremannus Palatinus comes frater nostre congregationis* obiit.

In Palatinorum Rheni comitum numero tres Hermanni fuerunt, quorum primus sub Ottonibus floruit, pater Ezzonis, secundus sub Henrico IV, nepos prioris, tertius a Staleccio castro agnominatus. Quæritur de Epternacensis congregationis fratre, quisnam Hermannus fuerit? Non tertius, de quo quippe novimus, Eberacense ord. Cisterc. in Franconia monasterium intrasse actaque paulisper vita monastica ibidem esse defunctum an. 1156 sub finem Decembris. Verisimillima conjectura de Hermanno II, quum & fratrem ejus Heinricum Epternaci expirasse, ex Lamberto Schafnaburg. ad an. 1061, & Hermanni hujus successorem, Henricum de Lacu, plurimum ibi valuisse, ex superioribus constet. Annum mortis Hermanni II annales veteres produnt, non diem. Crollius (*d*) versus finem anni 1085 obiisse quum suspicatus est, haud multum aberravit à vero.

Publicatum non credimus Henrici IV regis Rom. diploma, quo *aecclesiam in villa Wisele & quicquid in eadem villa ad abbatiam Efdernacensem pertinuit, rogatu ducis Fritherici, qui eam in bene-*

(*b*) Autographum chartæ hujus periit. Exemplum ejus in chartulario veteri, quod, sicuti Maximinianum, *liber aureus* dici solet.

(*c*) Vid. *Bertholet hist. de Luxemb.* tom. IV, probat. pag. 37.

(*d*) *Erlaeut. reihe der Pfalzgr. zu Achen* pag. 62. sq.

beneficio tenuit, eidem abbatiæ restituit, *anno Dom. incarn. M.LXV. indict. III. anno autem ordinationis domini Heinrici quarti regis XII. regni vero VIIII. Haec acta sunt in civitate Radanaspona prima die Kal. Maii.*

Fridericus, qui hic laudatur, dux Lotharingiæ inferioris fuit & comes Lucelburgensis, brevi post diploma datum, eodem saltem anno, defunctus.

Prumiam, principem in Arduennæ Eifliæque confiniis abbatiam, Pipini regis opus, Lotharii I. imp. secessu ac sepulcro celebratissimum, munificam aliorum coetuum sacrorum matrem, in nostris his Rheni partibus, Neckeroviæ & Altrepii, proximis nobis vicis, prædia opima regum Carolingorum dono possedisse, tabulæ veteres in lucem non semel editæ (*e*) faciunt fidem. Spem spicilegii haud contemnendi fefellit eventus. Paulo ante, electorali & archepiscopali Trevirorum sede, cum qua abbatialis Prumiensium dignitas pridem conjuncta est, vacante, gravis inter capitula duo, Trevirense majus ac Prumiense, de regimine abbatiæ simul vacantis causa agebatur, quum utrumque ad se id pertinere acerrime contenderet. Vis vi repulsa, non sine vulneribus utrimque acceptis. Finem turbis imposuit sereniss. Principis regii nunc felicissime regnantis electio. At iisdem turbis, quod maxime dicendum hic est, tabulæ veteres, ne diriperentur, absconditæ sunt, nec ex latebris suis redierant die 19 Jun. quam Prumiæ transegimus. Oblatus tantum est Cæsarii Heisterbacensis de feudis ac censibus abbatiæ codex an. 1222 confectus, quem illustr. Leibnitius (*f*) publicavit, nec non chronicon Prümm

(*e*) Integrum fere venerandæ antiquitatis cartarium Prumiense sese exscripsisse narrant *Martene* & *Durand* in præfat. ad *amplis. collect. veterum scriptor. & monumentor.* tom. I. pag. 2. Hos vero exscripsit illustriss. *Honthemius* in *hist. Trever. diplom.*

(*f*) In *collectan. etymolog.* part. 2, pag. 409. Inde *Honthemius* l. c. tom. I. pag. 660 sqq. desumsit.

con monasterii seculo superiore descriptum, in quo de Reginone abbate, laudatissimo annalium sui temporis auctore, in *Altrepio* ex nobilissimis parentibus fuisse natum traditur; quod si verum, uti verum esse facile largimùr, Palatinatui nostro de homine tanti nominis, nobisque de invento merito gratulamur. Altrepium enim in Prumiensi Pipini regis, qui dedit, instrumento nuncupatur Altaripa nostra, Palatini juris vicus, de quo infra in descriptione pagi Spirensis. In Menzingen, Creichgoviæ loco, Regino quidam mansum cum mancipiis quatuor Laureshamensi abbatiæ donavit anno III Ludovici junioris; adeoque circa an. 878; (*k*) quod propterea hic adducimus, ut ipsa Reginonis, Prumiensis abbatis, qui an. 907 obiit, ætate nomen hoc in oris nostris obvium fuisse patescat. Annotatum insuper in chronico isto, abbatia sua ejectum Reginonem an. 899, in S. Maximini juxta Treviros monasterium secessisse, ubi corpus ejus medio in templo inventum an. 1580, cum schedula vitro inclusa, quæ defuncti nomen ac dignitatem continebat. Cadaver & vestimenta integra visa, donec venti afflatus cuncta in cineres convertit.

Sub Henrico IV imp. Wolframus abbas „ Arnoldo monacho „ adhuc scolari istud opus bonum & utile imposuit, ut chronicam domini Reginonis describeret; quod ipse alacriter & „ feliciter perfecisse demonstratur ex ipso suo manuscripto co„ dice, qui apud nos in hodiernum usque diem ad usum fra„ trum conservatur.

Hemmerod

Hemmenrodæ vel si mavis Himmenrodæ, promiscue enim scribitur, abbate absente nihil detectum, præter monumenta quædam, in templo monasterii, sepulcralia, quorum figuras delineari & ex ære inciso hic repræsentari curavimus, cum inscriptionibus, quæ principem Palatinam loquuntur & duos Spanhemii lineæ

Star-

(g) In *cod. diplom. Lauresham.* tom. II, num. 2174.

Fig. I.

Starckenburgensis comites, patrem ac filium. Pater est, cujus monumentum simplicissimum, HENRICUS JUNIOR COMES DE SPANHEYM. Nulla temporis nota adjecta, id quod difficilem reddit, quando is vixerit, conjecturam, plures in Spanh. familia cum fuerint Heinrici. At insignibus gentilitiis insidet lemniscus, qui Henricum nostrum juniorem ante patrem suum defunctum esse indicat. Lemniscus enim in scutis atque sigillis illustrium constans est juniorum nondum dominorum symbolum. Sigilla Spanheimensia, quorum magna copia superest, duos tantum Henricos offerunt symbolo hoc usos, alterum Johannis comitis in Starckenburg filium an. 1321, alterum clericum, præpositum nempe ecclesiæ Monasteriensis in Meyenfeld an. 1354. Laicum, non clericum, in lapide nostro gladius prodit. Fig. 1.

Prior Henricus *de Spanheym miles natus nobilis viri Domini Johannis comitis in Spanheim, qui est in Starkenberg*, isto, quem diximus, anno, appellatur in literis, quibus Pantaleoni fratri suo, canonico Argentinensi, futuræ hereditati paternæ maternæque in feudis & allodiis cum valediceret, annuam ducentarum librarum Hallensium pensionem ex bonis castri Birckenfels post patris decessum solvere promisit. In sigillo appenso nec *miles* nec *comes*, sed S. HENRICI DE SPANHEIM brevissime legitur. Novimus aliunde, Johanni II comiti filium fuisse Henricum, qui ducta Loretha Salmensi, octavo circiter matrimonii sui anno defunctus & in ecclesia Hemmenrodensi sepultus est, vivo patre, cui tres ex se nepotes reliquit, Johannem III, Henricum deinde præpositum ecclesiæ Argentinensis, ac Godofredum.

Johannes III is ipse est, quem epitaphium nostrum num. II loquitur his verbis:

OBIIT ILLUSTRIS DOMINUS JOHANNES COMES DE SPAYNHEYM SUB ANNO DOMINI MILLESIMO TRECENTESESIMO NONAGESIMO NONO IN VIGILIA SANCTI THOME APOSTOLI CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN SANCTA PACE. AMEN. Fig. 2.

Tertius lapis eſt Mechtildis, Johanni huic Spanhemio-Starkenburgenſi an. 1330 nuptæ, filiæ unicæ Rudolphi I Palatini electoris, adeoque Ludovici Bavari imp. ex fratre neptis. En elogium ejus ſepulcrale:

Fig. 3. OBIIT ILLUSTRIS DOMNA MECHTILDIS NATA DUCIS BAVARIE COMITISSA DE SPAINHEYM. SUB ANNO DOMINI MILLESIMO CCCLVII. IPSO DIE BEATE KATHERINE VIRGINIS. EJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE. AMEN.

Alia monumenta literaria, in quibus charta Henrici Palatini comitis Rheni Hemmenrodenſibus data an. 1209, & Johannis comitis de Spanheym, Catharinæ uxoris, Henrici fratris & Henrici filii literæ de capella caſtri ſui Starckenberg a ſacerdote Hemmenrod. perpetuo adminiſtranda an. 1349 ſcriptæ, ex tabulario monaſterii produxit Nicolaus Heeſius. (*h*)

Sprengirsb. Una veſpera d. XXII Jul. nobilis Sprengirsbacenſis canonicorum regularium ord. S. Aug. abbatiæ, a miniſteriali Sigefridi, Palatini Rheni comitis, femina ſub initium ſec. XII inſtitutæ, tabularium perluſtratum eſt ſingulari cum voluptate, quum inſtrumenta plura reperirentur autographa, quæ veterum Palatinorum noſtrorum comitum hiſtoriam illuſtrant haud parum. Edita eorum nonnulla ſunt a Tolnero atque Honthemio, ſed perquam vitioſe, ut a regula, ſecundum quam anecdota tantum proferre cupimus, recedendum hic nobis neceſſe videatur.

Pri-

(*h*) In libro minime obvio, cui tit. *Manipulus rerum memorabilium clauſtri Hemmenrodenſis ord Ciſterc.* &c. Coloniæ 1641 fol. Miſerat auctor Caſparo Jongelino, montis S. Diſibodi abbati, ut *Notitiae abbatiarum ordinis Ciſterc. per orbem univerſum* an. 1630 ibid. editæ insereret. Jongelinus, opere ſuo, cum acciperet, jam impreſſo, ſeparatim excudi curavit.

Primum itaque inſtrumentum eſt Brunonis archiepiſcopi Trevir. de fundatione Sprengirsbacenſis eccleſiæ an. 1107, quod Honthemius (*i*) primum vulgavit, omiſſis & corruptis magno numero vocibus. Benignam, abbatiæ conditricem, Tolnerus ex comitum Spanheimenſium, rectius ex Dunenſium dominorum proſapia Crollius (*k*) noſter, qui eandem hanc chartam egregie interpretatus eſt, deduxit. Num. XX

Wilhelmi Palatini comitis literæ, quas ſecundo loco, poſt Tolnerum atque Honthemium, rurſus proferimus, id ſingulare habent, quod plenior in ſigillo titulus, quam in literarum contextu. In hoc enim *Wilhelmus Dei gratia Palatinus comes;* in illo *Wilhelmus comes Palatinus de Reno.* Additamentum *de Reno* tum ab omnibus aliis, quotquot Germania habuit, Palatinis comitibus Wilhelmum diſtinguit, tum ſupra reliquos extollit. Sigillum hoc itaque æri incidi placuit. Num. XXI

Tertia charta de *mortuo Willehelmo Palatino comite* loquitur an. 1142, edita nuſquam, niſi quod Browerus (*l*) argumentum ejus prodidit. Wilhelmum autem biennio ante fuiſſe extinctum, aliunde novimus. Num. XXII

Sequuntur nunc duo Conradi III regis Rom. diplomata, alterum correctius longe, quam apud Tolnerum atque Honthemium, alterum nunc primum. Hoc autem venerabile nobis potiſſimum eſt teſtibus, qui nominantur, fratribus duobus, his verbis: *Herimannus Palatinus comes de Reno & frater ſuus Heinricus de Cacenelenbogen;* quo ſane pacto dubia hactenus Her- num. XXIII & XXIV

(*i*) Conf. ſupra pag. 41.

(*k*) *Erlaeut. Reihe der Pfaltzgrafen zu Achen* pag. 149 ſqq.

(*l*) *Annal. Trevir.* lib. XIV, §. XLVI.

manni Palatini vulgo de Staleck cognominati prosapia certior emergit, nimirum Catimelibocensis; cujus originis penitius investigandæ causa proposita publice est quæstio academica superius relata. (*m*) Diploma omni parte sua sanum atque illæsum. Caret tamen, quod mirum, licet non sine exemplo, loci ac temporis, quo datum est, mentione. Eundem defectum in Lacensis abbatiæ charta, non regia, sed Palatini comis Sigefridi, nec non in Piligrimi archiepiscopi Colon. literis donationis abbatiæ Brunvillarensi factæ, infra videbimus. Reges & principes superiorum temporum nullo in loco stabiles cum essent, instrumenta eorum sæpius alibi scribi coepta, alibi signata & expedita sunt, unde duplex in temporum annotatione formula *Actum* & *Datum* frequenter occurrit. Illud declaratæ voluntatis, forte & scriptæ, hoc expeditionis perfectæ tempus indicat. Quam facile cancellarius vel scriba ista principum instabilitate & diplomatum condendorum multitudine turbari potuit, ut oblivisceretur nonnunquam addere locum, diem & annum in diplomatum fine notari solitum.

Num. XXV & XXVI Renovarunt prius Conradi III diploma Fridericus I imp. Coloniæ an. 1171, & Henricus VI imp. Bopardiæ an. 1193. Utriusque confirmationis initium ac finem superioribus chartis annectimus. Henricianam Tolnerus (*n*) atque Honthemius (*o*) puplicarunt, in nominibus propriis valde vitiosam.

N. XXVII Accedit denique Conradi Palatini comitis de Rheno instrumentum an. 1183, ex apographo non parum corrupto. Dolemus jacturam exemplaris authentici tanto magis, quod sigillum Conradi hujus nullum hactenus inventum est.

Quod

(*m*) Pag. 14.

(*n*) *Hist. Palat.* cod. diplom. pag. 37.

(*o*) *Hist. Trevir. diplom.* tom. I, pag. 622.

Quod Sprengirsbaci contigisse diximus, ut chartas alias, a Tolnero atque Honthemio publicatas, ex autographis multum emendaverimus, alias detexerimus nondum cognitas, idem accidit ad Lacum in abbatia Benedictina, cujus situm atque structuram Marq. Freherus (p) & Christoph. Browerus (q) elegantissime descripserunt. Lacus, a quo nomen, abundans piscibus, luciis potissimum ac percis, an. 1694 glacie coopertus atque dimensus, longitudine quater mille trecentas & XLV II, latitudine ter mille nongentas & XLV, altitudine centum & VII ulnas, superficie omni spatium mille trecentorum & XXIII jugerorum continere inventus est; ut mirum non sit, Henricum Palatinum monasterii auctorem, dici in chartis & sigillis suis voluisse *Dominum de Lacu.* Chartas & sigilla tum Henrici hujus tum Sigfridi privigni ac heredis ejus, ex archetypis sistimus longe curatius expressa, quam quæ Tolnerus (r), scriptor historiæ Palatinæ præcipuus, produxit. Vix condonanda ei sive negligentia sive ignorantia, qua memorabile Sigfridi sigillum depravavit. Inscriptio quidem non integra, at tantum ejus superest, ut SIGIFRIDUS FRANCORUM RENI COMES PALATINUS haud difficulter erui possit. Forte fortuna neglectum a Tolnero *Francorum* nomen, quod maxime hic momenti, servatum est nobis, ut novam Palatinatus Rhenani nostri naturæ ac indoli lucem accendat. Hoc sane pacto non Aquensis, non Lotharingicus is dicendus est, uti dici nostra ætate cœpit, (s) sed Lach

 Fran-

(p) *Orig. Palat.* part. II, pag. 36.

(q) *Annal. Trevir.* tom. II, pag. 7 sq.

(r) Sigilla hæc cum aliis ex ære inciso repræsentavit *hist. Palat.* pag. 364, chartas autem in *cod. diplom.* num. XXVII sq. Exhibentnr porro cum sigillis chartæ istæ paulo rectius in scripto Lacensis abbatiæ: *documentirte Nachricht den flecken Bendorf betreffend* p. 151 & 154.

(s) Ita *Georg Christ. Crollius* in *erläuterte reihe der Pfalzgraven zu Achen oder in Niederlothringen*, Biponti 1762. Sagacissimus tamen hic rerum Palatinarum indagator Franciæ Rhen. comitivam Palatinam, pecu-

Francicus & quidem Francicus Rhenensis. Henricus de Lacu, vitricus Sigfridi, primum usus est *Rheni* titulo, quo Principes nostri adhuc utuntur. Addidit Sigfridus vocem *Francorum*, primarii Germaniæ omnis populi, quo ipso tituli ac muneris sui amplitudinem certiorem reddidit & auxit. Vides, quanta sit sigillorum præstantia & usus. Franci autem Rhenenses fuerunt cum superiores tum inferiores. Illi strictius Rhenenses, hi Ripuarii dicebantur, utramque Rheni ripam occupantes utrique. In Ripuariis, infra Mosellam, commorati ac dominati maxime sunt comites Palatini veteres Ezzonidæ, ad Rhenum superiorem ab Hermanno Staleccio posteriores omnes. Unicum tamen Sigfridum in unico hoc Lacensi sigillo, non alibi, pleno isto *Francorum Rheni comitis Palatini* titulo usum esse reperimus, id quod ipsius sigilli pretium maximopere auget.

Carent Sigfridi literæ, uti Conradi III regis diploma Sprengirsbacense supra memoratum, temporis ac loci, quibus datæ sunt, nota. At suppleri posse videtur hic defectus ex Henrici V regis diplomate an. 1112 nondum vulgato, quo tum prior Henrici Lacensis, tum posterior Sigfridi nostri donationes, novæ abbatiæ ad Lacum factæ, confirmantur. Loca tria in Brabantia quæ Sigfridum dedisse leguntur, hunc ex aviæ suæ, Adelæ Lovaniensis, hereditate consecutum fuisse, Crollius jam observavit (*t*); idemque loca reliqua, ab Henrico Lacensi tradita, ipsorumque situm pulcre nos docuit. (*u*)

Num. XXX

Annotandum vero, loca *Bettendorp* & *Himbach*, ab Henrico tradita & ab imperatore Lacensibus firmata, in Sigfridi literis præteriri silentio. Causam hujus silentii apperit nobis Conradi III regis

peculiari Henrici IV imp. beneficio, Palatinis, quos vocat, Aquensibus ab Henrici de Lacu temporibus commissam fuisse ingeniose conjicit ibid. p. 66 sq. imo ad nostram is ipse sententiam nuperrime demum proxime accessit in continuato eodem libro pag. 174.

(*t*) L. c. pag. 161.

(*u*) Ibid. pag. 127.

regis diploma an. 1138, quod ſuperioribus ſubjungimus, quippe quo Bedendorpium, unde Heimbacum pendebat, Sigfridum abstuliſſe Lacenſibus & cum locis quibusdam propriis, ut Henrico IV imp. ſatisfaceret, (*per quasdam conditiones aequas*) ei donaſſe ſcribitur. Mortuo nempe Henrico Lacenſi absque liberis comitatum Palatinum Rheni imperator jure dominii directi ad ſe retraxit, utque Sigfrido, privigno ejus, traderet, precibus & donis multis induci voluit. Bettendorfium itaque in Henrici IV & heredum ejus manibus remanſit, donec Conradus III nepos abbatiæ Lacenſi redderet, quod avum injuſte accepiſſe didicerat. Interea Henricus V tamen illa ipſa prædia, ex Henrici Lacenſis procul dubio literis donationis, abbatiæ confirmavit, quæ hac reluctante in poteſtate ſua ipſe retinuit. Solenne nimirum eſt in pluribus chartis ſive confirmationis ſive inveſtituræ feudalis cauſa ſcriptis ut ex antiquioribus inſtrumentis res, jura & bona referantur, quæ vel amiſſa pridem, vel & plane ignota ſunt. Conradi III diploma inter laicos primus, ante Walramum Limburgi ducem & filium ejus Henricum, *Wilhelmus comes Palatinus*, Sigfridi filius, teſtis ſignavit. N. XXXI

Hiſce accedunt ex ſeculo XIII duo libertatis & immunitatis inſtrumenta Lacenſi monaſterio data, alterum ab Henrico Limburgi duce an. 1218, alterum ab Henrico comite Saynenſi an. 1232. Prius genealogiæ Juliacenſi potiſſimum ordinandæ inſervit, quum de Wilhelmo comite Juliacenſi in peregrinatione ſ. crucis defuncto teſtetur. Wilhelmi enim plures in iſta gente a ſeculo XII longa ſerie comparent, quos per generationes a ſe invicem recte diſcerni difficillimum. In excerptis Cæſarii Heiſterbacenſis (*x*) prædicatam an. 1210 contra Albigenſes in tota Alemannia & Francia crucem, hancque anno ſequenti cum Leopoldo Auſtriæ duce & Adolpho comite de Monte Wilhelmum Juliacenſem ſuſcepiſſe N. XXXII & XXXIII

(*x*) Lib. V, cap. XXI, in *Leibnit. ſcriptor. rer. Brunsvic.* tom. II, pag. 519.

piſſe legimus. Perierat ergo Wilhelmus in ſacra contra Albigenſes expeditione, quum ex charta noſtra Henricus dux Limburg. feudum ejus Palatinum Briſeche & Luzzinc conſecutus fuiſſet, non proprio videlicet, ſed tutorio nomine; Wilhelmus, qui, ut ex inveſtitura Palatina novimus, circa an. 1209 demum patri ſucceſſerat, filios cum reliquiſſet impuberes. Limburgenſem autem Henricum tutelam illam geſſiſſe, multa, quæ hujus loci non ſunt, nobis perſuadent.

Altera Henrici Saynenſis, antiquæ gentis ſuæ poſtremi, charta Palaciæ, vulgo *Pallenz*, quæ in eo commemoratur, nomine nobis præſertim chara eſt. *Winningen*, *Cruthe* & *Mainevelt*, loca in ambitu Palaciæ hujus ſita, cum ipſa Palacia non alio ſane, quam feudali nexu ad Saynenſes pervenerant, quum & antiquiores Palatinos Rheni comites illa poſſediſſe, & poſteriores, Bavariæ duces, aliis in feudum contuliſſe compertum habeamus. Soror Henrici Saynenſis, Adelheidis, Gotfrido comiti Spanheim. nupta, novæ Saynenſium ſtirpi, quæ adhuc floret, originem dedit.

Bonn

Ad rariora pertinent, quæ viginti circiter adhinc annis Bonnæ inventa ſunt, monumenta Romana, in arce Electorali conſpicua, nec a quopiam, quod ſciam, haƈtenus publicata, unicum Pintaji Aſturis lapidem ſi excipias, cujus titulum ſaltem vitioſe dedit Aldenbrückius, vitioſiusque explicuit (*y*). Repræſentamus hic tria ex ære inciſo; quorum duo milites Romanos legionis XV ſiſtunt, tertium cohortis V Aſturum ſigniferum Aſturem. At neqne legionis iſtius ad Rhenum inferiorem præſidiariæ, neque cohortis lapidem ullum ab aliis proditum reperio. Apponimus ante omnia, quas lapides noſtri continent, uti verbis integris legendæ ſunt, inſcriptiones.

I

(*y*) *De religione antiquor. Ubiorum* pag. 103.

Fig. III.

PINTAIVS · PEDLIC ·
F · ASTVR · TRANS
MONTANVS · CASTELO
INTERCATIA · SIGNIFER
CHO · V · ASTVRVM
ANNO · XXX · STIP · VII
H · EX · T · F · C ·

I

QVINTVS PETILIVS QVINTI FILIVS OFENTINA (tribu)
SECVNDVS DOMO MEDIOLANENSIS
MILES LEGIONIS XV PRIMIGENIAE
ANNORVM XXV. STIPENDIORVM V.
HERES EX TESTAMENTO FACIVNDVM CVRAVIT

II

LVCIVS PIPERACIVS LVCII FILIVS
STELLATINA (tribu) OPTATVS
DOMO TAVRINVS MILES LEGIONIS
XV. PRIMIGENIAE ANNORVM XXIII.
STIPENTIORVM IV. HERES EX
TESTAMENTO FACIVNDVM CVRAVIT.

III

PINTAIVS PEDILICI FILIVS
ASTVR TRANSNONTANVS
CASTELLO INTERCATIA
SIGNIFER COHORTIS V
ASTVRVM ANNO XXX STIPENDIO
VII HERES EX TESTAMENTO
FACIVNDVM CVRAVIT.

Petilia gens in marmoribus antiquis obvia, Piperacia nusquam. Quintus Petilius Secundus noſter Mediolanenſis fuit, Lucius Piperacius Optatus ex Taurinis, uterque Gallus ſubalpinus, civitati ac tribui Romanæ adſcriptus, uterque legionis xv primigeniæ miles. Gallis enim hisce, in ciſpadanos & transpadanos diviſis, (ad illos Taurini, ad hos Mediolanenſes pertinent) jus civitatis. Rom. vel a Julio Cæſare vel paulo ante

jam fuerat tributum. (z) Legio XV ab Augusto imp. usque ad Neronem in Pannonia agebat. (a) Ex Pannonia jussu Neronis an. Chr. LXIV in Syriam & Armeniam migravit. (b) Cæso Nerone, sexennio post, ad Rhenum inferiorem cum prima, quinta & XVI legionibus Vitellium imperatorem consalutasse reperimus (c). Mox in Cappadociam missa est a Vespasiano imp. qui Cappadociæ primus legiones addidit, teste Suetonio. (d) Excubabat ibidem seculo III, Dionis Cassii tempore, cum novo *Apollinaris* cognomine. (e) Ex quibus omnibus colligimus, lapides nostros Neronis aut Vespasiani saltem regno haud esse juniores. Posteriora sunt, quotquot alibi hujus legionis monumenta prodierunt, quippe quæ Apollinarem cognominant universa.

Petilius cum hasta, gladio Hispaniensi in dextro latere ac perizonio seu pugione in sinistro, utrumque præter morem, sagatus sistitur; Piperacius tantum capite exsculpto inter sphinges, positis infra titulum arboribus, quas lauros puto, encarpo junctis.

Pintajus signifer, pelle tigrina tectus, gladium in femore sinistro gestat, perizonium in dextro. Inter cetera signi ornamenta aquila minor, non legionaria illa major, quæ summum fastigium occupat. In columna Trajana Romæ signiferi comparent leonis pelle induti, occurrentibus forte ut essent formidolosiores. Cinctura Pintaji duplex, aut si mavis triplex. Infra cingulum enim, gemmis interstinctum, quod dignitatis erat, zo-

(z) Vid. *Spanhemii orbis Rom.* cap. XI.

(a) *Tacit. annal.* I. 23, 30.

(b) Ibid. XV, 25 sq.

(c) *Tac. histor.* I, 55.

(d) In *Vespas.* cap. VIII, adde *Tac. hist.* II, 81.

(e) *Dio Cass.* LV, 23, edit. Reimar.

zonam videmus fibula, æque ac illud, conſtrictam. Infra zonam, ſubſidium vitæ, nummis quippe & aliis pretioſis ferendis diſtinatam, ventralis ſpeciem conſpici putat cl. Cannegieterus, Arnheimenſium prof. qui datis ad nos literis ita ſcripſit; „ Ventralis, quæ & funda, in diem nummos habebat, id eſt, tales „ quos in diem, horam & in diurnos uſus expendebat. Zona „ in uſus diuturnos & longinquos, aut pannus erat, aut corium duplex, òris conſtrictis & conſutis. Ea nummos intus „ & in cavo ſervabat, eâ nonnunquam laxitate, ut manum „ exſertam caperet. Ventralis ex funiculo erat, qui in modum „ fundæ ventrem circuibat. Nam funditores præter unam fundam, quam manu paratam geſtabant, alteram & plures circum ventrem ligabant, nonnunquam etiam circum caput.

Tres ex lapidibus antiquis Aſturum cohortes innoteſcunt, prima apud Muratorium, ſecunda & tertia apud Gruterum. Habemus nunc quintam ex titulo noſtro Bonnenſi.

Ad geographiam denique veterem idem hic lapis facit egregie. Pintajus enim fuit *Aſtur Transmontanus caſtello Intercatia.* Aſtures in Auguſtanos & Transmontanos fuiſſe diviſos Plinius (*f*) docet. Illi ab Aſturica Auguſta, urbe magnifica nomen habuere; hi a ſuo trans montes ſitu extremo. In utraque parte fuit Intercatia. Cismontanæ ſeu Auguſtanæ poſt epitomen Livianam (*g*), qua *Intercatiae urbis* expugnatio refertur, & Plinium majorem (*h*), qui in Vaccæorum civitatibus *Intercatienſes* primo loco ponit, Itinerarium Antonini meminit in via quæ Aſturica ducit Cæſarauguſtam. Poſt Aſturicam enim collocat Brigecum & Intercatiam. Hæc ad regnum Legionis nunc pertinent, cis montes Aſturiæ hodiernæ ſita.

(*f*) *Hiſt. nat.* lib. III, cap. 3.

(*g*) Lib. XLVIII.

(*h*) *Hiſt. nat.* l. c.

De Intercatia Transmontana altum ubique ſilentium, unicum ſi Ptolemæum excipias, qui Ornacis, obſcuriſſimo populo, eam adſcribit. Aſtures vero omnes ſecundum Plinium in XXII populos fuere deſcripti. Vaccæorum ſeu Aſturiæ cismontanæ Intercatia urbs & civitas cum dicatur, potior & nobilior longe ſine dubio fuit transmontanâ, quæ caſtellum tantum. Ceſpitavit miſerrime ad inſcriptionem hanc, quæ planiſſima eſt, Aldenbrückius, Pintajum faciens patriâ Caſtellanum ſeu Caſtilianum, militia Aſturem, & Intercatiam corrumpens in duas voces: *inter caſtra* &c.

Sunt inſuper alia quædam fragmenta lapidum de legione I Bonnæ conſpicua, præter tegulam lateritiam, quæ LEGIMPF habet, id eſt, *Legio I Minervia pia fidelis*, inſtituta primum a Domitiano in Germania inferiore, teſte Dione. Inſigne legionis hujus monumentum, in vico Herſel, unica infra Bonnam leuca adhuc extans, noſtro tempore publicavit & commentario docte explanavit Harzhemius. (*i*)

In eccleſia archidiaconali SS. Claſſii, Florentii & Maluſſii ſupereſt adhuc epitaphium Ruperti archiepiſcopi Colon. fratris Friderici I electoris Palat. an. MCCCCLXXX. die XXVI menſis Jul. defuncti. Epigraphen ſatis recte, in die mortis tantum vitioſam, Pareus (*k*) edidit.

Coloniæ Coloniæ paucis diebus oblatæ quædam ſunt tum veteris tum mediæ ætatis reliquiæ minime contemnendæ. Illas poſt Gelenium noviſſime collegit Auguſtinus Aldenbrück S. J. (*l*) nec in colligendo, nec in explicando felix. Vidimus modo peſſimam ejus explicandi rationem; nunc & oſcitanter collegiſſe, nobis

(*i*) *Inſcriptionis Herſellenſis Ubio-Romanae explanatio*, 1745.

(*k*) *Hiſt. Bavarico Palat.* lib. VI, ſect. I, pag. 220, edit. Joannis.

(*l*) In libro *de religione Ubiorum* modo cit. qui Coloniæ ſecundum prodiit an. 1749.

nobis ſaltem ſpicilegium haud inane reliquiſſe patebit. Ecce quinque, qui primum nunc prodeunt, titulos ſepulcrales:

I.

In ipſo rev. patrum S. J. Gymnaſio.

M. LVCILIVS SECV
NDVS DECVRIO
MI. EX ALA FRONT.
DOMO CAMP.....
LVCILIAE M. L. PAL
LADI M. LUCILIO
BLANDO LIB. H. E. T. F. C.

Decurio hic *militum ex ala Frontoniana*, cujus mentio hinc inde recurrit, (*m*) *M. Lucilius Secundus*, *domo* ſeu patria forte *Campanus*, titulum iſtam *Luciliae Palladi* & *Marco Lucilio Blando*, *libertis* ſuis, *heres ex teſtamento faciundum curavit.*

II.

L. NASIDIE
NVS. AGRIPP.
TRIBVN.
LEG. XIIII. GEM.

Habemus hic *Agrippinenſem*, *Lucium Naſidienum*, *Legionis XIV geminae tribunum.* Legionis XIV varias ad Rhenum ſuperiorem, in Britannia, Dalmatia, Pannonia ſtationes Alſatia illuſtr. Schœpflini, viri illuſtris, indicat. (*n*) In unaquaque legione ordinaria ſex numerabantur tribuni. Quæ cauſa ponendi lapidis

 fue-

(*m*) Ap. *Gruter. inſcript.* tom. I, pag. CCCCXIV, 8. & DXXXVII, 7.

(*n*) Tom. I, pag. 293.

fuerit, non liquet. Optime is conſervatus, variisque ornamentis conſpicuus docta quadam Colonienſium manu, in ipſius urbis honorem, delineari & explanari accuratius meretur.

III.

In domo quadam privata:

D. M.
POTENTINA SENNI
ANO CONIVGI CEN
TVRIONI LEG. XXII ET
SERVANDO FILIO
ET MAXIMINE FILIE
F. C.

Labaſcentis imperii hanc epigraphen eſſe, ex diphthongi AE neglectu & ex mutata nominum ratione apparet. Deſideratur & in *Potentina* & in *Senniano conjuge*, imo & in filiis eorum gentilitium nomen atque prænomen, cum cognominibus tantum ſuis hic ſint deſignati. Sub Commodo, Caracalla & Helagabalo legionem XXII, cujus centurio Sennianus fuit, excubaſſe ad Rhenum, aliunde novimus. (*o*)

IV.

Ad S. Severinum breviſſima hæc epigraphe:

D I G N I O
Q V A R T O
A P R O N I O
B V B A L V S
F R A T R I F.

Ex

(*o*) Conf. *Alſat. illuſtr.* l. c. pag. 440 ſq.

Ex Apronia gente conſul ſuffectus fuit Lucius ſub Auguſto imp. anno æræ Chr. octavo. Recentior longe & ignobilior hic Apronius noſter, cujus frater Bubalus cognomen equis & ſervis tantum imponi ſolitum gerebat.

V.

Colonia in muſeum antiquarium Electorale Mannhemium translatus eſt titulus ſequens:

. M. ET B. M. APPIE
VERINE. APPIVS
SEVERVS. ET
VERECVNDINIA
QVIETA. PATRES
FILIE DVLCIS
SIME

Deſideratur litera initialis D. qua admiſſa titulus hic *diis manibus & bonae memoriae Appiae Verinae* poſitus eſt. Idem forte Appius Severus *Abutae matri* ſuæ *leniſſime* Blanckenhemii prope Coloniam monumentum poſuit, quod extat apud Gruterum. (*p*) *Appius* enim, non *Appianus*, ibi legendum eſſe, nominum Rom. ratio nobis perſuadet. Ceterum *patres* pro parentibus, uti filii pro liberis utriusque ſexus, ſtilo lapidari haud infrequens. Exulant hic diphthongi, id quod indicium nobis eſt, lapidem ſeculo III haud eſſe antiquiorem.

Addimus denique ex armamentario publico ſarcophagi lapidei titulum, vitioſe ab Aldenbrückio (*q*) editum:

C. SE-

(*p*) *Inſcript.* tom. I, pag. DCCXVIII, 6.

(*q*) *De relig. Ubior.* pag. 95.

C. SEVERINIO VITEALI VETERANO
HONESTE MISSIONIS EX BF COS
LEG. XXX. V. V. SEVERINIA SEVERINA
FILIA PATRI KARISSIMO ADSEREN
TE VITALINIO HILARIONE LIBERTO
FACIVNDVM CVRAVIT.

Legionis xxx lateres multi Coloniæ reperti, in quibus unus habet: (r)

LEG.. XXX.
VIT.. ALIS F.

Si de Viteali noſtro accipiamus, is vel miles vel veteranus opus fecit figlinum. *Vitealis* cognomen rariſſimum; *Vitalis* contra frequentiſſimum. Legionem iſtam xxx Trajanus inſtituit, unde *Ulpia* cognominatur paſſim, ſæpiſſime autem V. V. id eſt, *valens*, *victrix*. *Adſerente*, quaſi anuente & cooperante, liberto, filia à patre *Severinia* ſarcophagum, multis figuris ornatum, fieri curavit. Figuras Aldenbrückius indicat, imo & explicat, ſed pro more ſuo antiquitatis perito nulli ſatisfacit.

Plurimum autem ad veterum comitum Palatinorum notitiam faciunt membranæ, quæ Coloniæ in tabulario abbatiæ Brunvillarenſis, ab ipſis his Palatinis ſeculo XI inſtitutæ, ſervantur. Brunvillarenſem appello ex vera & primæva appellandi ratione, qua relicta Brunvillare, id eſt, Brunonis villam, in *Brauweiler* corruperunt juniores. Abbas hodiernus, Amandus Herriger, doctus pariter & amantiſſimus literarum, publice hic a nobis laudandus eſt, quod tum ad conferenda & emendanda chartarum exempla ab aliis jam edita, tum ad tranſcribenda, quæ

(r) *Gruter.* l. c. pag. DXV.

quæ nondum in lucem prodierant, autographa plura humanissime suppeditarit. Primum itaque nunc producimus ipsius abbatiæ fundatoris, Ezzonis, comitis Palatini, chartam optimæ notæ, qua S. Nicolao in Brunvillare res suas in *Lovenich*, vico proximo, tradidit an. 1028, coram Christiano de *Hudenkirchen* & Hermanno de *Norvenich* comitibus. Prima forte & antiquissima hæc sunt comitum a sedibus suis nuncupatorum vestigia; quæ toto seculo XI perrara. Uterque locus, Hudenkirchen & Norvenich, in vicinia superest. Ille Coloniensis ditionis *Odenkirch* nunc dicitur, ad præfecturam Nussiæ pertinens; hic peculiarem ducatus Juliac. præfecturam constituit. Impressum sigillum Piligrimi archiepiscopi Coloniensis, rogante Ezzone, vel quod proprium ipse nondum habuerit, vel quod donationem suam viri sancti auctoritate sanctiorem reddere voluerit. Sigillo hoc præsul repræsentatur sedens, dextra baculum pastoralem, sinistra librum tenens cum perigraphe: PILIGRIMUS ARCHIEPS. N.XXXIV

Sequuntur tres ejusd. Piligrimi archiep. chartæ, quibus ejusdem monasterii initia narrantur, confirmantur, augentur. In prima, quæ brevior, *Brunwilre* allodium dicitur Erenfridi, in altera, quæ prolixior, dos conjugis ejus Mathildis jam tum defunctæ. In utraque Hecelinus comes, Erenfridi Palatini frater, comparet, monasterii S. Cornelii benefactor insignis; in secunda præterea Erenfridi filii, Herimannus & Otto, commemorantur. Prima diem habet & annum, quo data est, sine testibus, secunda annum tantum, multis cum testibus, in quibus Herimannus comes de *Norvenich* iterum occurrit. Tertia denique, quæ brevissima est, die, anno & testibus caret, non sigillo. Dedit ea Piligrimus curtem intra muros urbis Colon. sitam cum domibus. Curtem hanc hodieque possident Brunvillarenses, suasque ibidem tabulas veteres asservant. N. XXXV XXXVI N.XXXVII

Ceterum omnes has Piligrimi chartas ex historia mst. Brunvillarensi primum publicarunt Martenius atque Duran-

dus; (s) nos ex ipsis autographis iterum publicamus multo correctiores, tanto magis, quod Palatinatus nostri Rhenensis incunabula fere continent.

Cæsareum diploma ante an. 1051 nullum, hoc vero uno anno, duobus Julii & Septembris mensibus, septem comparent.
N.XXXVIII Primo quidem, XVI Kal. Augusti, bona novi monasterii proxime sita, Hermanni archiepiscopi Colon. Richezæ reginæ & Theophaniæ abbatissæ, Erenfridi fundatoris liberorum, assensu amplissime confirmantur. Sequenti die cæsar, Henricus III, eodem
N. XXXIX in loco, id est, in Kauffungen, donationem Richezæ reginæ, quæ prædium suum Clotten cum multis aliis locis ad Mosellam Brunvillarensibus tradiderat, ejusque de bonis his ordinationem approbavit. In fine diplomatis testes adducti leguntur, quod
Num. XL isto sane tempore rarissimum. Eadem die, rogantibus iterum Herimanno archiepiscopo & Richeza regina, peculiaris de advocato monasterii constitutio cæsarea ibidem prodiit; imo duo hujus rei instrumenta authentica, quæ parum inter se differunt, confecta sunt.

Sic prima & secunda, quam modo diximus, confirmatio renovata quoque est in insula S. Suitperti, hodie *Kaiserswerd*, XIII Kal. Sept. ejusdem anni, & quidem duplici instrumento, quorum alterum loca *Brunvilere*, *Lovenich*, *Fremmerstorph*, *Cunengestorph*, *Danswilere*, *Glessene*, *Kirchtorph*, *Senthere*, *Manstede*, *Ichendorph*, *Slenderhage*; alterum vero *Clottono*, *Chevenich*, *Elre*, *Brembe*, *Asche*, *Massenbreith*, *Weruuis*, *Cauelach*, *Wilre*, *Pulecho*, *Chugomo*, *Chundedo*, *Meirle & Rile*, *Anchriche*, *Lucenrode*, *Dreise* & *Ottinge recenset*.

Superiores tres, quas proferimus, Henrici III imp. chartas, ante nos Gelenius (t) & ex Gelenio Tolnerus (u) juris publici

(s) *Vet. scriptor. et mouumentor. ampliss. Collect.* t. I, pag. 393 sqq.

(t) In *hist. et vindic. b. Richezae* pag. 25 sqq.

(u) *Hist. Palat.* cod. diplom. num. XXIX, XXX, XXXI.

blici fecerunt. Duas tantum earum habent Martenius atque Durandus. (x) Nos lectiones & voces perplures, ab editoribus hisce corruptas, ex autographis emendamus atque restituimus.

Succedunt ipsius Richezæ literæ de nova in Clotten donatione sua, VII idus Sept. an. 1051 scriptæ. Num. XLI

Venit post cæsarem in partes Leo IX pontifex Rom. non ut abbatiæ privilegia augeret, sed ut eam Coloniensi ecclesiæ perpetuo addiceret, solicitante plurimum Hermanno archiepiscopo, Num. XLII
Erenfridi Palatini, uti vidimus, filio. Ab illo itaque tempore Brunvillarense monasterium episcopi & metropolitæ sui ditioni legitima omni auctoritate subditum est. Præterimus aliam Richezæ reginæ membranam, qua fratris sui, Ottonis ducis beatæ memoriæ, nec non Heinrici comitis, filii fratris sui Liudolfi, mentionem facit. Inter testes Heinricus comes Palatinus, Richezæ patruelis. Dederunt istam Gelenius (y) atque Tolnerus (z), sed rectius longe Martenius & Durandus (a), nisi quod in anno 1050 saltem peccaverint, cum data sit VII idus Sept. MLIIII.

Præterimus insuper repetitam ejusdem Richezæ traditionem prædii sui Cloteno & reliquorum ad Mosellam locorum, factam „anno MLVI, indictione VIII apud insulam S. Suitperti, „ Heinrico imp. hujus nominis secundo ibidem commorante, „ anno regni ejus XVIII, imperii autem X. „ Congruit enim per omnia cum diplomate Henriciano anni 1051, quod inter documenta num. XXXIX exhibemus. Majoris momenti est charta Num. XLIII
Annonis archiepiscopi Colon. de castello Salafelt, Koburg & Orla (Orlamund) a Richeza regina ecclesiæ huic suæ traditis pro

I 2 villis

(x) *Amplis. collect.* tom. I, pag. 427 & 430.

(y) Lib. cit. pag. 32.

(z) L. c. num. XXXIV

(a) L. c. pag. 424.

villis Rhenanis ſeptem ad paucos, quos deinceps vixit, dies in precariam acceptis. Data eſt VII Kal. Jul. 1057. Inhæret adhuc Annonis ſigillum colore ſubrubrum. Scatent vitiis, quæ edita pridem ſunt, hujus chartæ exempla. (*b*) Patefacit illa nobis egregie Annonis artes, quibus toti Germaniæ, uti ex Henrici IV regis hiſtoria patet, fuit damnoſus.

Iisdem Annonis artibus, cooperante nequitiæ magiſtro, Adelberto Bremenſi, factum, ut Henricus rex puer *nonam*, non
Num. XLIV decimam, *pecuniae ſuae partem*, *undecunque adquiſitam*, eccleſiæ Colonienſi condonaret Goslariæ menſe Jul. an. 1063. Appendet diplomati bulla plumbea, in qua regis dextra ſceptrum tenentis imago cum perigraphe: ✝ HEINRICUS REX. In altera bullæ parte figura turris viſitur cum inſcriptione: ✝ ROMA CAPUT MUNDI.

Num. XLV Pro peccatis ſuis Anno eccleſiam collegiatam b. Mariæ ad gradus ædificavit & largiſſime locupletavit, dato ei multa alia inter bona ex Brunvillarenſis monaſterii peculio, quod Richezæ reginæ liberalitati debebat, Clotteno. Femina hæc pro ſua apud Brunvillarenſes, ubi parentes ejus jacent, ſepultura monachis viginti & unam arpennas in Clotten aſſignaverat. (*c*) Defunctam Anno in nova ſua eccleſia nondum perfecta ſepelivit, & omne iſtud prædium invitis Brunvillarenſibus, quod ipſe non negat, eripuit.

Nec duravit multum hoc Annonis opus, quippe quod brevi poſt *exigentibus peccatis ex combuſtione in cineres redactum.* Hæc ex
Num. XLVI Sigewini archiepiſcopi, ſucceſſoris ejus, literis an. 1085 datis, in quibus, quod maxime ad nos ſpectat, inter teſtes ſeculares primo loco nominatur *Heinrich comes de Lache*, idem, qui Palatinus

(*b*) Ap. *Gelenium* l. c. pag. 34, *Tolner.* l. c. num. XXXIII, *Martene et Durand.* l. c. pag. 446.

(*c*) Vide document. num. XLI.

tinus Rheni comes eodem hoc anno factus Lacensem abbatiam, de qua supra, (*d*) instituit, Ezzonis seu Ehrenfridi, a quo sine dubio descendit, imitatus exemplum.

Duas has posteriores chartas vidit Gelenius & fragmenta earum suis de *magnitudine Coloniae* libris (*e*) inseruit, omissis potioribus studiose, ne Annonis forte sui memoriæ noceret.

Litem abominabilem inter ecclesiam b. Mariæ ad gradus & abbatiam Brunvillarensem de prædio Clotten diu agitatam Hermannus III archiepisc. an. 1090 sopivit, testibus literis, quas nec ad autographi fidem, nec plene satis expressas alibi legas. (*f*) N. XLVII

Aperto Richezæ in ecclesia b. Mariæ ad gradus sepulcrali monumento, inventus est, præter cranium & ossa, discus plumbeus novem pollices & amplius latus cum inscriptione, qua suos Gelenius (*g*) libellos exornavit. Plumbum, quod metalli genus humiditate subterranea vitiari minimum potest, literis inscriptum in illustrium mediæ ætatis personarum sepulcris frequentissime reperitur, varia forma, oblonga maxime & quadrata; rotunda rarius. Ectypon lamellæ plumbeæ, in sarchophago marmoreo b. Irmengardis, primæ abbatissæ Chiemseensis, an. 1630 inventæ, monumenta Boica (*h*) exhibent. Ducum Austriæ sepulcra in Helvetia celsissimus & literatissimus princeps, Martinus Gerbertus, congregationis S. Blasii in Nigra silva abbas celeberrimus, ut eorum ossa colligeret & in abbatiam suam transferret, cum nuper aperuisset, octo hujus generis lamellas detexit atque formis ligneis expressit in libello de translatione hac peculiariter edito. (*i*)

(*d*) Pag. 53.

(*e*) Lib. III, syntagm. VII, pag. 305 sq.

(*f*) Apud *Martene* & *Durand* l. c. pag. 530.

(*g*) *De magnitudine Coloniae* pag. 313 & *vindiciae b. Richezae* pag. 42.

(*h*) Vol. II, pag. 444.

(*i*) *Feyerliche überſezung der Kaiserl. Königl. auch herzogl. Oesterreichischen*

Ecce disci nostri & literarum ejus formam paulo imminutam:



---

schen Leichen aus ihren grabstädten Basel und Königsfelden in der Schweiz, nach dem fürstl. Stift S. Blasien 1770 fol.

Annotandum autem hic præcipue eſt, diſcum noſtrum plumbeum, qui Richezam an. MLVII. II idus April, ſepultam eſſe docet, adverſari multum Annonis archiepiſcopi chartæ infra (num. XLIII) exhibendæ, qua Richeza hæc prædia ſua Salfeld & Coburg tradidiſſe ſcribitur eodem an. MLVII indict. X, VII Kal. Jul. Adverſari inſuper antiquæ monachi Brunvillar. narrationi, quæ reginam iſtam an. 1063, XII Kal. Aprilis apud Saleveldt defunctam eſſe tradit. (*k*)

N. XLVIII Dominii archiepiſcopalis in rebus temporalibus Brunvillarenſium exerciti documentum eſt ejusdem Hermanni III morti ſuæ proximi conſenſus, ut novale faciant in ſilva ſua Bram ad manſum unum ſufficiens. Charta hæc an. 1099 nunc primum prodit in lucem.

N. XLIX In genealogicis ſaltem uſum quendam habebit, quæ jam ſequitur, Lotharii III regis ſententia judicialis a Brunvillarenſibus contra Alveradam de Cuch & liberos ejus Nuſſiæ impetrata an. 1131.

Num. L In eundem præſertim uſum Arnoldi archiepiſcopi Colon. literas producimus, qua domum quandam ſuam ad Moſellam cum terra Brunvillarenſibus contulit an. 1140. Inter teſtes occurrunt comites & dynaſtæ complures.

Num. LI Lotharii regis ſententiam judicialem contra Adelbertum comitem de Norvenich ſtabilivit Conradus III Coloniæ an. 1141, *aſſenſu fratris* ſui *Heinrici Palatini comitis.* Intermedius itaque inter Wilhelmum & Hermannum de Staleck comes Palatinus Rheni fuit, quod univerſi rerum Palatinarum ſcriptores neſciebant, Henricus, Conradi regis frater uterinus, cum uterque matrem habuiſſet Agnetem, Henrici IV imp. filiam, patrem diverſum. Nam Agnes, iſta Friderico I Sueviæ duci primo matrimonio, ex quo Fridericus II dux & Conradus ille cæſar prodiere, altero marchioni Auſtriæ, Leopoldo ſancto, nupſerat, unde filii Leopoldus

(*k*) In *Leibnitii ſcriptor. rer. Brunsvic.* tom. I, pag. 322.

poldus Largus, Henricus noſter, Otto Friſingenſis epiſcopus & alii. Non deſunt tamen aliæ ejusdem Conradi regis tabulæ, quæ eodem hoc tempore Henricum Palatinum comitem ſiſtunt, unde fuerit, ſilentes. Occurrit teſtis poſt Adelbertum Saxoniæ & C. Burgundiæ duces in diplomate eccleſiæ Friſingenſi dato Francofurti V nonas Maj. 1140, (*l*) nec non anno ſequenti, IV idus Aprilis Argentorati, ubi rex transactionem Baſilienſis eccleſiæ cum abbatia S. Blaſii confirmavit, ante Fridericum ducem Sueviæ ejusque filium Fridericum, poſtea imperatorem. (*m*) Noſtro vero ex diplomate Henricus cum Conrado rege Coloniæ agebat menſe Sept. ſucceſſurus mox in marchionatu Auſtriæ, imo & in ducatu Bavariæ, fratri ſuo Leopoldo, qui d. XV Nov. ejusdem anni 1141 ſine prole deceſſit; (*n*) unde locus demum in Palatinatu Rhenano factus eſt Hermanno Staleccio.

Chartæ recentiores aliæ, ex Brunvillarenſi tabulario deſcriptæ, ad Juliacenſium comitum hiſtoriam quæ maxime faciunt, tempore & loco alio magis idoneo publicam prodibunt in lucem.

Benradæ ſupra Duſſeldorpium ad Rhenum ſarcophagus ſeptem pedes longus cum geniis alatis effoſſus eſt an. 1671, die 1 Febr. ſimillimus ejus, quem ex Alſatia Schœpflinus (*o*) produxit. Inter genios duos epigraphe hæc legitur: Benrad

AVRELIAE MARIAE AVRELIA AFRA
FILIA. ET AVRELIA QVIRINA. BEHLINA
PACATA NEPTES. CVRANTE
PRISCINIO FLORO VETERANO
HEREDES FACIVNDVM CVRAVERVNT.

K Mater

(*l*) *Meichelbeck hiſt. Friſing.* tom. I, pag. 320.
(*m*) *Herrgott genealog. Habsburg.* vol. II, pag. 166.
(*n*) *Otto Friſing. chron.* lib. VII, cap. 25 ſq.
(*o*) *Alſat. illuſtr.* tom. I, pag. 524.

Mater itaque, filia & neptes tres ex gente *Aurelia* fuerunt. Mater *Maria*, filia *Afra*, neptes *Quirina*, *Behlina* & *Pacata* cognominabantur. Opus curavit *Prifcinius Florus veteranus*. Sunt hinc inde compendia literarnm, duabus vel tribus in unam contractis. Pars farcophagi, quæ epipraphen continet, nunc & in antiquario Electorali Mannhemii fervatur.

Duffeldorf

Duffeldorpii in arce ducali muro inferta fuit, præter fignum Panthei, alio loco & tempore curatius exprimendum, (*p*) infcriptio fepulcralis, hisce verbis:

D. M.
P. GRATINI
PRIMI. VETR.
LEG. XXX. V. V.
H. F. C.

En alium veteranum *Legionis XXX valentis victricis* (*q*) *Publium Gratinum Primum*. *Heres*, nullo nobis nomine cognitus, *faciundum curavit*.. Uterque lapis nunc & Mannhemii confpicuus. Sepulcralem Duffeldorpienfem alium, in quo veteranus legionis XXII, dedit Reinefius. (*r*)

Duffeldorpium præterea, in eandem arcem ducalem, ex Kaiferswerda translatus eft anno hujus feculi fecundo lapis, cui infcriptus cum anno 1183 hexameter duplex, hoc modo:

ANNO. AB. INCARNAT. DNI. NRI IHV. X. M. C. LXXX. III
HOC. DECVS. IMPERIO. CESAR. FREDERICVS. ADAVXIT.
IVSTICIA. STABILIRE. VOLES. ET. VT. VNDIQVE. PAX. SIT.

Fride-

(*p*) Caput turritum eft, fupra caput aquila, in manu dextra fpicæ, in finiftra ungues leonis, caput Medufæ in pectore, adeoque Cybelem, Jovem, Cererem, Herculem atque Minervam repræfentat.

(*q*) Conf. fupra pag. 64.

(*r*) *Syntagm. infcript.* claff. VIII, n. 31.

Fridericus I imp. itaque castrum Kaiserswerdense, quod nunc in ruinis, ut Rheni inferioris securitati prospiceret, munivit & auxit. Locus hic, ab insula, quæ exsiccato minore Rheni alveo plane disparuit, nomen habens, eodem nostri itineris anno ex Coloniensi ditione, cui oppigneratus fuerat, post longam in judicio supremo litem ad Juliacensem ducatum tandem redierat.

In tabulario denique Dusseldorpiensi exscriptæ sunt litteræ antiquiores feudales, quas a Palatinis nostris electoribus, Henrico Brunsvicensi an. 1209, Ottone Illustri, Bavariæ duce, an. 1233, Ruperto I an. 1343, & Ruperto II an. 1395, Juliacenses comites ac duces, Palatinatus Rhenani vasalli majores, acceperunt. Iis in sua de comitatu Nemoris dissertatione, quæ inferius comparet, socius itineris usus est Kremerus; qui & collectam tum sigillorum Heinsbergensium seriem jam alibi protulit. (s)

Juliaci, cui à Julio Cæsare vocabulum inditum putatur, elegantes quædam Romanorum inscriptiones sepulcrales repertæ, indeque Mannhemium summo jussu perlatæ sunt; indicio manifesto, Romanos locum hunc primis imperii sui temporibus certissime incoluisse. An. 1756 erutus demum est in horto RR. PP. Soc. J. lapis quadratus cum sequenti perpulcra epigraphe: Jülich

F L. M A T E R N A E
Q. R O M A N I V S
P R O B V S. V X O R I
R A R I S S I M A E
F E M I N A E. F E C.

Plana hic sunt omnia, nulloque interprete indigent. Dein in muro diversorii ab Eugenio principe nuncupati titulus extabat sequens:

 AQVI-

(s) *Akademische beitraege zur Gülch- und Bergischen geschichte*, ubi septem sigillorum horum tabulæ ex ære inciso.

AQVILEIAE
LEFAE. MARI
SOLEMNIS
ET. SEVERVS
FIL. ET. H. F.

Marii fratres, *Sollemnis* & *Severus*, matri suae, *Aquilejae Lefae*, *fecerunt*, *filii* & *heredes*.

Aquisgrano in nobilia S. Cornelii & Porcetense monasteria qui facti sunt excursus, rei nostrae literariae parum profuerunt; illud quod sine abbate tum esset, hoc quod instrumenta antiqua non alia communicasset, quam quae ab aliis jam sunt edita. Porcetensia enim habet Lunigius, (t) ubi tamen nomina pagorum *Julichgouui* & *Ribuariensi* corrupte per *Julichoi* & *Riburiensi* expressa leguntur.

Festinato inde per Leodium, ubi praeses honorarius Bruxellas solus divertit, novae societati literariae ibidem instituendae manum quoque auxiliatricem porrecturus, per Condrusios, Paemanos, Lucelburgenses, Saraepontanos, Bipontinos itinere, d. 28 Aug. cum spoliis nostris, quae maximam nunc partem juris publici fiunt, domi bono cum Deo reduces conquievimus.

(t) *Spicileg. eccles.* tom. III, de abbatissis pag. 302 sqq.

DOCU-

III.
ad pag. 21.

Charta Limburg. 1097.

VI.
ad pag. 52.

Charta Springirsbac. 1140.

DOCUMENTA.

Num. I.

Ottonis I regis donatio praedii in Ubtusheim, in pago Logenahe, in comitatu Chuanradi comitis, an. DCCCCXL.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divina favente clementia rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, qualiter interventu DIETHARDI venerabilis epiſcopi noſtri, nec non & CHUANRADI dilecti comitis noſtri, tale prædium, quale EBURHARDUS comes in loco *Ubtusheim* in pago *Logenahe* in comitatu prænotati Chuanradi habere videbatur, & ab Volcuando comcambiavit, ad æccleſiam, quae in loco *Lintburc* in honore beatiſſimi martyris Georgii conſtructa eſſe videtur, augmentanda clericorum ididem Deo famulantium alimenta firmiter in proprium donavimus, cum omnibus pertinentiis ſuis, cum curtibus & curtilibus, mancipiis, aedificis, agris, pratis, paſcuis, ſylvis, cultis & incultis, aquis, aquarumve decurſibus, exitibus & regreſſibus, quæſitis & inquirendis, omnibusque ad eandem proprietatem jure ſubſiſtentibus. Hujus igitur munificentiæ noſtræ largitionem adfirmando hoc præceptum juſſimus conſcribi, per quod firmiter jubemus, quatenus eandem proprietaten nullus alicui in beneficium donare, vel aliquo modo inde abſtrahere præſumat, ſed ad nutrimentum clericorum illic Chriſto militantium, absque ullius obſtaculo æternaliter perſiſtat. Et ut hoc verius credatur, manu noſtra illud firmavimus, & anulo noſtro inſigniri præcepimus. Ex autographo.

Signum domni OTTONIS invictiſſimi regis.

POPPO cancellarius ad vicem FRIDURICI archicapellani ſubnotavi.

Data XII kal. Marcii anno incarnat. Domini DCCCCXL. indictionum XIII. anno autem Ottonis regis V. actum *Quitelingoburc* in Dei nomine amen.

Num. II.

Henrici IV regis donatio ſex manſorum in tribus locis pagi Logonahe, in comitatu Imbrichonis, an. MLIX.

Ex autographo

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis HEINRICUS divina favente clementia rex. Omnibus Chriſti noſtrique fidelibus tam futuris quam præſentibus notum eſſe volumus. qualiter nos ob interventum dilectiſſimæ genitricis noſtræ AGNETIS imperatricis auguſtæ. nec non ob remedium patris noſtri felicis memoriæ HEINRICI imperatoris auguſti. ſimulque ob petitionem capellani noſtri Jmbrichonis. ſex manſos. tres ſcilicet in villa *Brechelebach*. duas *Seckaha.* (*u*) unam *Weſternaha*. (*x*) in pago autem *Logonahe*. & in comitatu IMBRICHONIS comitis ſitos. ad altare ſancti Georii martiris in loco *Linpurc* dicto. cum omnibus pertinentiis ejus. hoc eſt utriusque ſexus mancipiis. areis. ædificiis. terris cultis. & incultis. agris. pratis. paſcuis. campis. ſiluis. venationibus. aquis. aquarumque decurſibus. molis. molendinis. piſcationibus. exitibus. & reditibus. viis & inviis. quæſitis. & inquirendis. ac cum omni utilitate quæ ullomodo inde provenire poteſt. in uſum fratrum ibidem Deo ſervientium. in proprium dedimus atque tradidimus. ea videlicet ratione. ut predicti fratres de prefato predio liberam dehinc poteſtatem habeant tenendi. commutandi. precariandi. vel quicquid eis pro utilitate ſua placuerit inde faciendi. Et ut hæc noſtra regalis traditio ſtabilis & inconvulſa omni permaneat ævo. hanc cartam inde conſcribi manuque propria ut ſubtus cernitur corroborantes. ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Signum domni HEINRICI quarti regis. GEBEHARDUS cancellarius vice LIUTPALDI archicapellani recognovi.

Data

(*u*) Seck in principatu Naſſovio-Hadamarienſi.

(*x*) Hod. Weſternohe in comitatu Diez.

Data eſt VI kal. Junii. anno dominicæ incarnationis M.L.VIIII. Indictione. XII. anno autem ordinationis domni Heinrici quarti regis. V. regni vero III. Actum *Goslare* in Dei nomine faeliciter amen. (*y*)

Num. III.

Henricus IV rex manſos duos in Logenahe, a matre ſua Agnete S. Georgio in Lintburg traditos, eccleſiae huic confirmat, an. MLXII.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis HEINRICUS diuina fauente clementia rex. Notum eſſe uolumus omnibus Chriſti noſtrique fidelibus tam futuris quam preſentibus. qualiter dilectiſſima genitrix noſtra AGNES imperatrix auguſta nos adiens. rogauit ut duos manſos quos pater noſter diuæ memoriae HEINRICUS imperator auguſtus pro dote ei dederat. unum in *Haderichesbach* (*z*) & alterum in *Hildenhagen*. (*a*) quosque ipſa pro remedio animae ſupradicti genitoris Heinrici ſueque ſco Georgio ſcoque Cuonrado in *Lintburg* dederat, collaudaremus & confirmaremus. Cuius petitioni conſenſum prebentes eosdem ſupradictos manſos cum omnibus eorum pertinentiis. hoc eſt areis. aediſiciis. terris. cultis & incultis. pratis. paſcuis. campis ſilvis. uenationibus. aquis aquarumve decurſibus. molis. molendinis. piſcationibus. exitibus & reditibus. uiis & inuiis. queſitis & inquirendis. ac cum omni utilitate que inde ullomodo prouenire poteſt. prefatis ſanctis GEORGIO & Cuonrado tantummodo ad communem utilitatem fratrum eis famulantium concedentes. lau-

Ex autographo.

(*y*) Impreſſum ſigillum majeſtaticum cum perigraphe: HEINRICVS DI GRA REX. In dextra ſceptrum cum avicula impoſita, in ſiniſtra pomum crucigerum.

(*z*) Hersbach in præfectura Trevirenſi Montabauer.

(*a*) Hildenhayn citra Weſterburgum.

laudauimus & confirmauimus. ea videlicet racione, ut nulla perſona grandis vel parua. hanc noſtram regalem confirmationem audeat infringere. ſed idem ſupradicti fratres eiusdem predii quod jacet in predictis uills in comitatu uero EMBRICHES comitis & in pago *Logenahe*. liberam amodo poteſtatem habeant tenendi commutandi precariandi. Et ut haec noſtra regalis augtoritas nunc & in aevum ſtabilis & inconvulſa permaneat. hanc cartam inde conſcriptam manu propria corroborantes. ſigilli noſtri inpreſſione juſſimus inſigniri

Signum domni HEINRICI quarti regis.

FRIDERICUS cancellarius vice SIGIFRIDI archicancellarii recognoui.

Data VI kal. Mart. anno incarnat. Dni M.LXII. Ind. XV. anno autem Heinrici IIII regis. ordinationis. VIII. regni vero VI. actum *Goslarie* feliciter amen.

Num. IV.

Adelheidis Palatina comitiſſa beneficium capellani ſui Manegoldi Limburgenſi eccleſiae tradit an. MXCIIII.

Ex autographo

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. ADELHEIT Palatina comitiſſa divinâ preordinante clementia. Noverint univerſi amatores ſanctæ eccleſiæ. quod ego peccatrix. præſente volenteque filio meo SIGEFRIDO. una cum pluribus ſacri ordinis viris. multis quoque laicorum aſtantibus tam liberis quam ſervis. beneficium Manegoldi kapellani mei. ipſo pariter conſentiente. atque operam dante. propter animæ meæ ſalutem. domnique mei HERIMANNI perpetuam redemptionem ſancto Georgio Lintburgenſi canonice famulantibus habendum delegavi atque condradidi. hoc pacto ſcilicet. ut idem homo. dum ego advixero. mihi ſerviat jure beneficiario. Si vero mihi ſuperſtes fuerit. rurſus ut ante bonis ſuis utatur ad integrum. usque ad vitæ ſuæ terminum. quiete & ſecure vivendo. nichil inde ſervitii cuiquam re-

refpondendo. præter VI den. in anno fratribus fingulos. de fingulis manfis. videlicet ob geftæ rei monimentum. Mox autem ut ex hac luce migraverit. tunc præfati martiris canonici habeant ea poffideant in omnibus. ita libere atque proprie. ficut ego hæc eadem unquam liberius vifa fum habere. Hanc itaque ordinationem & memoriale decretum volentes in fempiternum ftabiliri. juffimus illud in auditu omnium qui fimul nobiscum aderant publice promulgari. deinde fcriptis & figillo noftro confirmari. ut fi quis contra hoc venire temptaverit & poteftative. vel quocunque malo ingenio infringere, feu emutare præfumpferit. divinâ condemnatus auctoritate infolubili vinciatur anathemate.

Actum in *Limburck* in pago *Logenahe* fub fereniffimo imperatore HEINRICHO. anno imperii ejus XXXVIII. anno Dominicæ incarnationis. M.LXXXX.VII. in Dei nomine feliciter amen.

Num. V.

Adelbertus archiep. Mogunt. donationem fuperiorem confirmat an. MCXXIV.

In nomine fanctæ & individuæ Trinitatis. Adelbertus Dei gratiâ Mogontienfis ecclefiæ archiepifcopus. Noverit omnium in Chrifto dilectio fidelium tam prefentium, quam futurorum, qualiter fratres in *Limpurg* fervitio Domini & beatiffimi martiris ejus Georgii ibidem deputati, noftram aliquando adiere charitatem, rogantes nos fuper beneficio illo. VI. videlicet manfis in villis *Bifena* & *Muede*. quos ADELHEIT *cometiffa* pro remedio animæ conjugis fui domni HERRMANNI *Palatini Comitis* præfato martiri. ipfis autem in elemofinam contradidit. ut hanc videlicet traditionem noftræ auctoritatis gratiâ corroboraremus. & corroborando inconvulfam pro noftrâ falute, omniumque fucceflorum noftrorum hujus fanctæ fedis epifcoporum dimitteremus. Nos vero petitioni ipforum volentes fatisfacere. & nobis noftris-

Ex autographo

ſtrisque ſucceſſoribus apud ipſos orationis debitum comparare, præfatæ comitiſſæ traditionem manu noſtra predicto martyri, ipſisque in ſubſidium elemoſinarum, ſicut tradita eſt remiſimus. & remittendo donavimus. donando auctoritate beati Petri, ſanctique Martini, & noſtrâ confirmavimus, ne quis eos ullatenus ſuper hoc beneficio audeat inquietare. vel occaſionem inquietandi hinc vel illinc præſumat excogitare. Quod ſi quis auſu temerario eos in aliquo hujus actæ rei contriſtaverit, vel violentiam aliquam intulerit. fratres tunc inibi Deo famulantes ad nos, ſeu ad quemcunque ſucceſſorum noſtrorum, qui tunc temporis hujus ſanctæ ſedis proviſor extiterit, confugiant, ubi in eum canonica prolata ſententia divino, niſi reſipiſcat, feriatur anathemate.

Juſſimus autem hujus noſtræ traditionis teſtes ſubſcribi. BUCHO Wormacienſis epiſcopus. HEINRICUS præpoſitus ſancti Victoris. HENRICUS præpoſitus de *Pinguia*. RICHARDUS præpoſitus ſancti Stephani. RUOBERTUS comes. ARNOLDUS frater ejus. Anſhelmus de *Mollesberg*. Embricho vicedominus. Meginhardus. Heinricus. Heinricus. Landolf.

Data kalend. Aprilis Indict. II. Anno incarnationis Dominicæ MCXXIIII. Actum in *Mogontia* regnante Heinrico rege quinto.

Num. VI.

Adelberti archiep. Mogunt. declaratio jurium eccleſiae Limburg adverſus familiam ejus an. MCXXIX.

Ex autographo

In nomine ſancte & individue trinitatis ADELBERTUS diuina fauente clementia Moguntinenſis ecclesie humilis miniſter. Nouerint amatores ſancte ecclesie tam & futuri quam & preſentes qualiter quidam dilectus noſter ARNOLDUS Limburgenſis cenobii prepoſitus una cum ſuis canonicis peruenit ad nos rogans auxilium noſtre defenſionis ſuper his quibus detrimentis ſua periclitabatur ecclesia. Nam familia prefatæ eccleſiæ a ſtatu rectitudinis debite in tantam de-

delapsa est pertinaciam rebellionis ita ut sui honoris sueque obliviscerent salutis. ut quicquid utilitatis preposito suisque deberent canonicis prorsus molirentur inminuere. et sese omnium debitorum immunes efficere. Erat enim aput eos consuetudinis immo iuris ut quilibet eorum qui aliquid proprietatis agrorum in sua prepositura. hoc est *Brechene. Berge. Nezebach. Zuibetsheim* uideretur habere ubicumque degentium. quotannis dimidium maldrum tritici in festo sancti Remigii. quartarium uero in festo sancti Georgii exinde responderent. Qui vero infra bannum suarum dominicalium curtium supradictarum degerent. maherent. habitarent. placitis uillici sui interessent ter in anno. que uulgariter nuncupantur *budich.* (*b*) Excipiuntur ab hac communia ministeriales nostri. Erat etiam hoc eorum iuris quorundam qui beneficia. hoc est mansos ad supradictas curtes pertinentes tenent in epiphania Dni fratribus dare porcos quemque decem solidorum quos etiam nisi sunt redigere in pretium quinque solidorum. Cum vero super his omnibus prefati dilecti nostri fratrumque suorum quærimoniæ clamor continuus ad nos perueniret & nos majoribus ocupati negotiis. minime super his possemus intendere. omnibus postpositis. tandem ad predictum locum peruenimus. ubi omnibus diligentissime inquisitis per nostros ministeriales. comperimus prepositum nostrum cum fratribus suis hæc omnia de quibus querimonia eorum habita est obtinuisse. ex quo dominus CUNRADUS comes fundator illius ecclesiæ de hoc seculo migraverit. usque ad nostram memoriam. His vero auditis. familia maximo rubore confusa decrevimus. ne de supradictis amplius quis eos audeat amplius inquietare. sed libere his omnibus sicut usi sunt deinceps utantur. Jussimus etiam ad corroborationem rei actæ nostri sigilli impressionem huic karte adhiberi. subscriptis testibus. GEBEHARDO Herbipolensi episcopo. ARNOLDO comite de *Lon.* RUBERTO comite de *Lurenburc.* GERLACHO de *Veldenza.* HEINRICHO de *Cazenelenbogen.* Ministeriali-

(*b*) Vulgo, zu ungebottenen dingen.

rialibus noſtris. Heinricho. Madelbodone. Emichone. Einhardo. (*ſic*) Einhardo. Berenhardo. Landolfo. Friđericho. Wolframo.

Actum *Limpurc* anno Dominicæ incarnationis MCXXVIIII. Indictione VII. Epacta XXVIII. Concurrente prima. regnante rege LUITHERO.

Num. VII.

Literae venditionis bonorum in Steden, monaſterio ad Dreiſam factae per Hohenfelſios an. MCCXCI.

Ex autographo

Nos domina ISENGARDIS relicta quondam domini PHILIPPI de *Hoenvels*. WERNHERUS & HERMANNUS filii ejus. JOHANNES filius dni Johannis de *Metis* ſenioris & AGNES filia dicte domine Iſengardis uxor legitima prefati Johannis recognoſcimus & in his ſcriptis publice profitemur, nos communicata manu & unanimi conſenſu vendidiſſe iuſto emptionis & venditionis contractu omnia iura nobis in villa *Steden* competentia, tam in hominibus nobis attinentibus vel non attinentibus, campis, pratis, nemoribus, aduocatia ville, exactionibus, precariis, angariis, perangariis, hoſpiciis & ſeruitiis quibuscunque, nihil penitus excepto religioſis viris domino abbati & conuentui de *Monſterdreyſen* ac vniuerſitati hominum predicte ville Steden pro ducentis & triginta libris Hallens. nobis in numerata pecunia ſolutis, & in vſus & utilitatem noſtram conuerſis. Hoc autem nos domina Iſengardis predicta principaliter ob reuerentiam Dei, & beati Saturnini patroni in *Monſterdreyſen* fecimus, quia conſcientiam habuimus aliquantulum ſcrupuloſam, quod predicta iura omnia que in villa *Steden* predicta habere iudicabamus, ad eccleſiam in *Monſterdreyſen* debeant ab antiquo iure dominii pertinere, ne ipſa eccleſia defraudaretur in iure ſuo & per conſequens in deteriorem ſtatum traheretur, & quod promiſimus bona fide loco iuramenti dictos abbatem & conventum, vel aliquem de villa *Steden* nunquam deinceps impedire, moleſtare, vel turbare, in perſonis vel rebus eorum, pretextu aduocatie, vel cuiuscunque juris alterius, quod nobis & noſtris predeceſſoribus olim in villa

Steden

Steden predicta competebat seu competere iudicabatur. Et quod nos domina Isengardis predicta tactis sacrosanctis Dei euangeliis iuramentum corporale prestitimus quod nunquam inposterum occasione dotis seu donationis propter nuptias repetamus iura & seruitia que in villa *Steden* predicta usque in presens tempus habuimus, que omnia sicut vendita sunt, resignata per nos, & abiurata, fuerunt nobis in dotem & donationem propter nuptias designata, sicut premissa omnia, in literis nostris super hoc datis, nostre ciuitatis in *Oppenheim*, PHILIPPI de *Valkenstein* & PHILIPPI de *Bollandia* sygillis sygillatis, plenius continentur. Et quia dignum est ut que rationabiliter geruntur coram probis & honestis, debitum obtineant robur firmitatis, eligimus spontanee, si unquam in posterum molestauerimus abbatem & conuentum predictos aut aliquem de villa *Steden* turbauerimus in quocunque etiam, cum nihil omnino nos vel nostri heredes habeamus in *Steden* deinceps agere vel disponere, quod honorabiles viri judices sancte Moguntine sedis excommunicationis in nos proferendi sententiam plenariam habeant potestatem, dum tamen constet ad minus duorum testimonio, quod ipsos vel aliquem eorum turbauimus aut offendimus in persona vel rebus suis, quantumcunque etiam modica sit offensa, & quod mandare nos debeant excommunicatas publice injuriari ubicunque in diœcesi Magunt. fuerimus residentes. Et ad hoc nos presentibus literis obligamus. Rogantes prefatos dominos judices sancte Maguntine sedis in his scriptis, ut presentibus literis, quibus sigilla nostra sunt appensa, sigillum sancte Magunt. sedis apponant in testimonium premissorum. Et quia domina ISINGARDIS & filii ejus predicti nobis judicibus sancte Magunt. sedis predictis humiliter supplicarunt, ut his literis sigillum nostrum apponamus, sigillum judicum sancte Mogunt. sedis predicte presentibus literis duximus apponendum. Datum anno Dni millesimo ducentesimo nonagesimo primo, feria quinta post dominicam, qua cantatur quasimodogeniti, proxima.

Num. VIII.

Jacobi abbatis Monast. literae de reditibus siliginis in Stetin abbatiae Arnsteinensi venditis, an. MCCCXXVII.

Ex autographo

Quoniam ea que geruntur in tempore cum labente tempore pariter dilabuntur nisi per scriptorum testimonia memorie posterorum fuerint inculcata. Hinc est quod nos Jacobus diuina miseracione abbas, totusque conuentus ecclesie Monasteriensis ordinis Premonstratensis Moguntinensis dyocesis recognoscimus per presentes, quod nos sano consilio, & matura deliberacione fratrum nostrorum prehabitis, justo vendicionis titulo propter euidentem vtilitatem nostri monasterii, & ad subleuandum onera debitorum, quibus nos & nostrum monasterium quam plurimum sensimus pregrauari, & exonerari sine vendicione bonorum nostrorum nullatenus poteramus, ad precauendum maioribus periculis vendidimus & vendimus in hys scriptis. reverendo in Christo patri nostro Wilhelmo abbati & conuentui ecclesie in *Arinstein* dicti ordinis Premonstratensis, ac Treuerensis dyocesis. redditus centum maldrorum siliginis Wormaciensis mensure annue & perpetue pensionis, pro quingentis & quinquaginta libris Hallensium numerate nobis & solute pecunie ac in meliores nostre ecclesiæ vtilitates conuerse, percipiendos singulis annis de decima nostra in *Stetin*, dictis abbati & conventui ecclesie Arinstein pro dicta pensione persoluenda, in iudicio seculari ibidem resignata & in possessionem eorundem missa, & ab ipsis titulo locacionis reconducta pro pensione memorata. Ita videlicet quod dictam annonam infra duo festa assumpcionis & natiuitatis beate Marie virginis, annis singulis in perpetuum non obstante grandine, exercitu, frugum decrescencia, vel aliquo alio impedimento, ante domum, quamcunque in ciuitate Wormaciensi nobis ostenderint, presentabimus & assignabimus, nostra vectura, periculo, laboribus, & expensis. Promittentes eciam predictis abbati &

con-

conventui bona fide de possessione dicte decime & pensione prefata annis singulis persoluenda, secundum loci consuetudinem prestare warandiam debitam & consuetam & dicto contractui nullatenus contraire, nec contradicentibus aliquatenus consentire. Astringentes nos eisdem emptoribus, per sollempnem stipulacionem pro nobis & nostris successoribus vniuersis, quod eundem contractum inter nos hinc inde habitum, nulla de causa cogitata vel excogitanda verbo vel facto ullo tempore in perpetuum cum conditionibus expressis aliquatenus revocabimus, nec ipsos in perceptione dicte pensionis impediemus, sed ipsum contractum ratum & gratum habebimus, & ad hoc nos & nostros successores omni dolo & fraude exclusis presentibus obligamus. Quod si negligentes in solucione dicte pensionis vt prehabitum inveniremur forsitan aut remissi, extunc abbas & conventus predicti sine nostra reclamacione ipsam decimam ad suam possessionem tollent & sibi applicabunt, cum melioracionibus quibuscunque & de ea tanquam de suis propriis bonis ordinabunt & disponent, prout ipsis videbitur vtilius expedire, dolo & fraude remotis penitus & exclusis. Renunciamus insuper pro nobis & nostris successoribus vninersis omni impeticioni doli mali, vel fraudis, beneficio restitutionis in integrum, actioni in factum, exceptioni deceptionis vltro dimidium iusti precii, omnique auxilio iuris canonici vel ciuilis, scripti, non scripti, consuetudinis vel statuti, priuilegiis, literis a sede apostolica vel aliunde impetratis, aut impetrandis, ac omnibus remediis, per que dictus contractus a nobis vel nostris successoribus posset aliqualiter infirmari. In cuius rei testimonium nos Jacobus abbas & conventus predicti presentem literam sigillorum nostrorum munimine tradimus roboratam. Rogantes venerabilem fratrem HEINRICUM abbatem Rubrensis ecclesie, ac nobiles dominos PHILIPPUM comitem de *Spanheim*, & HERMANNUM dominum de *Hoenvels*, vt sua eciam sigilla presentibus apponant in testimonium premissorum. Et nos .. abbas & nobiles predicti recognoscimus nos ad instanciam domino-

minorum abbatis & conventus de Monaſterio in evidenciam huius facti ſygilla noſtra preſentibus appendiſſe. Datum & actum Anno Dni M. ccc°. xx°. ſeptimo. in Kathedra ſancti Petri apoſtoli.

Num. IX.

Catharina magiſtra et conventus monaſterii Vallis b. Mariae bona ſua in Stedin abbatiae Arnſteinenſi vendunt an. MCCCXXXIII.

Ex autographo

In Godis namin amen .. Wir KATHERINA van Godis genadin meiſterin und der convente gemeinliche des cloſtirs zu *ſente Marien Dayl*, des ordins van Premonſtreye in *Menzer* byſchtum dun kunt allin den di diſin brif ſient, odir horint leſin, di na genwortich ſint, odir di hernach komin mogint, daz wir bit walberadinim mude und eindrechticliche umbe kenntlich noit und durch unſirs und unſirs gotshuſis beſtin willin han verkauft und verkaufin, an diſim genwortigin brif den erſamin ludin herrin WYLHELM dem Apte und dem convente des cloſtirs zu *Arinſtein* des vorgenantin ordins van Premonſtrey in *Triere* biſchtum und allin irin nakumelingin, alliz daz gut, daz wir und unſe vorgenante gotshuſe hattin zu *Stedin* daz bi *Bolandin* gelegen iſt, iz ſi gelegen in dem dorfe zu Stedin, odir uzwendich, wi daz gelegin iſt, an huſe, an hobe, an gartin, an eckirin, an wiſin, an weyde, an holze, an velde, an zinſin, virſuchit, odir unverſuchit, genant odir vngenant, bit allim dem rechtin, daz datſelbe gut gelegin iſt, in der marke zu *Stedin*, und wi wir und unſe gotshus iz inne hain gehabit, und beſezzin, bit an diſin hudigin dach, umbe nun hundirt phunt haller, und irkennin uns, daz wir van unſirs gotshuſis, und unſin wegin, diſelbin nun hundirt phunt haller van den vorgenantin erberin ludin herrin Wylh. dem apte und dem convente zu Arinſtein intfangin hain, und uns van irin wegin bezalt, und genzliche gewert ſint, und hain wir di vorgenantin nun hundirt phunt haller in unſirs gotshuſis nuz gewant,

gewant, und gekerit, da iz uns allir beſte und nuzliches waz, und wir irkennin uns auch, daz wir uz ſin gegangin, und uz gein in diſim brif, uz dem vorgenantin gut, wi daz benant und gelegin iſt, bit allim dem rechtin, und der gewanheit als in dem dorf zu Stedin iſt, und ſezin di vorgenantin erberin lude herin Wylh.. den Apte und den convente zu Arinſtein, und alle ir nakumelinge in daz ſelbe gut, da wir uz gegangin ſin. Wir irkennin uns auch me daz alle diſe vorgeſchribin rede und kauf und uzgank, und inſaz, geſchiet iſt, bit wizzin bit willin, und bit virhenkniſſe unſis ordinis, und bit namin des erſamin mannis herin CONRADIS.. des aptis van *Monſtir*, der unſir vader apt iſt, und ſinis conventis gemeinlich, und wir Katherina meiſterin, und convent vorgenantin van *ſent Marien Dail* ſprechin und gelobin in gudin truwin vor uns und vor alle unſe nakumeligin di vorgenant rede und kauf veſte, ſtede, und unverandirt zu haldin, an allirleie argeliſte und darwider nicht zu kummin, noch zu dun, bit wortin, noch bit werkin, bit uns oder bit anderin ludin, bit kunſtin, bit ſinnin, bit ſachin, oder bit rechte werntliche oder geiſtliche, oder bit keinerleie ſachin, di man oder wip vindin oder gedenkin kunde, und hain verzigin, und verzien an diſim brif, uf alle rechte geiſtliche oder werntliche vor den wir uns wider diſin Kauf, in keine wiſe, behelfin mochtin, und verzien auch uf anſprache di wir ſprechin mochtin, daz uns di vorgenantin nun hundert phunt haller nicht bezalt, nicht gewert, oder in unſis gotshuſis nuz nicht gekert inwerin, wir verzien auch des rechtis, daz unſe gotshus habin mochte und wir, daz man nennit in latino Beneficium reſtitutionis in integrum, und verzien auch vor unſe gotshus und uns uf di anſprache daz wir ſprechin mochtin, wir werin übir halb betrogin, und verzien auch vor unſe gotshus und vor uns und vor alle unſe nakumelinge uf alle widerſprache und uf alle recht, und gewanheit, di vundin iſt, odir di wir vundin mochtin, daz unſe gotshus

und uns helfin mochte, und dem gotshuse zu Arinstein, dem apte und dem convent, odir irin nakumelingin an dem vorgenantin kaufe schadin mochte. Bi allin disin vorgeschribin redin sint gewesit, di ersamen lude Her JACOB, wilen apte zu *Monstir*, Her Otto eine prister capellain des aptis von *Arinstein* vorgenantin, Her Heinrich eine ritter van *Stedin*, Wilhelm van *Krumenauwe* ein edilknecht, brudir Thilman van dem *Hayn*, und Herman ein scheffer zu *sent Marien Dail*, di bi disin kauf durch gezuch genommen, und geheischin wordin. Und zu einir mere stedicheit, und urkunde, und vestigheit hain wir Katherina meisterin und convent vorgenant van sent marien Dail unser jngesigil an disin brif gehangin, und hain gebedin di vorgenantin ersamin lude . . den apte und den convent zu Monstir, und den erberin man . . herin Heinrich den Apte zu *Rodinkirchin* und den edelin herrin grebin PHILIPPSE van *Spanheim*, daz si ir jngesigil bit unserim jngesigil an disin brif haint gehangin.

Und wir Conrade apte und der convente van Monstir vorgenantin irkennin uns des, daz alle dise vorgescribin rede und kauf, bit unsim willin und verhenknisse ist geschit, und hain des unsir jngesigil durch bede der genantin meisterin und conventis van sent Marien Dail an disin brif gehangin, und wir Heinrich apte van *Rodinkirchin* und grebe Philips van *Spanheim*, verzien, daz wir durch bede derselbin lude zu urkunde unse jngesigil auch heran hain gehangin.

Dirre brif wart geschribin und gegebin do man zalt van Godis geburt, druzien hundirt jar, und dru und drizzich jar, des nechstin sundagis na dem (XI Apr.) ostir dach.

Num. X.

Num. X.

Hermannus et Wernherus fratres domini de Hohenfels, Conradus porro dominus in Reipolskirchen, nullum sibi jus competere profitentur in bonis abbatiae Arnstein. venditis in Stedin an. MCCCXXXIII.

Wir . . HERMAN und . . WERNHER gebrudir, herrin zu *Hoenvels* und CONRAD herre zu *Ripoldskirchin* virgien offinliche und irkennin uns an disim genwortigen brif, daz wir kein recht inhain, noch kein unsir alderin ny gewan zu dem gude daz gelegin ist zu *Stedin* in dem dorf, und in der marke daz di ersamin lude . . her WILH. der apte und der convent van *Arinstein* gekauft haint umbe di meisterin, und den convent des gotshusis zu *sent Marien Dail*, wy daz gelegen ist, und inwollin noch insollin uns vortine keinis rechtis darzu virmezzin, wand wir noch kein unsir alderin, an dem vorgenantin gude keinirleie recht ny gewunnin, wand diz war ist und veste belibin sal, dar umbe gen wir Herman, Wernher, und Conrade di vorgenantin herrin, den ersamin ludin, dem . . apte und dem convent zu Arinstein, dir vorgeschribin sient, disin brif bit unserin jngesigelin besigelt. De gegebin wart na Godis geburt, druzien hundirt jar, und dru und drizzich jar, des nestin sundagis na dem ostir dach. Ex autographo

Num. XI.

Adolfi Palatini Rheni comitis literae feudales Heidenrico de Heiger militi datae an. MCCCXXII.

Wir ADOLF von Gotes genaden Pfallenzgraf bi dem *Rin* nnd Herzog in *Beyern* tun chunt an disem brif allen den di in sehent oder horent lesen, daz wir angesehen haben di truwe und di dinst di der erber ritter her Heidenrich von *Heiger* unser *liben muterlin der Got genade* und uns getan hat und noch furbaz tun Ex autographo

ſol um mak, und haben in gewunnen ze man und geben im und ſinen erben darumb, alle jar zwei fuder wines von unſerm pfadwin ze *Brubach*, fur zehen pfund geltes, mit der beſcheidenheit, ſwenne wir oder unſer erben im oder ſinen erben geben hundert pfunt haller, ſo ſoln di vorgenanten zwei fuder wines uns von in ledik ſin. und ſoln ſi umb die ſelben hundert pfunt haller zehen pfunt geltes chauffen oder uf irem gude bewiſen und ſoln di von uns zu lehen empfahen und ſoln da von unſer man ſin er und ſin erben di lehens erben ſint. Und dar uber ze urchonde daz in daz ſtede belibe und unzerbrochen geben wir in diſen brif mit unſerm inſigel verſigelten, der iſt geben ze *Heidelberch* do man zalt von Chriſtes geburt druzehen hundert jar dar nach in dem dritten und zweintzigiſten jar an dem nechſten (XXVIII Jul.) donnerſtag nach ſant Jacobs dez zwelfboten tag.

Num. XII.

Johannes II dux Palatino-Simmerenſis & Beatrix Badenſis conjuges, filias ſuas, Johannam atque Odiliam, monaſterio Boppardienſi conſecrant cum penſione annua MDXX.

Wir JOHANNS von Gots gnaden Pfaltzgrave by *Ryne* Hertzog inn *Beyernn* vnnd Grave zu *Spanheym*, vnnd wir BEATRIX vonn dennſelben gnaden Pfaltzgreffyn by *Ryne* Hertzogyn inn *Beyernn* vnnd Greffyn zu *Spanheym*, geborn Marggreffin zu *Badenn* &c. ſyner liebdenn elich gemahell, bekennenn vnnd thun kunt mit diſſem offen brieff. vor vnns vnnſer erbenn unnd nachkomenn. Als wir vnnſer zwo liebe doechter JOHANNA vnnd OTILIA in das cloiſter vff ſant *Marienberg* by *Bopart* ordens ſant Benedicti oberuantz zu lob vnnd dinſt des almechtigenn Gots, gethan, anch vonn eptiſſenn vnnd convent deſſelbenn gotshuſſe angenomenn profeſs gethan haint, damit dan dieſelbige vnnſer doech-

doechter defter fruchtberlicher Gott zu dienenn mit libs narung verfehenn, haben wir eyner ieder vnnfer doechter ire leptag lank jerlich zu werden driffig guldenn an golde zu erhaltung irer libs notturfft vff vnnfern renten vnnd gefellenn des ampts *Siemernn* zugeftelt vnnd beordenet, thun das auch inn vnnd mit krafft difs brieffs vnnd verwyfenn fie der fechzig guldenn jerlichen libgedings guttenn vffrachtung vff vnnfernn landefchriber zu Siemernn, wir vnnfer erbenn oder nachkomenn zu jeder zytt da habenn werdenn, jerlich vff fant Martinstag oder viertzehenn tage den nechftenn darnach one lengernn verzuk vff gewonlich quitirung, das wir jnen auch hiemit bevelhenn ingemelt gotshuffe gein fant Marienberge zu liebernn vnnd handtreichenn, fonder eynichenn jntragk oder widderrede, vnnd one alle geuerde, vnnd uff das gemelt vnnfer liebe doechter des defter ficherer vnnd gewifs fyen, fo habenn wir inenn zu haupt fchuldener gefetzt vnnd gemacht, vnnfer liebe getreuwenn fchulthes fcheffen raith burgermeifter vnnd ganz gemeynde vnnfer ftatt *Siemernn* die wir auch inn krafft dis brieffs heyffen vnnd befcheyden ob einichs jars oder meher genanten vnnfern doechternn nit uffrachtung gefchee als vorgefchriebenn fteht, das fie dan vnnfer gelt renthenn wir jerlich zu Siemernn vonn inenn fallenn habenn inn behaltenn, angriffenn, vnnd vnnfernn liebenn doechternn, wie obfteet mit allem coftenn vnnd fchadenn fumenifs halbenn vffgangenn were, vnnd gelytten hetten des auch iren eynfeltigenn wortenn one eyniche bewernifs darzu zu thun geglaubt werden foll, vffrichtenn vnnd bezalenn, daruff eyn jedenn lanndefchriber zu Siemernn folichs zuvor abzu rechnenn vnnd abzufchlagenn lieberung thun, dan fie des keyn fchadenn habenn follenn, vnnd wir fchulthes fcheffenn raith burgermeifter vnnd gemeynde zu Siemernn vorgemelt bekennennn auch jnn diffem brieff, das wir vff beger vnnd bevelch der hoichgebornn Fürftenn vnnd Fürftyn vnnfere gnedigenn liebenn hernn vnnd frauwenn obgenannt vor jre gnaden irer gnadenn erbenn vnnd nachkomenn

 gegenn

gegenn irer gnaden doechter frauwelyn Johanna vnnd Otilia obgenant haupt schuldener wordenn sint, vnns auch der inn krafft diss brieffs angenomenn vnnd verpflicht habenn vssrachtung zu thun vnnd zu haltenn als disser brieffe vsswysst, vnnd ob eynich sumeniss vonn vnns geschee so mœgen die genantenn frauwelin Johanna vnnd Otilia oder wer das vonn irentwegenn thun will, gegenn vnns handelnn mit geistlichen oder weltlichen gerichte: oder sonst wie jnenn eben ist, das sie allezyt recht vnnd macht habenn sollen zu thun. Was auch darwidder gerede oder furgenomenn wurde, soll vonn vnwerde syn, vnns auch darwidder nit behelffenn, noch zu stàdenn komenn keynerley freyheit herkommenn gewonheit, noch keyn andere sach die man erdenckenn kan oder erdacht werenn. Wann auch vnnser Hertzog Johannsenn, frauwe Beatrix vorgenanntenn zweyer doechter eyn vonn doits wegenn abgangenn ist, das Gott lang verhude, sollen drissig golt gulden, so man dem vorgenantenn cloister irent halb gebenn hait, ab syn, wann sie aber beyde vonn doits wegen verscheidenn, als dan sollenn die sechtzig guldenn abe, disser briff doit vnnd krafftloiss syn. Wir geredenn vnnd versprechen auch by vnnsernn furstlichenn eren vnnd wirdenn, solichs wie vorgeschriebenn steht, vor vnns vnnser erbenn vnnd nachkommen, stete veste vnnd vnuerbruchlich zu halten, vnnd darwidder nit zu thun jnn keyn wysse. Unnd habenn des zu warem vrkund vnnser beider ingesiegell ann dissenn brieff thun henckenn. Unnd wir schulthes scheffenn raith burgermester vnnd gantz gemeynde zu Siemernn geredenn vnnd versprechenn auch inn crafft diss brieffs mit gutenn truwenn in eydes solichs alles was vonn vnns inn dissem brieff geschrieben steht, stette vest u. vnverbruchlich zu haltenn, darwidder nit zu thun noch schaffenn gethan werdenn durch vnns oder jemant anderst vonn vnnsern wegenn, jnn keyn wysse, geuerde vnnd argelist herinnn vssgescheidenn, vnnd habenn des zu warem vrkund vnnser gerichts ingesiegel, vnnss vnnser erbenn vnnd nachkommen zu besagenn, by

by der vorgenantenn vnnſer gnedige liebenn Hernn vnnd Frauwenn ingeſiegell auch an diſſenn brieffe gehangen, der gebenn iſt, vff dinſtag nach sant Katherynen der heilligenn Junffrauwenn tag, im jar nach Chriſti vnnſers liebenn Hernn geburt fünfftzehenn hundert zwentzig,

Num. XIII.

Conradi archiepiſcopi Mogunt. literae de fundatione abbatiae monialium in Comeda an. MCXCVI.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. CONRADUS Dei gracia Moguntin. ſedis archiepiſcopus, Sabinen. epiſcopus, inperpetuum. Pontificalis debitum officii exigit, & pietas perſuadet, fidelium Dei equis peticionibus acquieſcere, & juſta Deoque placita deſideria ut efficaciter promoveantur annuere. Vnde notum facimus, tam futuris quam preſentibus, quod HENRICUS de *Dicke* cum filio ſuo ALEXANDRO, & filia ELISABETH, & fratribus HENRICI, FRIDERICO videlicet & JUSTHACIO, cum ceteris ſuis coheredibus, reſpectu diuine remunerationis, & pro peticione *Palatini comitis* CONRADI, conjugis ſue IRMINGARDIS, plurimorumque nobilium & religioſorum, capellam que *Comeda* appellatur, in epiſcopatu noſtro, predeceſſorum noſtrorum & noſtra permiſſione fundatam, fratri Eberardo, & vniuerſis in perpetuum, ibi Deo ſervientibus, totumque territorii illius predium ſine ſpe queſtus, vel advocacie juſto donacionis titulo tradidit. Cum autem hanc pietatis donacionem noſtra auctoritate roborare teneamur. ita ut liceat inhabitantibus hec que ad ea pertineant, juſte & legitime poſſidere, auctoritate qua fungimur confirmantes ſtatuimus quatinus monaſtice religionis ordo, ſecundum regulam beati patris Benedicti atque inſtitucionem Ciſtercienſium fratrum, ab ibidem commanentibus ſemper & inuiolabiliter obſervetur. Illud quoque ipſis firmiter ſtabilientes, quod & ipſis & omnibus ſue religionis & profeſſionis a domino papa Alex-

Alexandro pluribusque Romane ſedis pontificibus indultum & conceſſum eſſe dinoſcitur, videlicet ut de noualibus & de locis ſuo lobore ipſisque impenſis ad culturam redactis, nec non de ortis, animaliumque ſuorum nutrimentis, nemini decimas aliquas exoluant, ſed hac ſibi conceſſa gaudeant indulgencia. Inſtituimus eciam ut pretaxati proviſor cenobii in vendendis vel emendis eccleſie rebus, ſiue in ſororibus, ſiue in ſuſcipiendis converſis, ſine abbatiſſe conſenſu, conventusque conſilio per ſe nullam habeat poteſtatem. Nec ſine conventus conſilio edificia vel erigat vel deſtruat, oblaciones quoque que ad manus ſacerdotum offeruntur & que de remotis aut vicinis partibus eccleſie ſupradicte deferuntur vel mittuntur.. in loco ad hec deputato, ſub abbatiſſe, prepoſiti, & ſeniorum cuſtodia reſerventur. Domus utenſilia cum appendiciis ſana ſcilicet & lacticiniis ſub dominarum cuſtodia teneantur. Abbatiſſa & conventus ſine prepoſiti conſilio in predictis nichil ordinet. Prepoſitus quoque ſine illis nichil diſponat. Obeunte autem abbatiſſa ſive prepoſito non ibi quacunque ſubreptionis aſtucia vel violentia abbatiſſa, vel prepoſitus inſtituatur, niſi quem, aut quam, conventus communi conſenſu, vel pars ſanioris conſilii ſecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam elegerint. Statuimus eciam ut non niſi de illarum ordine abbas ab eodem conventu pro rigore ordinis conſervando, aut queſtionibus ad quas ſibi uidebitur conventus non ſufficere decidendis eligatur, & ille juxta mandatum noſtre inſtitutionis non debet electioni in eum facte contradicere. Conuerſi prepoſito, ſorores vero abbatiſſe obedienciam promittant, & ſine murmuracione ſecundum beati Benedicti regulam perſolvant. Precipimus item, ne conuerſi a predicto loco ſine licencia debita exeuntes in aliquo locorum recipiantur. Quicunque igitur contra noſtre conſtitucionis hanc paginam aliquo temerario auſu quod abſit uenire attemtauerit, & ordinacionem ſupra notatam ſigilli noſtri impreſſione munitam & coroboratam ullatenus infringere aut perturbare ſtuduerit, indignacionem Dei omnipo-

potentis beatorum apostolorum Petri & Pauli perhenni dampnatus anathemate, auctoritate domini pape Celestini & nostra se incursurum, nisi resipuerit, cognoscat. Acta sunt hec anno Dominice incarnacionis millesimo centesimo nonagesimo sexto, Indictione quarta decima, domino Celestino apostolice sedi presidente, Henrico sexto Roman. imper. gloriosissimo imperium & regnum Sicilie feliciter gubernante. Anno quoque nostre electionis in Moguntinensem archiepiscopatum tricesimo sexto, exilii tricesimo secundo, reversionis vero quarto decimo, sub hiis testibus, LUPOLDO Wormaciensi & OTTONE Spirensi episcopis, THEOBALTO Schonaugie abbate, Henrico decano, Godefrido cantore, Prepositino scolastico, Rochardo cellerario, Ruchero, Emichone, & aliis quam pluribus majoris ecclesie Moguntin. canonicis, Sifrido in ecclesia beati Petri Moguntinensis, Geuinone in *Raningesburch* prepositis, Henrico pastore in *Bacheraco*, Carolo fratre de *Himynrode*, Johanne preposito & Berta ejusdem loci abbatissa, ad quorum instantiam hec pagina conscripta est. Laicis vero, POPONE comite de *Werthem*, Wernero de *Brunishorn*, Godefrido Bernecothe, Henrico de *Milewalt*, Anselmo de *Waldecke*, Henrico de *Stalecke* advocato, Mauricio & Ansfrido fratribus de *Dille*, Henrico de *Alssein*, & aliis quam pluribus honestis & discretis.

Num. XIV.

Brunonis archiep. Trevir. donatio partis decimarum in villa Bachrecha congregationi S. Andreae in Colonia facta an. MCXIX.

In nomine sancte & indiuidue Trinitatis Bruno Dei gratia Treuirensis archiepiscopus. Si ei qui misericordiam non facit iudicium sine misericordia debetur. non dubium est quin ei qui misericordiam facit etiam a Deo remuneratore misericordia prestetur. Vnde ego Bruno sancte Trevirensis ecclesie licet peccator archi- *Ex autographo*

archiepiscopus meis excessibus ualde necessariam iudicans misericordiam Dei paupertati cuiusdam congregationis que in honore sancti Andree apostoli in Colonia metropoli Deo deservit in his que mei iuris fuerant misericorditer subveni. Siquidem ecclesiam illorum in meo episcopatu in villa *Bachrecha* sitam de cuius decimis duos ante hac partes possederant in eorum potestatem plenius remisi. ita ut etiam de tercia parte que ipsius altaris presbiterum integre attinebat. a modo in augmentum prebende sue VI. marcas & dimidiam singulis annis ipso presbitero eos persolvente in ipso die nat. sancti Thome apostoli percipiant. Quod benigno assensu Godefridi chorepiscopi mei nec non ejus decani Godescalci factum & corroboratum in presencia meorum tam clericorum quam laicorum nec non presente Coloniensis ecclesie prioratu. cuius eciam humilem pro fratribus illis petitionem fraterna caritate animadverti. Horum inquam omnium vnanimi consensu hanc traditionem banno meo firmavi & in eternum memoriale cartam presentem inde conscribi & sigilli mei impressione insigniri procuraui. adhibitis testibus quorum hec nomina sunt. Clerici. Rambertus prepositus. Godefridus chorepiscopus. Bruno Confluentie prepositus. Markuardus capellanus. Witego. Heinricus. Ernest. Laici. Walram comes de *Arlon*. Reinbald de *Isinburg*. Folko de *Madelberk*. Item de familia episcopi. Lodewik. Godebrecht. Guntram. Boimund. Horum etiam testimonio determinatum est. ut ipse altaris presbiter tertiam partem episcopalis sive chorepiscopalis seruitii. fratres vero duas partes consueto ordine persolvant. Hanc traditionem tam rationabilem quam caritate plenam si quis temerarius suique ipsius immemor infringere vel minima in parte labefactare temptaverit. sciat peccatum ad mortem se committere. sciat se inextricabilem anathematis sententiam Deique & omnium sanctorum eius maledictionem nisi cito resipuerit incurrere. Anno Dominice incarnationis MCXVIIII. Indictione XII.

Num. XV.

Num. XV.

Heinrici archiep. Colon. tabulae foederis cum Palatino Rheni comite et cum marchione Badensi adversus ducem Limburgensem initi an. MCCXXX.

H. Dei gracia sancte Colon. ecclesie archiepiscopus omnibus ad quos presens scriptum peruenerit salutem in Domino. Expedit ut gesta negotiorum scriptis commendentur quum eis inspectis oblivioni tradita memorie restaurantur. Hinc est quod notum facimus vniversis. quod cum contra nos & ducem de *Lymberc* guerra moueretur. uolentes fidelem nostrum Palatinum comitem *Rheni* & marchionem de *Bade* mediantibus de *Seyne*. de *Euersteyn*. de *Spanheim*. de *Hostaden* & *Castele*. comitibus in auxilium nostrum trahere. ipsi vice nostra sic conuenerunt quod predictis comiti Palatino & marchioni infra festum natiuitatis Domini proxime uenturum M. CC. marcas dabimus & consilio ipsorum CC. Quod si forte medio tempore prelibata pecunia soluta non fuerit eisdem redditus ecclesie Colonienſ. in *Bacharaco* in *Dytbach* in *Guntirsblum* & in *Brizzenheim* cum omnibus eisdem bonis attinentibus pro summa predicte pecunie ipsis erunt inpignorati. Debent autem prouentus predictorum huius anni per omnia in eisdem bonis usque ad nativit. Domini permanere. ut si forte predicta pecunia infra idem tempus ipsis fuerit persoluta quod ex tunc nobis sint absoluti tam redditus quam prouentus. Si autem persoluta non fuerit. proventus reservati eis integre cedent. & redditus supra dictos pro pignore M. CCCC. marcarum ipsi & consilium eorum habebunt, quousque ipsos pro summa pretaxata tempore congruo & consueto a eis absolverimus. Si autem adeo deuotos nobis & auxiliatores predictos Palatinum et marchionem inuenerimus. quod castrum *Turum* infra festum natiuitatis Domini eos rehabere fecerimus redditus nostri & prouentus ab eis precise sunt absoluti pro M. CC. marcis. sed nos consilio ipsorum

Ex autographo

 ducen-

ducentas marcas ſumus daturi. vel villa *Brizzenheim* pro eadem ſumma remanebit obligata. Adjecerunt & mediatores noſtri comites prenominati. quod ſi caſtrum *Turum* eis redditum non fuerit, quandocunque ad civitatem *Bobarde* ſine dolo ad quatuor ſeptimanas nos citauerint coram domino noſtro rege ipſis de eodem caſtro ſecundum ſententiam nobilium conprouincialium iuſticiam faciemus. Si autem dominus rex ipſi iudicio intereſſe non potuerit vel forte noluerit, tunc eadem cauſa coram archiepiſcopo Trevirenſi ſicut coram rege eſſet terminanda decidetur. Quod ſi forte iuri non paruerimus. ipſi Palatinus & marchio in auxilium noſtrum non ſunt ceſſuri et tamen redditus predictos quousque iuri ſteterimus tenebunt obligatos. Cum autem a querimonia ipſorum totaliter nos extraxerimus. ipſi nobis coram eodem iudice ad omnem querimoniam noſtram ſatisfacere tenentur. Debent etiam predicti Palatinus & marchio a data iſtarum litterarum ad menſem unum eſſe apud *Moſellam* cum CC. militibus in auxilium noſtrum & eccleſie Colonienſ. proceſſuri. ibidem eos ad deducendum ſecundum quod nobis congruerit recipiemus. Quod ſi forte non uenerint vacabunt nobis prouentus cum redditibus ſupradictis ne forte permaneant per noſtram renunciationem. Quamdiu autem gerra inter nos & ducem de *Lymberc* durauerit ſepedicti Palatinus & marchio non cum numeri expreſſione militum in auxilium noſtrum & eccleſie Colon. ſunt proceſſuri ſed ſecundum quod decet ipſorum honeſtatem & fidelitatem. Vt autem hec firma maneant & inconuulſa preſentem paginam ſigillo noſtro fecimus communiri. Huius rei teſtes ſunt. Cunradus major prepoſitus & archidiaconus. Johannes prepoſitus Bunnenſis. Arnoldus prepoſitus ſancti Gereonis. HEYNRICUS *comes Seynenſis*. EUERHARDUS comes de *Euerſtein*. JOHANNES comes de *Spanheim*. LOTH. comes de *Hoſtaden*. HEYNRICUS comes de *Kaſtele*. CONRADUS *comes Silueſter*. GERARDUS *comes Hirſutus*. GODEFRIDUS de *Bikenbach*. Chriſtianus de *Blankenb*. Heynricus de Cimiterio. Dythardus de *Paffendorp*. Hermannnus Flecke

de

de *Are.* Philippus de *Schonecke.* Gysilbertus de *Brunshorn.* Cunradus Pincerna de *Clyngilberc.* Albertus de *Roswach.* Herbordus scultetus de *Oppenheim.* Ludolfus scultetus de *Frankenvort.* Dapiferi de *Alzei.* Bentrinc & frater ejus Cunradus de *Lycensten.* Hertwicus de *Hyrzberch.* Kindelin de *Spanheim.* Rudenger de *Ensinchem.* Craht scultetus de *Dytbach.* Wigandus scultetus de *Bobarden.* Hermannus advocatus Col. Hermannus marscalcus. Theodericus dapifer. Franco pincerna. Godefridus camerarius & alii quam plures. Acta sunt hec anno Domini millesimo CC. XXX. in die beati Seuerini.

Num. XVI.

Litterae emtionis castri et oppidi Cube cum jure patronatus in Wisset et bonis in Ulversheim an. MCCLXXVII.

LUDOWICUS Dei gratia Comes Palatinus Reni, Dux Bawarie, notum facimus — quod a nobili viro, PHILIPPO de *Falkenstein*, imperialis aule camerario, castrum *Cube* cum opido sub castro — & iure patronatus ecclesie in *Wisset* — pro duobus millibus marcarum & centum marcis Aquensium denariorum — emimus. Item CC marcas in promtu sibi dedimus, pro quibus omne ius proprietatis & hereditatis in villa *Vluersheim*, sita apud *Alzeiam* — per manum & consensum uxoris sue Gisele, consanguinee nostre tradidit nobis — que bona postmodum sibi & predicte uxori sue — pro castrali feudo contulimus — Testes Albertus prepositus *Ilbenstadensis.* Bertoldus de *Wincolehoven*, canonicus Aquensis. OTTO de *Bickenbach.* WINHARDUS de *Rohrbach.* PHILIPPUS *Dapifer de Alzeya*: Heilmannus Burgrauius de *Wachenheim.* Heinricus de *Gerhardstein.* Zacharias de *Minnenbach.* Heinricus advocatus in *Heidelberg.* Datum *Wormatie* anno Domini MCCLXXVII, III id. Aprilis.

Num. XVII.

Johannis comitis de Spanheim charta libertatis pro monasterio Ravengirsburg an. MCCXXXIX.

Nos Joannes Dei gratia comes de *Spanheim* ad omnium & singulorum tam modernorum quam posterorum notitiam cupimus pervenire, quod cum curtis & bona S. Christophori monasterii in *Ravengiersburg* in villa nostra *Einkirch* & terminis ejus sita, omnia & singula, fungantur speciali prerogativa libertatis, ita quod etiam nobis & nostris heredibus universitati quoque ville nostre Einkirch predicte seu cuicunque alteri nihil juris seu potestatis ullo modo competit in eisdem, nec non in eorum incrementis, emolumentis & proventibus universis ac in dicte curtis hospitiis, incolinis pro tempore existentibus, jumentis, vecturis, ac rebus aliis quibuscunque, eo quod eadem curtis & bona apud *Reille* sita dicti monasterii etiam existentia, pari quidem jure & libertate fulta de manu gloriosi comitis Bertholdi pie memorie ad ipsum monasterium ab illo dignoscuntur jure liberrimo tradita & translata, imo etiam jure pleno sibi salvo tam in aquis & pascuis quam in viis & inviis, silvis & nemoribus villarum earundem quoad omnem utilitatem curtium & bonorum prefatorum, sicut non solum per nos scimus, sed & ex probatorum virorum infra scriptorum testimonio accepimus fide digno. Nos attendentes, qui monasteria non construnt, sed tamen pro posse ea fovent & promovent, eos participes fieri omnium bonorum operum, que inibi peraguntur, ne contra jus & libertatem hujusmodi per aliquem hominum in posterum valeat occasio inveniri, prefatis religiosis ejusd. monasterii juri ac libertati cautelam adhibere curantes, discreto viro Henrico perposito & conventui ipsius monasterii rogantibus, super jure ac libertate premissis, presentes literas dedimus nostri sigilli appensione firmatis, in testimonium omnium premissorum.

Nomi-

Nomina autem teſtium ſunt hec. Retherus. Hermannus de *Ripa*. Volcherus. Eberhardus de *Odinbach*. Fridericus de *Dylle*. Hermannus Beheimer. Godefridus Grave. Hermannus Crobe, milites. Daniel paſtor in *Einkirch*, Johannes Struphauer, Ingebrandus de *Kere*, Godefridus Templarius, Gozewinus dapifer noſter, Henricus centurio in *Enkirch*, Thodericus Begenot, Godefridus & Johannes Molze, ſcabini in Enkerich.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono, in vigilia Simonis & Jude.

Num. XVIII.

Ruperti regis Rom. literae de advocatia monaſterii Ravengirsburg an. MCCCCVIII.

Wir Ruprecht von Gottes gnaden Römiſcher könig zu allen zeiten mehrer des reichs bekennen vnd thun kund offenbar mit dieſem brief als ein Pfalzgraf bei Rhein für vns vnd unſere erben der Pfalzgravſchaft bei Rhein. Als die vogtei zu *Ravengirsburg* vns vnd vnſers lieben newen grafen Gerhards von *Kirchberg*, ſeeligen gedächtnis ledig worden, vnd an vns vnd die fürgenant Pfalz gefallen iſt, dieſelb vorgemelt vogtei wir auch vor vns vnd vnſere erben der Pfalzgrafſchaft bei Rhein behalten wollen, daſs wir vnd die vorgemelte vnſere erben den probſt und convent des kloſters Ravengiersburg bei ihren freyheitcn, rechten und gewonheiten gnädigl. verbleiben laſſen ſollen vnd wollen. undt ſie auch dabei handhaben vnd beſchirmen, ob ſie jemand daran leidig oder beſchweren wolten ohne gefahrde. Vrkund diſs briefs verſiegelt mit vnſer Pfalz anhangenden inſiegel. Dat. *Heidelberg* anno Domini milleſimo quadringenteſimo octavo. ſabbatho poſt feſtum pentecoſtes regni vero noſtri anno octavo.

Num. XIX.

Num. XIX.

Henrici II imp. de sex mille DCLVI mansis abbatiae s. Maximini in beneficio acceptis an. MXXXIII.

In nomine sanctae & individuae Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia. Romanorum imperator Augustus. quamvis antiquos terminos pretergredi fas non sit, & quamvis ab ecclesiasticis institutionibus & a paternis praejudiciis nulli sit licitum deviare. nostri tamen juris est prae caeteris id solum & speciale. ut unde fideles nostri infra regnum nostrum gravantur aut unde ecclesiae Dei detrimentum magis quam commodum patiuntur. in melius semper commutare debeamus. idcirco fidelium nostrorum praesentium scilicet & futurorum sollertiae notum fieri cupimus. qualiter nos ex abbatia s. Maximini quae in suburbio Trevirorum sita est. ubi HARICHO venerabilis abbas praeesse videtur. quasdam curtes & territoria. scilicet ad *sex milia sexcentos quinquaginta VI. mansos* a praefato abbate in beneficium accepimus. & his fidelibus nostris HEINRICO DUCI & EZZONI PALATINO COMITI nec non OTTONI COMITI. qui nihil a regno vel a nobis usque adhuc habere visi sunt. ea ratione beneficiavimus. ut quia predictus abbas jam senio confectus commode nobis domi militiaeque servire non poterat. ipsi & heredes eorum pro eodem abbate suisque successoribus curiam regalem petant & in expeditionem eant. Abbas vero suique successores a curia regia & omni expeditione quemadmodum abbas de sancto Willibrordo omnino sint liberi. nisi in Moguncíacensem sive Mittensem aut Coloniensem civitatem ad generale consilium sive colloquium aliqua magna necessitate cogente fuerint invitati. Et ne animae nostrae detrimentum inde patiamur. si ea quae a fidelibus Christi eidem sacratissimo loco collata sunt. nos injuste auferre videamur. timore Dei & amore justitiae tacti nec non ARIBONIS Moguncíacensis. & POPPONIS Trevirensis. ac PILIGRIMI Coloniensis venerabilium archiepiscoporum

porum aliorumque fidelium noftrorum cohortatione commoniti. fervitium quod nobis & quibusdam prædeceſſoribus noſtris de eadem abbatia in fecundo femper anno perfolvebatur. pro eisdem bonis. & poſſeſſionibus. quæ inde abſtulimus. Deo ſanctoque Joanni evangeliſtæ & beato Maximino, cunctisque per eos inibi abbatibus in perpetuum ignoſcendo indulgemus, & indulgendo ignoſcimus. & ne quis ſucceſſorum noſtrorum regum vel imperatorum idem fervitium in periculum animæ noſtræ. ac ſuæ inde ulterius exigat. niſi ea bona, quæ non tam in noſtrum quam in eorum fervitium inde diſtraximus. ex integro reddat aut reſtituat. noſtra imperiali auctoritate conſtituendo præcipimus & præcipiendo confirmamus. Precipimus etiam atque interdicimus prefato abbati. ſuisque ſucceſſoribus in perpetuum. ne de reliquis curtibus ſive bonis. quæ ad præbendas fratrum a noſtris prædeceſſoribus regibus & imperatoribus & per nos etiam ſpecialiter delegata ſunt. alicui de majoribus ſive liberis hominibus. aut alienæ familiæ vel alterius eccleſiæ quibuslibet fervitoribus quidquam benificiare preſumant. in his videlicet locis. *Prichina* quod in *pago Einriche* ſitum eſt. *Guntheresbuſum*. quod in *pago Drechere* jacet. cum ſuis pertinentiis quæ ad ſaginationem fratrum & ad infirmorum curam pertinent. *Suabheim. Heſinesheim. Evernesheim. Bricinheim. Veildeſtein. Albucha. Bingin. Holzhuſa. Sceringesfelt. Hukinesheim. Bukinheim. Alſontia. Apula. Furnivelt. Siemera. Mannendal. Narheim. Folemaresbach. Pruobesderuod. Okesheim. Arnolfesberc. Meisbraht. Rateresdorf. Ebeno. Bikendorf. Liezniha. Decima. Vallis. Burnacha. Hanevvilire. Merold. Villa. Wimari aecclesia. Crufta. Sercranna. Luzelenkiricha. Vilare. Tavena. Beſſiaco. Druhdeldinga. Murmiringa.* & in civitate Metenſi & circum circa vineas domos & areolas. & in pago *Sallmgouue. Dincriche. Luolkurt. Biſanga.* item in *pago Muſolenſi* villa quæ vocatur *Lukeſinga. Loavia.* & *Riuanacha.* & inter *Moſellam* & *Suram. Marchidilh.* & *Billiche.* & *Kriske.* Ex his ergo villis & eorum pertinentiis ut antea præcepimus. nullus audeat aliquid beneficiare alicui libero

O vel

vel alieno homini. ſed liceat inde abbati ſuisque ſucceſſoribus luminaria eccleſiæ reſtaurare. ædificia recuperare. & cætera quæ neceſſaria ſunt fratribus procurare. quatinus pro pace & unitate eccleſiæ. & pro ſtatu regni noſtri & imperii ac ſucceſſorum noſtrorum miſericordiam Domini eo valeant exorare liberius. quo ab expeditione pariter & a curia. nec non ab omni regali ſervitio hac noſtra imperiali præceptione liberos eos & abſolutos eſſe conſtituimus atque firmamus. Conſtituimus præterea hoc & hac noſtra imperiali præceptione firmamus. ut ſi quis fortaſſe illorum fidelium noſtrorum, aut filii filiorum ſuorum, quibus eadem bona & poſſeſſiones ſ. Joannis evangeliſtæ & ſ. Maximini in beneficium commodavimus. ſine hærede fuerit defunctus, beneficium. quod ab eadem abbatia habere viſus eſt. ſub juramentum prefatorum ſanctorum Dei & abbatis ipſius monaſterii ac fratrum redeant & congregationem fratrum. nec non ad regale ſervitium. quantum abbas inde ſine detrimento aliarum rerum æccleſiæ bene perficere poſſit. absque omni contradictione permaneat. addentes videlicet hoc & firmiter precipientes. ne de æccleſiis abbatiæ & de omnibus ſalicis decimationibus ſive in ſylvis ſive in agris. quæ ad ſ. Maximinum pertinent. abbas nihil in alienam partem vertere vel preſtare preſumat & ut res monaſterii melius defenſare & adjuvare valeat. Advocatias omnes quæ ad ſ. Maximinum pertinent. cui velit dandi. cuique velit tollendi poteſtatem in perpetuum habeat. Et ut hæc noſtræ imperialis authoritatis preceptio. pleniorem poſtmodum in Dei nomine habeat firmitatem. non ſolum hoc noſtrum preceptum inde conſcriptum manu propria ſubtus firmavimus. & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. verum etiam ut firmiori auctoritate polleret. beatiſſimi patris noſtri domini videlicet Benedicti. ſedis apoſtolicæ præſulis ſanctiſſimi privilegium inde conſcriptum. et apoſtolica auctoritate corroboratum præfato cænobio obtinere meruimus. Ut ſi quod abſit, aliquis ſucceſſorum noſtrorum regum vel imperatorum diabolica aviditate corruptus quidquam de

his,

his. quæ predicto monasterio pro tantis bonis. quæ inde abstulimus. ad quietem monachorum inibi Deo famulantium constituimus atque firmavimus. imminuere temptaverit abbas qui tunc ibi præesse videbitur & fratres libere apostolicam sedem appellent. & ad eam quasi ad matrem confugiant. ut ab ea sicuti dignum est. fulciti. aut ea quæ inde abstulimus bona s. Maximini recipiant. aut quod nos pro eisdem bonis ad illorum quietudinem eis indulsimus obtinere prevaleant.

Signum domini HEINRICI. Romanorum invictissimi imperatoris augusti.

GUNTHERUS Cancellarius vice ARIBONIS archicapellani recognovi.

Data II kal. decemb. indict. VI. anno Dominicæ incarnationis millesimo XXIII. anno vero domini secundi Heinrici regnantis XXIII. imperii autem X. Actum *Moguntie* in Dei nomine feliciter amen.

Num. XX.

Literae fundationis abbatiae Springirsbacensis an. MCVII.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis BRUNO Dei gratia Treverensis æcclesiæ archiepiscopus. Omnibus tam futuris quam modo viventibus in Christo notum esse cupimus. qualiter quædam bonæ memoriæ femina BENIGNA nomine. bonis parentibus orta. mortuo cui nupserat Rukero marito suo. ad æcclesiæ limina confugere. Deoque viduitatem suam dicare. cum omnibus quæ pro anima sua dare posset constituit. Itaque bonum ac Deo placitum cogitans locum solitarium proposito suo aptum eligere. cellam in episcopatu nostro in sillva *Contel* (c) in

Ex autographo

O 2 loco

(c) *Contelwald* hodieque.

loco qui vocatur *Thermunt* in parte silvæ quæ sua erat licentia & permissione SIGEFRIDI *Palatini comitis* ad honorem domini Salvatoris construxit. in qua clericos canonicos seculo abrenuntiantes quorum pars Deus est. secundum instituta regulæ a beato Augustino conscriptæ. locari voluit. quorum præcepto & consilio reliquum vitæ suæ duceret & admissa corrigeret. Cum igitur rogatu ipsius ad consecrationem ejusdem cellæ venissemus. destinavit ea cum omnibus quæ illuc contulit. in præsentia Palatini comitis & omnium qui aderant æcclesiæ beati Petri Treveris contradere & subjectam facere. Quod ita factum est. Nam cum nos postea in villa *Altereja* pro nostris negotiis una cum nostris fidelibus videlicet ipso Palatino comite & aliis multis convenissemus. tradidit eandem cellam beato Petro per manum ejusdem domini sui *advocati* videlicet *aecclesiae nostrae majoris*. quem etiam cellæ advocatum a nobis constitui rogavit. in præsentia RICHARDI fratris sui filiorumque suorum & filiarum maritorum nullo contradicente. nullo prohibente. Ut autem traditio ejus secundum leges seculares & ecclesiasticas rata semper esset & inconvulsa. *Treveris* eam in generali synodo nostra tercio confirmavit. ubi rursum tradidit eandem cellam ad altare beati Petri per manum sepe dicti Palatini comitis SIGEFRIDI. astantibus & astipulantibus. RICHARDO fratre suo filiis & filiarum maritis. determinata donationis suæ conditione videlicet. ut in eo loco nullam habeat corepiscopus aliquis vel decanus tractandi negotii potestatem. sed si quid forte quod absit ortum fuerit quod a fratribus diffiniri non possit. ad episcopum referatur. Ipsi autem inter se abbatem libere eligant. & archiepiscopo Trevirensi si in gratia & communione Romani pontificis fuerit consecrandum repræsentent. Nullus eis ab episcopo nisi juxta electionem ipsorum advocatus constituatur. Nullus ex hereditate advocatiam ejus loci querat nisi fratrum assit peticio. Proinde hanc ejus traditionem tanta devotione factam & corroboratam. banno etiam nostro confirmatam. si quis quod tamen

men minime credimus. infringere. infirmare. immutare. vi vel arte aut aliquo malo ingenio voluerit. fiat ei ficut Judæ traditori. ficut Dathan & Abyron. Difpereat de terra memoria ejus. Cum judicatur exeat condempnatus. Comedat eum vermis qui non moritur. Urat eum ignis qui non extinguitur.

Acta funt hæc *Treveris* anno Dominicæ incarnationis millefimo centefimo. VII. indictione XV. regnante HEINRICO Romanorum imperatore Vto anno regni ejus II° epifcopatus autem noftri VIto. in generali fynodo teftibus his. Ramberto majoris æcclefiæ noftræ præpofito. Godefrido corepifcopo & præpofito. Brunone archidiacono. Item Godefrido corepifcopo & præpofito. Theoderico corepifcopo. capellanis. Marcuardo. Burcardo. Widegone. Sigebodone. Laicis liberis. SIGEFRIDO *Palatino Comite* per cujus manum hæc facta funt. HEINRICO comite de *Lemburch.* WILELMO comite de *Lucelenburch.* THEODERICO de *Ara.* ADALBERTO de *Dille.* EMECHONE de *Smitheburch.* LUODOWICO de *Arinftein.* GERLACO de *Rumeresdorp.* ADELBERONE de *Dune.* HERIMANNO de *Virneburch.* CUNONE & ADELBERONE de *Mathelberch.* HESSONE de *Rittiche.* WIRICO de *Walecurt.* Minifterialibus noftris Luodouuico. Gundolfo. Alwico. Ruodolfo. Item Ludowico. Friderico. Engelberto. Minifterialibus autem *Palatini comitis.* Richardo fratre ejusdem fupra memoratæ mulieris. Godefrido filio ipfius. filiarum maritis. Dudechino. Theoderico. Wernero. Herimanno. Gifelberto. Wecelino. Richolfo. Meginhardo. Lithmaro. Baldewino. Cuonrado. Heinrico. Item Wernero & aliis quam plurimis laicis & clericis aftantibus & conftipulantibus.

Num. XXI.

Wilhelmus comes Palat. Rheni varia praedia donat abbatiae Springiersbacenfi an. MCXXXVI.

In nomine fanctæ & individuæ Trinitatis. Notum effe cupimus tam præfentibus quam futuris Chrifti fidelibus. quod ego WIL- Ex autographo

WILHELMUS Dei gratia *Palatinus comes* recogitans ex pluribus quæ mihi ex ſuperhabundanti eadem Dei gratia in præſenti vita contulit qualiter de futuræ vitæ bonis mihi aliquid compararem pauperes ſpiritu qui in hoc ſeculo nichil habere cupiunt. ut Chriſtum lucri faciant. manutenere, & aliquid de meis ad conſolationem & ſuſtentationem eis dare decrevi. ut ipſi me in æternis recipiant tabernaculis. recompenſatione utique felici. Itaque canonicis regularibus ſanctæ Mariæ de *Sprenkirsbach* qui mihi familiari quadam karitate juncti ſemper fuerunt. quippe quorum opinio velut bonus Chriſti odor late ſpargitur pro eorum devotione ac benivolentia benefacere & reſpondere eorum karitati congruum duxi. quatinus ad ea quæ ſibi commoda a me petebant pium, & ſine contradictione aſſenſum eis preberem. Ergo prompto animo conceſſi prædictæ eccleſiæ & fratribus ibidem Deo ſervientibus quandam partem nemoris *Contel* ipſi loco adjacentem. quæ his terminis concluditur in longitudine a fonte *Elverichesburnen* usque ad agros ſupra nominatæ æccleſiæ procedens. in latitudine ex transverſo a rivulo *Sprenkirsbach* usque ad rivulum *Vilirsbach*. cum ſilvis agris & omnibus ſibi appendiciis. Præterea fundos tres ſcilicet curtes antedictorum fratrum ab omni placito & exactione advocati ſive villici vel aliquorum officialium ab hinc & in omne tempus abſolvimus. ut nulli quicquam niſi abbati ſoli & fratribus habeant reſpondere. quarum una ſita eſt in villa *Cröve* ubi etiam capella fundata & conſecrata eſt. aliæ duæ in villa *Rile*. una itidem juxta eccleſiam locata. altera in extremo villæ ſuperius ubi manſio prædictorum fratrum frequentior exiſtit. Super hæc etiam theloneum in caſtro meo *Cuchemo* eis remiſi. ut quicquid naves eorum deferunt vel afferunt. quod utilitatibus vel neceſſitatibus eorum competat. cum omni quiete eant & redeant & a nemine quicquam gravedinis ſentiant. Igitur ut hæc ſupra ſcripta traditio noſtra firma & ſtabilis. tranquilla & quieta conſiſtat. ſuper altare beatæ Mariæ in ſupra nominato loco manu propria ante taxata dedi, & teſtamento hujus kartæ ſigillo noſtro

ſtro

ſtro ſignatæ confirmavi. quatinus ſi quis pravo ingenio aliquid ex ſupradictis immutare temptaverit. maledictione æterna dampnetur. Hujus rei teſtes ſunt Wernerus præpoſitus de *Cärpene*. Everwinus ſacerdos de *Cröve*. Heinricus de *Cloteno*. Liberi. FRIDERCUS comes de *Vienna*. WIRICUS de *Arlon*. Miniſteriales. RICHARDUS de *Duna* & filii ejus. Heinricus & fratres ejus de *Ulmena*. Karſilius de *Carpena*. Eppo de *Kuchemo*. Rudolfus & filius Mainardus. Hoc autem factum eſt anno Dominicæ incarcarnationis M.C.XXX.VI. indictione XIIII. regnante LUOTHARIO Romanorum imperatore. Auguſto. regni ejus anno. XI. imperii IIII. pontificatus ALBERONIS venerabilis Trevirorum archiepiſcopi anno V.

Num. XXII.

Albero archiepiſcopus Trevir. inveſtituram eccleſiae in Keimetam, quam Wilhelmns Palatinus comes habuerat, Ricardo abbati Sprenkirsbac. confert an. MCXLII.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ALBERO Dei gratia Trevirorum dictus archiepiſcopus apoſtolice ſedis legatus dilecto filio RICHARDO abbati de *Sprenkirsbach* & fratribus ibi ſecundum regulam beati Auguſtini degentibus in perpetuum. Ad ſacerdotalis officii difficilem curam ordinatione divina vocati. quia onus ſolis humeris noſtris vix ferendum accepimus. conveniens arbitrati ſumus ut hii quos in parte ſollicitudinis noſtræ pietas divina nobis conceſſit. ſicut laboris. ita & conſolationis participes exiſtant. Ea propter omnium tam futurorum quam præſentium fidelium univerſitatem noſſe cupimus. quod inveſtituram æccleſiæ de *Keimetam*. quam in manu noſtra *mortuo* WILLEHELMO *Palatino comite* liberam habuimus. dilecto filio noſtro Richardo abbati de Sprenkirsbach & ſucceſſoribus ſuis & eccleſiæ illi conceſſimus &c. &c. **Ex autographo**

Acta

Acta sunt hæc *Treveri* in generali synodo anno Dominicæ incarnationis M.C.XLII. indictione V. epactis XXII. concur. III. anno archiepiscopatus domini Alberonis XI. Testes hujus actionis sunt. GODEFRIDUS majoris æcclesiæ præpositus. FOLMARUS ejusd. æcclesiæ decanus. archidiaconi. Arnoldus. Alexander. Bruno. CUNRADUS præpositus S. Paulini. Bucco præp. S. Castoris. Hillinus mag. scolar. Henricus cantor. abbates. GODEFRIDUS abbas Prumiensis. BERTOLDUS abbas S. Eucharii. GISELBERTUS abbas de *Lacu*. STEPHANUS abbas de *Methelach*. Liberi homines. WALRAUEN. comes de *Arlon*. FRIDERICUS comes de *Vienna*. EUERARDUS de *Steine*. SIGEFRIDUS de *Isenburch*. HEINRICUS de *Karpena*. WALTERUS de *Manderscheid*. Ministeriales. Erpho. Fridericus. Engelbertus. Wikardus. Heimo. Giselbertus.

Num. XXIII.

Conradus III rex Rom. possessiones & jura monasterii Springirsbacensis confirmat an. MCXLIV.

Ex autographo

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CUNRADUS divina favente clementia Romanorum rex secundus. Justitiæ difinitio est constantem ac perpetuam habere voluntatem tribuendi unicuique quod sibi jure competit. quam cum omne hominum genus colere semper & exercere operteat. præcipue tamen regiæ dignitati convenit. talem animi habitum immutabiliter induere & eam humanæ societatis portionem singulari protectionis gratia defensare. quæ spreta mundi hujus proprietaria possessione elegit sub regulari instituto communem vitam ducendo. terram viventium possidere. Proinde fidelium nostrorum tam futuræ quam præsentis ætatis industriæ notum esse volumus. quod veniens ad nos RICHARDUS venerabilis abbas monasterii *Sprenkirsbach* dicti. quod monasterium mater ejusdem abbatis BENIGNA nomi-

nomine. (*d*) in propria hæreditatis suæ possessione ædificare coepit. & ad Trevirensem episcopatum ex consensu SIGIFRIDI *Palatini comitis* cuius ministerialis erat. sine ulla census vel hujuslibet. a nostra serenitate interventu domni WIBALDI venerabilis Stabulensis ecclesiæ obtinuit. quatenus idem monasterium cum suis pertinentiis. sub nostræ. & omnium successorum nostrorum. regum videlicet seu imperatorum ditione. ac speciali protectione accipere. & collatas ibidem possessiones regiæ majestatis authoritate confirmare. atque autenta (*sic*) præcepti nostri pagina communire dignaremur. Quorum piam ac religiosam petitionem clementer admittentes. eundem locum Sprenkirsbach. cum suo ambitu acceptis limitibus sub regiæ sublimitatis manu. & defensione in omne tempus stabilimus. ita scilicet ut nullus archiepiscopus. nullus episcopus. nullus dux aut comes. seu vicecomes. nulla ecclesiasticæ secularisve dignitatis persona. eundem locum hospitationibus vel exactionibus inquietare. vel molestare præsumat. sed pace perpetua & omnimoda libertate ad serviendum Deo perhenniter ejusdem loci habitatores fruantur. Quod eo a nobis etiam præter regni excellentiam. firmioris rationis constantia statuitur. Quod defuncto bonæ memoriæ WILLELMO *Palatino Comite*. omnia ejus allodia justis modis in regni proprietatem jure devenerunt. Eam igitur partem nemoris *Contel* præfato monasterio adjacentis. quam prædictus Willelmus Palatinus comes ibidem contulit. id est in longitudine a fonte *Elverichesburnen*. usque ad agros supra nominatæ æcclesiæ pertingentem. in latitudine autem ex transverso. a rivulo *Sprenkirsbach* usque ad rivulum *Vilirsbach*. cum silvis. agris. & omnibus utilitatibus. acquisitis. uel acquirendis memoratæ æcclesiæ confirmamus. Præterea fundos tres, quos Palatinus manuscripto suo ab omni placito. sive servitio & exactione advocatorum vel

 vil-

(d) Addit his verbis Fridericus imp. in diplomate, quo hæc confirmavit an. 1171, & *presentis abbatis* GODEFRIDI *avia*.

villici. aut publicorum officialium penitus emancipavit. ſcilicet curtem unam in villa *Crovia*. cum capella quæ ibidem ædificata eſt. & alias duas in villa *Rile*. unam juxta æccleſiam. alteram in extremo villæ ſitam. ſub plenæ libertatis ut præſcriptum eſt immunitate. ab omnium hominum dominio & inquietatione abſolvimus. Inſuper theloneum quod in caſtello *Cochma* eadem conſtitutione præfatis fratribus remiſſum eſt. eis perpetua donatione remittimus. ut naves jam ſæpe dicto monaſterio pertinentes. & res fratrum. vel victualia vehentes. nullum in deſcenſu vel aſcenſu flumimis ſeu ripæ theloneum aut publicam ſive privatam penſionem perſolvant. Porro univerſa quæ eidem venerabili loco hactenus votis fidelium contradita. vel deinceps juſtis modis tradenda ſunt. pari defenſionis & patrocinii privilegio communimus. agros videlicet quos prædictus Palatinus in mortis ſuæ articulo pro animæ ſuæ remedio largitus eſt in villa *Bagnuel* (*e*) dicta. in deſcenſu usque ad agros æccleſiæ. vineas & agros in villa *Crovia*. vineas in *Reſpa* (*f*). in *Traventresbach* (*g*) curtem unam. agros. vineas. prata. in *Enkerka* vineas. in *Borga* curtem. agros. vineas & prata. in ſolitudine ſuper *Moſellam*. in loco qui dicitur *Molun* agros. vineas. cum exitibus & ingreſſibus ſuis. in *Rila* vineas & agros. in *Pordreka* (*h*). curtem unam & vineas. & agros. in *Pretthal*. (*i*) in *Kemetam* vineas. in *Speia*. (*k*) domum & vineas. in *Biſcoveſalven* (*l*) vineas. apud *ſanctam Aldegun-*

(*e*) Hod. Bengel.

(*f*) Riſpach.

(*g*) Trarbacum ad Moſellam.

(*h*). Pünderich.

(*i*) Bridel.

(*k*) Spey infra Merl.

(*l*) Alf.

degundem domum & vineas. in *Bremba*. in *Nogera*. (m) vineas. in *Clottena* domum. agros & vineas. in *Ulkebach* domum. cum vineis. agris. pratis. in *Witelika* domum. agros. prata. & vineas. in *Novigento* (n) vineas. in *Alflo* (o) curtem. agros. molendina duo. ſylvas. prata. in *Grammerode* curtem. agros. prata. molendinum unum & ſilvam. in *Wenkela* curtem. agros. & prata. & molendinum unum. & ſilvam. in loco *Scheida* curtem cum agris. pratis. in loco *Huſſa* curtem cum agris pratis. in *Dochuwilre* curtem. agros & prata. in *Huneredorf* manſos perſolventes. XIII. ſolidos Colonienſium denariorum. & molendinum unum. in *Rora* curtem. agros & prata. in *Lorzebura* curtem. agros & prata. in loco *Sumunt* curtem & agros. in loco *Werwis* domum. agros & prata. in *Othinga* quæ ibidem poſſidere videntur. Hæc omnia quæ ſupra ſcripta ſunt. & cuncta quæ poſtmodum legitimis rationibus fratres ſæpe dicti monaſterii Sprenkesbach acquirere quarumcumque perſonarum donatione cum juris ſuffragio poterunt. in noſtrum videlicet regum & imperatorum patrocinium in omne tempus accipimus. nec liceat alicujus conditionis perſonæ in villis. vel locis ubi poſſeſſiones habuerint. introitus vel exitus interdicere. nec aquam vel ſilvam communem. vel paſcua. ſive publicum rerum uſum ullatenus prohibere. nec tranſitum. nec pontaticum ab ipſis. vel ab ipſorum rebus exigere. ſed ſub regiæ tuitionis beneficio quietam eis vitam cum omni libertatis prærogativa liceat agere. Et ut hæc omni deinceps tempore rata & inconcuſſa permaneant. hanc cartam inde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. manuque propria ut infra apparet. corroboravimus. & teſtes qui præſentes aderant. ſubternotari fecimus. quorum nomina hæc ſunt. HERI-

P 2 MANNUS

(m) Neff hodie.

(n) Noviant vulgo Negent.

(o) Alflen prope Lutzerad.

MANNUS *Palatinus comes.* ADELBERTUS marchio de *Saxonia.* GEVEHARDUS comes de *Sulcebach.* GODEFRIDUS com. de *Spanheim.* Comes OTTO de *Rinecka* ejusque consanguinei OTTO & OTHALRICUS de *Ara.* Comes HERIM. de *Verneburch.* ROBERTUS de *Lurenborch.* REIMBOLDUS de *Isenbourch.* Ministeriales regni. Heinricus de *Ulmena.* & frater ejus Rodulfus. Johannes de *Nentersbourch.* & frater eius Wernerus. Johannes de *Evernacha.* Johannes de *Cochma.* Garsilius & Nicolaus de *Cherpena.* Conradus de *Popardia* & alii quam plures.

Signum domini CUONRADI Romanorum regis secundi. Ego ARNOLDUS cancellarius vice HEINRICI Moguntini archiepiscopi & archicancellarii recognovi. Anno Dominicæ incarnat. M. C. XLIIII. indictione VI. regnante Cuonrado Romanorum rege secundo. anno vero regni ejus VI. Data apud *Cochmam.* kal. Augusti in Christo feliciter amen.

Num. XXIV.

Conradus III rex confirmat concambium factum inter Arnoldum archiep. Colon. et Richardum abbatem Sprengirsbac.

Ex autographo

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CUONRADUS divina favente clementia Romanorum rex secundus. Ad regiæ clementiæ munificentiam pertinet. iustis religiosorum peticionibus exauditionis aurem pie accomodare. Quo circa nouerit omnium tam futuræ quam presentis fidelium nostrorum ætatis industria quod nos peticione venerabilis abbatis RICHARDI de *Sprengirsbach* atque interventu WIBALDI venerabilis Stabulensis abbatis concessimus. & presentis edicto paginæ confirmauimus quandam comutationem & concambium quam fecit predictus Richardus abbas cum ARNOLDO uenerabili Coloniensi archiepiscopo. per manum reverendi Trevirensis archiepiscopi ALBERONIS. Sunt autem he possessiones. In vicinia castri *Cuchemo* sita est villa nomine *Sele.* pertinens ad ecclesiam Coloniensem quae est beneficium dni RE-

GEN-

GENBALDI de *Isenburch* ab archiepiſcopo Colonienſi. iuxta quam uillam eſt quidam mons nomen habens *Soch.* qui a media quadam rupe in longitudine usque ad ſummum montis. & in deſcenſu usque ad riuum penitus incultus fuit. Quem montem prefatus abbas Richardus et fratres ſui de Sprenchirsbach. per manum archiepiſcopi ſui Alberonis ut prediſtum eſt. per concambium cultarum uinearum quæ ſitæ erant iuxta ſupradictam *Sele* cum domino archiepiſcopo Colonienſe Arnoldo eccleſiæ Sprenchirsbacenſi mancipauerat. preſente & conſenſum prebente domino REGENBALDO de *Isenburch.* qui hoc in feodo habebat. conniuentibus etiam Duodechino de *Cunch.* cuius itidem beneficium fuit a domino Regenbaldo & item Theoderico de *Wazenacho.* qui tercio loco illud a Duodechino poſſederat. Quod ut prædictum eſt auctoritate regia confirmantes. bannum ſuper predictum montem conſentiente Johanne miniſteriali noſtro de *Cuchemo* qui in beneficio habebat. prenominatæ eccleſiæ tradidimus. Vt autem huius noſtræ donationis ſiue traditionis pagina firma & inconuulſa permaneat. ſigilli noſtri impreſſione eam inſigniri iuſſimus manuque propria ut infra apparet corroborantes. qui preſentes aderant teſtes. ſubter notari fecimus. Quorum nomina hæc ſunt. ALBERO Treuirenſis archiepiſcopus. ARNOLDUS Colonienſis archiepiſcopus. HEINRICUS Leod. epiſcopus. HERIMANNUS *Palatinus comes de Reno. et frater ſuus* HEINRICUS *de Cacenelenboge.* ROBERTUS comes de *Lurenburch.* HEINRICUS comes de *Lemburch* & frater ſuus comes WALERANNUS. OTTO comes de *Rinecha.* REINALDUS comes de *Bar.* HEINRICUS comes de *Saines.* REIMBALDUS de *Isenburch* & frater ſuus GERLACHUS. et cæteri quam plures.

Signum domini CUONRADI Romanorum ſecundi regis invictiſſimi.

Ego ARNOLDUS cancellarius vice HEINRICI Moguntini archiepiſcopi & archicancellarii recognoui.

 Num. XXV.

Num. XXV.

Friderici I imp. confirmatio diplomatis Conradi regis an. MCLXXI.

Ex autographo

In nomine sancte & individue Trinitatis FRIDERICUS divina favente clementia Romanorum imperator Augustus.... imperatorie pietatis animum ad ecclesiam de *Sprenkisbach* clementer advertentes. privilegium quod predecessor noster felicis memoriæ rex Cunradus eidem ecclesie contulit reformamus...

(*Sequitur diploma superius Conradi III*)

Testes præsentes aderant ARNOLDUS Treverensis archiepiscopus. PHILIPPUS Col. archiep. GODEFRIDUS Traject. ep. . . . BERTOLDUS dux de *Ceringen.* EMECHO comes de *Lininge.* EVERHARDUS comes de *Seine.* UDELRICUS comes de *Nureberg.* et alii quam plures.

Acta sunt hæc an. M.C.LXXI. Ind. IIII. Dat. *Colonie* VIII. kal. Julii.

Num. XXVI.

Heinricus VI imp. privilegium Conradi III et possessiones Springirsbac. monasterii alias confirmat an. MCXCIII.

Ex autographo

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis HENRICUS Divina favente clementia Romanorum imperator Augustus...... Imperatorie pietatis animum ad ecclesiam de *Sprenkirsbach* clementer advertentes. privilegium quod prædecessor noster felicis memoriæ rex Cunradus eidem ecclesiæ contulit. reformamus. et auctoritate nostra sibi confirmamus...

(*Sequitur privilegium Conradi*)

Preter hec etiam imperiali auctoritate confirmamus eidem ecclesiæ. in *Cunisberch* curtem unam & molendinum unum. in *Steguenach* curtem unam. in *Sadewilre* curtem unam. in *Wolmerode* & *Waguenhusen* curtem unam. in *Drucesberch* curtem unam. in

in *Prenke* curtem unam. in *Struna* & *Scheizcewilre* agros. prata & mancipia. in *Mulechen* curtem unam & molendinum unum. in *Hunteim* cenſus quos ibi poſſidere noſcuntur. Hec omnia quæ ſupra ſcripta ſunt. . . in noſtrum videlicet regum & imperatorum patrocinium in omne tempus accipimus. . . .

Teſtes qui preſentes aderant ſubternotari fecimus. quorum nomina hec ſunt. JOHANNES Treverenſis archiep. BERTRANNUS Mettenſis epiſcopus. HENRICUS Wormacienſis epiſcopus. CUNRADUS decanus Aquenſis. WILLEMUS decanus Treverenſis. CONRADUS *comes Palatinus de Reno*. ALBERTUS comes de *Dasborch*. GERARDUS comes de *Lon*. EMMECHO comes de *Liningue*. THEODERICUS comes de *Hoſtade*. ULRICUS comes de *Nurberch*. GERARDUS comes de *Are*. ROBERTUS de *Durne*. CUNO de *Mincemberch*. MARCHUARDUS dapifer. SIFRIDUS mareſcalcus. HERMANNUS de *Numage*. HENRICUS de *Dune*. FRIDERICUS de *Merla*. FULCHNANDUS de *Leja*. Garſirius & Nicholaus de *Arraz*. Rodulphus de *Ponte*. Et alii quam plures.

Signum domini HENRICI ſexti Romanorum invictiſſimi.

Acta ſunt hec anno Dominice incarnationis. M.C.XC.III. Indictione XI. regnante domino Henrico ſexto Romanorum imperatore glorioſiſſimo anno regni ejus XXIIII. Imperii vero III. Datum apud *Bopardiam* IIII. kl. Maii.

Num. XXVII.

Conradi comitis Palat. de Rheno compoſitio litis inter canonicos Sprengirsbac. et Godefridum comitem de Spanheim an. MCLXXXIII.

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis. Ego CONRADUS *Palatinus comes de Reno* recognoſcens adminiſtrationis noſtræ officium, quod divino inſtinctu ſuſcepimus agendum, pauperes videlicet Chriſti quoscumque ab incurſibus malignorum defenſare & protegere

Ex autographo

tegere materiali gladio, quem ferimus &c. Speciali affectione in fratres canonicos Springersbacensis ecclesiæ succensi, prædictæ ecclesiæ utilitatibus, & si, quod absit, molestum ingestum aliquid vel incommodum fuerit, in ipsorum defensione nos totos exponere non pigebit pro animæ nostræ saluatione, quam promereri speramus, ipsorum suffragantibus meritis & orationibus. Ergo notum esse volumus tam præsentibus quam posteris, quod fratres prescriptæ ecclesiæ curtem quandam in villa *Travene* justissime possidentes infestationes injuriosas a GODEFRIDO comite de *Sponheim* sustinentes pro eo tantum quod eiusdem curtis quædam bona ipsius advocatiæ terminis includuntur. Qui tantarum iniuriarum causas sæpius ad aures nostras afferentes nos pro ipsis sollicitaverunt; quibus condolentes eundem comitem & filios & omnes parentes injustitiis consentientes & de uno eodemque ubique sugentes asseruimus, & ipsos ut fratribus pro justo & æquo responderent monuimus. Cum itaque causis utrimque in sententia diffinitionis contendentibus multorum prudentium nobiscum essentium meditatio laboraret, in hoc tandem convenire visum est placito, ut videlicet fratres prememorati licet secus justum agnoscant, pro deteriori malo vitando & ne ecclesia de occasione huius ulterius fluctuaret, & quod in surculum jam exortum fuerat grassaret in arborem, ipsi comiti & filiis suis XXV. marcas pro omnimoda curtis ejusdem & omnium ad ipsam pertinentium - - - - libertate donarunt &c.

Acta sunt hec *Cardoni* anno Dominice incarnat. M. C. LXXXIII. regnante FRIDERICO imperatore, Trevirensis ecclesiæ ARNOLDO archiepiscopo, ipso presente predicto comite GODEFRIDO de *Spanheim* & filiis suis presentibus. His testibus clericis, Brunone - - - - Stephano decano, Rudengero magistro scholarum, Burchardo - - - Laicis. GERLACO *comite de Veldenze*. Dominis HENRICO, SIMONE, LUDOVICO *de Spanheim* - - - HENRICO *de Dicka*. Ministerialibus his Theoderico de *Clotene*, Joanne de *Dalheim*, Richardo de *Duna*,

Petro

Petro de *Marceto* ------ Henrico, Cunrado, Ebbone de *Dale* Ulrico de *Turne*, Siberto de *Cardene* & aliis multis.

Num. XXVIII.

Henrici comitis Palat. Rheni literae fundationis monaſterii ad Lacum an. MXCIII.

In nomine ſancte & individue Trinitatis. Ego HEINRICUS Dei gratia *Comes Palatinus Rheni. & Dominus de Lacu.* Ad muniendam quietem humilium ſpiritu. notum facimus cunctis Chriſti noſtrique fidelibus. tam futuris quam preſentibus. quod cum absque liberis eſſem. annuente & cooperante *uxore mea* ADLEIDE. pro remedio anime mee & eterne vite conſecutione. in patrimonio meo ſcilicet *Lache*. in honore beate Dei genitricis Marie ſanctique Nycolai. monaſterium regule monaſtice cultoribus incolendum fundavi. propriisque bonis dotavi. ſub preſentia & cognitione domini HEILBERTI venerabilis Trevirorum archiepiſcopi. Advocatum vero non alium quam me ipſum quamdiu vixero huic cenobio conſtituo. Poſt mortem vero meam quem fratres prefati monaſterii. ſive ex privignis meis. ſive in provintia viribus & benignitate. ſed & ſubveniendi oportunitate magis idoneum previderint. eiusdem monaſterii familiis & poſſeſſionibus preficiatur advocatus, quod dicitur *dinchuoit*. ſi tamen hoc decretum & ſubſcriptum ſe obſervaturum eſſe promiſerit. videlicet ſi bona eccleſie viriliter tueri & familiam ejus clementer & humane tractare voluerit. Nouerit itaque omnino ſibi obſervandum ne advocatiam. vel conjugi in dotem. vel alicui in beneficium dare preſumat. nec alium pro ſe ſubſtituat. cum ſciat in huius honoris ſe hæreditario iure non contingere. ſed hanc proviſionem pro remedio anime ſue ad tuttelam monaſterii de manu abbatis ſe ſuſcipere. Preterea nec aliquando in bonis eccleſie hoſpitando eccleſiam vel familiam ejus gravet. nec injuſta ſervitia ab ea neque Ex autographo

violentas exactiones. quas precarias vocant aliquando exigat. In cuius advocati negotio. non alius minister neque vicarius neque subadvocatus preerit. nisi qui villicus abbatis fuerit. Nunquam ad publicum placitum considebit. nisi a fratribus si res ita poposcerit invitatus fuerit. Cum invitatus venerit. serviatur ei quod & honori eius sit congruum & pati possit ecclesia. ne vel sumptuum eius vel comitatus nimietate contristetur. Ita vero agat & tam pium tam modestum. tamque benignum fratribus & familiis eorum se exibeat. ut dignus honore sui nominis existat. & pro officio fideliter administrato remunerationem a Christo. beata Maria interveniente suscipiat. Quod si timoris Dei oblitus quos fovere debuerat violenter oppresserit. & ammonitus infra sex ebdomadas non satisfecerit. tandem ecclesiastico anathemate percussus advocatiam amittat. & alium fratres. potentia. modestia. & defendendi possibilitate vtilem & efficacem sibi eligant. qui sub prædicta conditione ipsam advocatiam ammiuistraturus suscipiat. De cetero desidero & quantum de mortuo viuens possum firmiter statuo. vt ubicunque in provincia vita excessero. nusquam nisi in præfato monasterio sepeliar. Idem de advocatis omnibus & de vxore mea fieri volo & constituo. Ne autem quisquam heredum meorum vel successorum. aliquam injuriam Domino Deo & beate Marie quandoque inferre intendat. de bonis a me huic monasterio collatis ea nominatim supponi placuit. que & episcopali banno confirmari fecimus. scilicet *Cruofte* cum ecclesia. *Bettendorp* & *Hembach* & eorum adiacentia. *Belle*. *Reide*. *Alkene*. *Willeberg*. Hec inquam beate Marie tradidi cum omnibus appendiciis. id est cum utriusque sexus mancipiis. edificiis. areis. extibus. & redditibus. agris. quesitis & inquirendis. pratis. pascuis. viis & inviis. aquis. aquarumque decuribus. molis. molendinis. piscationibus. vineis. vinetis. siluis. atque cum omni vtilitate que ullo modo inde provenire poterit. Acta sunt hec anno incarnationis Domini. millesimo. nonagesimo tercio. indictione prima. Regnante serenissimo imperatore HEINRICO tertio. anno autem

regni

regni ejus tricesimo octauo. pontificatus vero domini Heilberti Treuirorum archiepiscopi quarto decimo. Ut autem hec nostra traditio firma & inviolabilis in perpetuum permaneat. chartam hinc inde conscriptam. sigilli nostri impressione insigniri fecimus. Huius constitutionis testes sunt. Dominus meus HEILBERTUS Treuirorum archiepiscopus. SYGEFRIDUS *privignus meus*. HEINRICUS dux de *Lemburg*. WILHELMUS comes de *Lutzellenburg* cognati mei. WALRAMMUS & frater ejus VOLKO comites de *Arlo*. DUDO comes de *Lurenburg*. HERIMANNUS comes de *Virneburck*. MEFFRIDUS comes de *Wiede*. & frater eius RICHWINUS de *Kempenich*. BURCHARDUS de *Vlbucke* & frater eius HENRICUS. RENBOLDUS de *Isenburch*. VOLKOLDUS de *Brule*.

Num. XXIX.

Sigefridi Comitis Palatini Rheni literae novae fundationis monasterii ad Lacum circa an. MCXII.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. ego SIFRIDUS gratia Dei *Comes Palatinus* notum esse volo fidelibus. qualiter & a quibus ecclesia quæ vocatur *Lacus* constructa sit. & libertati tradita. Prædecessor & dominus meus HEINRICUS *comes Palatinus* exhortante uxore sua ATHELHEIDÆ (*sic*) videlicet matre mea predictam ecclesiam ædificare cupiens. fundamentum ejus tantummodo posuit. & jam morte imminente sicut bonorum suorum. ita hujus quoque laboris ecclesiæ scilicet perficiendæ hæredem me instituit. Quod primum quidem utpote juvenis neglexi. postmodum vero penitentia ductus quod negglexeram devotissime corrigere studui. Itaque castellum æcclesiæ vicinum quieti fratrum prospiciens destruxi. & bona ad ipsum prius pertinentia fratribus ibi Deo & beatæ Mariæ famulantibus tradidi. ipsumque locum cum omnibus appenditiis suis Haffligeniensis cenobii abbati & successoribus suis perpetuo regendum tradidi. ea videlicet consideratione. ut

Ex autographo

quia uterque locus in allodio meo ſitus erat unius ejuſdemque abbatis gubernaretur providentia. Cum vero præſens abbas vel ſucceſſores ſui vocante Domino de ſæculo tranſierint. aliqui fratrum qui apud *Lacum* ad hoc idonei erunt ad communis abbatis electionem *Haffligenium* occurrant. niſi forte aliquis vel ſcandali vel perturbationis imminentis metus obſtiterit. propter quem adventum ipſorum conventus Haffligenienſis exſpectare non poſſit. Quod ſi hæc vel alia quelibet rationabilis cauſa impedierit. propter quam ad communem electionem non accurrerint. quemcunque Haffligenienſes fratres boni teſtimonii zelo Dei ſecundum canonicam. & privilegii ſui inſtitutionem elegerint. hunc & ipſi debita conveneratione tanquam patrem ſpiritualem ſuſcipiant. & ipſe utrique loco ſicut & prædeceſſor ſuus gubernando præſideat. Si autem aliquando in ovile Chriſti peccatis exigentibus aliquis non dico abbas ſed tyrannus quod abſit ſymoniacæ (*ſic*) vel per ſecularem potentiam violenter ſubintroierit. illum nullatenus ſuſcipiant. illi ſubjectionem nullam exhibeant. Quin imo. quotquot ex fratribus de conventu Haffligenienſi invaſoris illius peſtiferam communionem declinantes ad eos confugerint. cum gaudio ſuſcipiant. & pro facultate loci tanquam propria viſcera foveant. donec propitiatio divina gregem ſuum reſpiciat. & idoneum paſtorem ei provideat. Advocatum vero non alium quam me ipſum quamdiu vixero æccleſiæ conſtituo. Me autem defuncto. cuicunque filiorum meorum vel inpoſterum cuicunque heredum meorum bona mea Lacum circumjacentia obvenerint. hunc advocatum ſibi fratres aſſumant. ſi tamen decretum a me conſtitutum & hic ſubſcriptum obſervaturum ſe eſſe promiſerit. ſi bona æccleſiæ viriliter tueri. & familiam ejus clementer & humane tractare voluerit. Noverit itaque omnimodo ſibi obſervandum. ne advocatiam vel conjugi ſuæ in dotem. vel alicui in beneficium dare præſumat. ne alium pro ſe ſubſtituat. ne aliquando in bonis æccleſiæ hoſpitando. æccleſiam vel familiam ejus gravet. ne ſervitia ab ea. ne injuſtas exactiones quas precarias vocant aliquando exi-

exigat. De placitis autem ad advocatum jure pertinentibus. ubi abbas duos nummos acceperit. tertius ejus erit. in quo tamen suscipiendo vel in alio quolibet negotio cum familia æcclesiæ peragendo. nullus alius minister advocati. neque vicarius. neque subadvocatus præerit. nisi ille solummodo. qui villicus abbatis fuerit. Ad placitum autem nunquam veniet. numquam considebit. nisi a fratribus si res ita popofcerit invitatus fuerit. cum vero invitatus venerit. subscriptum tantum servitium a fratribus habebit. duo maldre ad panem vespere. unum mane. ad pabulum equorum. x maldre hieme. v æstate. duos porcos. v solidorum vespere. unum. xxx denariorum mane. hamam vini vespere. dimidiam mane. Ita autem agat. & tam pium. tam modestum. tamque benignum. fratribus & familiæ se exhibeat. ut & honore nominis sui dignus existat. & pro officio fideliter administrato. æternam a Christo remunerationem beata Maria interveniente suscipiat. Quod si timoris Dei oblitus, quos fovere debuerat, violenter oppresserit. & ammonitus infra vi ebdomadas non satisfecerit. tandem apostolico anathemate percussus advocatiam amittat. & de propinquis ejus idoneum sibi fratres eligant. qui sub prædicta conditione eam amministraturus suscipiat. Præterea desidero & quantum de mortuo vivens possum firmiter statuo. ut ubicunque in provincia vita excessero. nusquam nisi in eadem ecclesia sepeliar. Idem de uxore mea & filiis nostris & de advocatis omnibus & advocatorum proximis fieri maxime volo & constituo.. Ne autem quisquam heredum vel successorum meorum aliquam injuriam Domino Deo & beatæ Mariæ quandoque inferre intendat. de bonis a domino meo Heinrico Palatino comite & a me quoque sibi collatis. ea nominatim supponi mihi placuit. Ipse quidem tradidit. & episcoporum atque electorum sacerdotum banno confirmari fecit: *Croth* cum aecclesia. *Bella. Reyde. Alkene. Willeberh.* Ego vero donationem ejus confirmando renovavi. & insuper quatuor milites de *Croth. Houerhof* & *Meylem* de *Brabant* addidi. atque banno similiter & probatis testibus confirmavi.

Hæc inquam beatæ Mariæ tradidimus cum omnibus appenditiis suis. id eſt cum utriusque ſexus mancipiis. ædificiis. areis. exitibus. & reditibus. agris. queſitis & inquirendis. pratis. paſcuis. viis. & inviis. aquis. aquarumque decurſibus. molis. molendinis. piſcationibus. vineis. vinetis. ſilvis. cum omni utilitate quæ ullo modo inde provenire poterit. Ut autem hæc noſtra traditio firma & inviolabilis in perpetuum permaneat. hanc cartam inde conſcriptam noſtri ſigilli impreſſione inſigniri fecimus. Poſtremo ut nullum ſcrupulum dimittam determinandum eſt. quid ei in venatione conceſſimus. Tam abbas quam advocatus ſibi venari poterunt. Hujus rei teſtes ſunt. Herman comes de *Verneburg*. & Ratro de eodem caſtello. Matfridus comes & frater ejus Ricquinus. Burgardus de *Oreburch*. Folcoldus de *Brule* & filius ejus Warnerus. Embrico. Reinoldus. Berno de *Thure*. Emmicho de *Pultersthorf*.

Num. XXX.

Henricus V imp. fundationem monaſterii Lacenſis confirmat an. MCXII.

Ex autographo

In nomine ſancte & individue Trinitatis. Henricus Divina favente clementia quartus Romanorum imperator Auguſtus omnibus Chriſti noſtrique fidelibus tam futuris quam præſentibus notum eſſe volumus. qualiter felicis memorie Henricus *comes Palatinus* ſuperna illuminatione ſuccenſus. æccleſiam unam in honore beate Marie perpetue virginis apud *Lacum* in predio ſuo a fundamentis erexit. quam aſſentiente & cooperante honorabili conjuge ſua Adeleide. de ſuo patrimonio large. & legitime dotavit. & viros religioſos monachicam vitam ſequentes ad ſerviendum Deo in ea ordinavit. tale etiam jus. quali eos poſt mortem ſuam voluit gaudere juſſit conſcribi. eisque tradidit pro libertate conſervanda. & ſigilli ſui inpreſſione munivit. ſubternotatis etiam bonis quæ eidem æccleſiæ juſte contulerat. quæ omnia Eilbertus Tre-

Trevirorum archiepiscopus cum merito approbasset. banno & episcopali auctoritate confirmavit. post mortem vero prædicti Palatini comitis Henrici SIGIFRIDUS *Palatinus. qui praefato comiti in Palatii Comitatu successit* ad majoris stabilitatis aucmentum a nobis postulavit. coram principibus. Adilberto videlicet Moguntiensi. Brunone Treverensi, Friderico Coloniensi archiepiscopis. HERMANNO marchione. item HERIMANNO de *Winzeburch*. GODEFRIDO de *Calovva*. cæterisque nostris fidelibus. pium factum vitrici sui confirmari nostra imperiali majestate. eo quod sæpius statuta majorum mutantur per successiones temporum. nisi firma traditione stabiliantur. Quia vero nos Divina dignatio ad regni solium provexit. ut æcclesiis per regnum constitutis. regali provisione consulamus. earumque jura & possessiones a pravorum hominum inquietatione salvemus. eandem æcclesiam que *Lacus* dicitur. cum omni integritate sui juris sub tuitione nostræ regie defensionis suscipimus. inhibentes ne quisquam ei injuriam inferat in bonis sibi collatis a predicto comite Henrico. que placuit nobis nominatim exprimere. *Cruth* cum æcclesia. *Bettendorp.* & *Heimbach.* & eorum adjacentia. *Belle. Reida. Alckena. Willeberch.* & quæ ipse Sigefridus comes addidit in præsentia nostri & præfatorum principum ad promotionem sæpedicti loci de patrimonio suo. *Meilen* scilicet in Brabant. *Overhoben.* & *Geneheiden* cum suis pertinentiis. Porro advocatus. qui pro tempore fuerit. si lege sibi statuta a comite Henrico Palatino. & a nobis confirmata. contentus non fuerit. quod plerumque accidere solet in advocatis dum ambitione dominandi. & potestate sibi concessa. ultra terminos suos se extendunt & aliorum jura infringunt. & his ammonitus. infra sex ebdomadas non satisfecerit. liceat eum amovere. & alium loco suo substituere. Ut autem hec carta per omnem successionem temporum. rata. & inconvulsa permaneat. & ne cujusquam temeritas hanc labefactare præsumat. regia nostra auctoritate. & banno roboravimus. & manu nostra notatam. & sigilli nostri impressione signatam munivimus. Signum domini

Hen-

Henrici quarti Romanorum imperatoris inviĉtiſſimi. ARNOLDUS vice ADILBERDI archicancellarii & archiepiſcopi recognovi.

Data ſeptimo kalendas Maji anno Dominicæ incarnationis milleſimo C. XII. Indiĉtione I. anno XIII. ordinationis domini Henrici V. regis Romanorum. Regni autem ejus VI. Imperii vero ejus II. Aĉtum eſt *Monaſterii* in nomine Domini. Amen.

Num. XXXI.

Diploma Conradi II Imp. de reſtitutione curtis Bettendorf anno MCXXXVIII.

Ex autographo

In nomine ſanĉte & individue Trinitatis. CUNRADUS Divina favente clementia Romanorum rex ſecundus. ad hoc Dei ordinatione conſtitutos credimus principes ſæculi. tanquam cedros Libani. ut ſub eorum defenſione. id eſt quiete converſentur pauperes Chriſti. Ad muniendam igitur quietem humilium ſpiritu. notum facimus cunĉtis Chriſti noſtrique fidelibus tam futuris quam præſentibus qualiter bone memorie HEINRICUS *Comes Palatinus.* Divino amore illuſtratus. eccleſiam unam in honore beatæ Mariæ perpetuæ virginis apud *Lacum* in prædio ſuo a fundamentis erexit. quam aſtipulante & aſſentiente honorabili conjuge ſua ADELHEIDE de ſuo patrimonio. large & legitime dotavit. & viros religioſos monachicam vitam & regulam ſanĉti Benediĉti ſequentes. ad ſerviendum Deo. in ea ordinavit. Hujus ergo tam piam largitatem. EILBERTUS eo tempore Trevirorum archiepiſcopus cum merito approbaſſet. omnia que eidem eccleſie juſte erant tradita. banno & epiſcopali authoritate confirmavit. Poſt mortem quoque prædiĉti Palatini comitis Heinrici jam nominata conjunx ſua Adelheidis pium faĉtum mariti ſui ad majoris ſtabilitatis augmentum. coram multis iterum renovavit. Deinde aliquanto tempore elapſo SIGEFRIDUS *Palatinus.* qui præfato Comiti in Palatii comitatu ſucceſſit. quædam

pa-

patrimonia ſua per quasdam conditiones equas avo noſtro Heinrico divæ recordationis imperatori Auguſto in perpetuum tradidit. & cum ſua prædia non ſufficerent. unam curtim quæ eſt in *Betthendorph*. eccleſiæ beatæ Mariæ apud Lacum. ſemper eccleſia reclamante. cum omnibus appendiciis ſuis violenter abſtulit. & imperatori tamquam ſua eſſent. inter cetera donavit. Poſtquam ergo divina dignatio nos ad regni ſolium provexit. ſuperna illuſtratione commoniti. veritatem cognoscentes. injuriam illatam præfatæ eccleſiæ Dei genitricis Mariæ & prænominatam curtim in *Betthendorph* beatæ Mariæ injuſte ablatam. cum omnibus appendiciis. & pertinentiis ejus. hoc eſt. agris. areis. foreſtis. campis. pratis. paſcuis. mancipiis. molis. molendinis. vineis. arpennis. piſcationibus. aquis, aquarum decurſibus. viis & inviis. exitibus & reditibus. quæſitis & adquirendis. & cum omni demum integritate atque utilitate. quæ quolibet modo inde provenire poterit. in præſentia principum reſignavimus. & in perpetuum ſine contradictione cujusquam transfudimus. quod & venerabilis Adelbero Trevirorum archiepiſcopus. & Arnoldus Colonienſium archiepiſcopus. & Theodericus ſanctæ Rufinæ epiſcopus cardinalis. & apoſtolicæ ſedis legatus. noſtra conceſſione ſuo banno & apoſtolica authoritate firmaverunt. Nos quoque ut per omnem ſucceſſionem temporum ratum & inconvulſum permaneat. & ne cujusquam temeritas hoc labefactare præſumat. regia noſtra authoritate & banno roboravimus & hac charta manu noſtra notata & ſigilli noſtri impreſſione ſignata muniuimus. Teſtes quoque ſubtus notari decrevimus. quorum nomina hæc ſunt. Adelbero Leodienſis epiſcopus. Embricho Erbipolenſis epiſcopus. Wernerus Monaſterienſis epiſcopus. Nicolaus Cameracenſis epiſcopus. Stephanus Metenſis epiſcopus. Wilhelmus *Comes Palatinus*. Walramus dux & filius ejus Heinricus. Godefridus comes Namurcenſis. Arnoldus comes de *Cleve*. Adolf comes de *Monte*, Adolf comes de *Saphenberg*. Hoc etiam Albertus Moguntinus archiepiſcopus. Sigefridus

Spirensis episcopus. Buccho Wormatiensis episcopus. FRIDERICUS dux & filius ejus sua confirmaverunt præsentia.

Signum domini Cunradi Romanorum secundi regis. Ego Arnoldus cancellarius vice archicancellarii Alberti recognoui. Data *Moguntiae* anno Dominicæ incarnationis M.C.XXXVIII. Indictione I. regnante Cunrado Romanorum rege II. Anno vero regni ejus primo feliciter. Amen.

Num. XXXII.

Heinrici ducis de Limburg literae immunitatis in Luzzinc pro monasterio Lac. an. MCCXVIII.

Ex autographo

In nomine sancte & individue Trinitatis. HEINRICUS Dei gratia dux de *Limburch* omnibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Quum faciliter ab humana memoria elabuntur. que nec scripto nec testibus firmantur. notum facimus tam presentibus quam futuris. quod eo tempore quo bone memorie WILHELMUS comes Juliacensis in peregrinatione sancte crucis defunctus est. & nos feodum. quod prefatus comes *a Palatino Comite Rheni* tenebat in *Brisecke* & *Luzzinc* adepti sumus. pro remedio anime nostre curtim ecclesie b. Marie de *Lacu* in memorata villa de *Luzzinc* sitam. quidquid scil. modo habet vel inposterum possederit. ab omni exactione, que precaria vocatur. quam tamen antea per aliquos annos licet indebite solverant. libere in perpetuum absolvimus. quatenus nostri memoria in predicta ecclesia jugiter perseveret. Ut hec per omnes successiones temporum rata & inconcussa perseverent. nec aliqua perpetuo deleantur. presentem paginam super hiis conscribi. & sigilli nostri impressioue fecimus raborari.

Acta sunt hec anno verbi incarnati millesimo CC.XVIII. Hujus rei testes sunt Theodericus de *Schinna*. & Godefridus filius ejus. Cunradus de *Sneide*. Heinricus & Cunradus Hospitala-

talarii. Bonefacius dapifer ducis. Hermannus pincerna. Heinricus filius Gosmari de *Aquis*. Thomas de *Leodio*. Johannes Burchravius de *Rineke*. Johannes de *Lissa*. Theodericus de *Are*. Godefridus advocatus de *Lisse*.

Num. XXXIII.

Heinrici comitis Saynensis literae immunitatis in Winningen pro monasterio Lacensi an. MCCXXXII.

In nomine sancte & individue Trinitatis. Henricus Dei gratia comes Seynensis omnibus in perpetuum. Noverint universi presentem paginam inspecturi quod ego H. comes de *Seyne* in honorem Dei & gloriose genitricis sue. ob remedium anime mee & uxoris mee & antecessorum meorum. libera reliqui omnia bona ecclesie sancte Marie in *Lacu* que possidet in *Winningen*. ab omni exactione & jure quo tenetur mihi ratione *advocacie vel jure Palacie*. nec exactionem aliquam faciam ratione bonorum in colonos. que ab ecclesia habent eadem. Item contuli eidem ecclesie duo molendina mea super *Seynam* emphiteotico jure possidenda. ut mihi annuatim pensionem xxx maldrorum siliginis Andernacensis mensure de eorundem molendinorum moltura inde persolvant. ita tamen in prejudicium dicte ecclesie nullum de cetero molendinum de parte mea vel sororis mee comitisse de *Spanheim*. vel successorum meorum. a curte dicte sororis mee usque ad flumen *Rheni* super eandem ripam fiat. & iidem homines qui nobis habentibus predicta molendina ibi molebant. a modo molent ibidem. Dedimus eciam jus eidem ecclesie incidendi ligna in nemore de *Sayne* & de *Oningendorp* (*p*) ad usum molendinorum supradictorum quocunque modo necessaria. Curtim etiam cum

Ex autographo

(*p*) Hodie *Oggendorf*.

cum hominibus quam habent in *Cruthe* & alias in *Mainevelt*. vel ubicunque in *Palacia*. ubi noſtre ſubſunt juriſdictioni. ab omni exactione. hoſpiciis ſive herbergeriis. eximimus. homines etiam omnes in *Cruthe* morantes liberos eſſe volumus a vocacione judicii de *Mendich*. & heredes noſtros hec in perpetuum volumus obſervare. Ut hec autem noſtra largicio perpetuum obtineat robur & firmitatem. preſentem paginam inde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione fecimus roborari. Hujus rei teſtes ſunt Bruno prepoſitus S. Cuniberti in *Colonia*. Theodericus prepoſitus Reſſenſis. Cunradus prepoſitus ſti Florini in *Confluentia*. THEODORICUS de *Kempenich*. CUNO de *Virneburch*. CHRISTIANUS de *Blanckenberch*. Ludevicus pincerna. Heinricus de *Confluentia*. Wipertus & Rudengerus de *Wiſe*. Ruthardus cellerarius de *Seyne* & alii quam plures. Acta ſunt hec anno verbi incarnati M.CC.XXXII. Datum ipſo anno apud *Blanckenberch*. in feſto omnium ſanctorum.

Num. XXXIV.

Ezzo comes Palatinus eccleſiae S. Nicolai in Brunwillare ſua omnia ad Lovenich tradit an. MXXVIII.

Ex autographo

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Notum ſit omnibus praeſentis & futuri temporis fidelibus: quod ego Ezzo *comes Palatinus* ueſtigia ſequens fidelium. quibus feruens eſt deuotio ad animæ ſuae remedium omnia quae ad *Louenich* habui. æccleſiæ ſancti Nykolai in *Brunwillare* tradidi. ex quibus omnibus decimationem excipiens manſi Nennechini æccleſiæ ejusdem villæ uidelicet *Lovenich* delegavi. ut pro hac ipſa decimatione. in Dei ſervitio procurentur ſub noſtra ibi degentes tuitione. Quos ſi quis pro ſui utilitate inquietauerit. eadem decimatione æccleſiæ Brunwilarenſi remiſſa. illuc conueniant ad audienda diuina miſteria. & ut in omnibus quieti & ſecuritati ejusdem familiae proſpiciatur. & adverſantium uaria machinamenta fruſtrentur.

ſciant

ſciant haec acta conſenſu Wolfhardi tunc temporis ad *Kirchdorp* parrochiani. coram his teſtibus. uidelicet ELLONE primo abbate. fratribus etiam Aaron & Becelino. nec non coram comitibus CHRISTIANO de *Huodenkirchen*. HERMANNO de *Noruenich*. miniſtris quoque Embrichone & Eppone de *Aldendorp*. Acta ſunt haec Dnicæ incarnationis anno M.XXVIII. indictione XI. regnante CUNRADO Romanorum imperatore auguſto. PILIGRIMO vero Agrippinenſium archiepiſcopo. cujus etiam ſigilli inpreſſione cartam hanc uoluimus confirmare. ne quis decreta noſtra auſu temerario preſumat infirmare.

Num. XXXV.

Piligrimi Colonienſis archiepiſcopi charta prima de fundatione Brunvillarenſis monaſterii an. MXXVIII.

Piligrimus dei gratia Colonienſium archiepiſcopus. ac plebis Dei famulus. Notum ſit univerſitati pie viventium tam præſentium quam futurorum quorum defenſione & teſtimonio quae a filiis ſuis aeccleſiis Dei conferuntur. rata atque inconuulſa in perpetuum creduntur manere. quod ERENFRIDUS comes Palatinus una cum conjuge ſua domna MATHILDE allodium ſuum in *Brunwilre* cum omnibus ſuis appendiciis & cum omni integritate ſcilicet in agris. in pratis. aquis. paſcuis. ſilvis. & jure quod uulgo dicitur *Vuiltban*. Deo ſanctoque Nykolao ſine omni exceptione liberum ab omni ſervitute contulerunt. obſervantes ut gratiam libertatis & privilegii formam noſtræ auctoritatis cyrographo confirmaremus conſtituentes illud ſub mundiburdio ſancti Petri Colonienſis aeccleſiae cui Deo auctore deſervio. meque Piligrimum ejusdem ſanctae Colonienſis aeccleſiae archiepiſcopum. & omnes ſucceſſores meos in perpetuum ejusdem allodii defenſores eſſe impetraverunt. ut contra improborum violentias. a metropolitani auctoritate melius defenſaretur. & ut abbas ejusdem loci numiſma

Ex autographo

 unum

unum aureum. pondus habens trium denariorum nostrae monetae singulis annis ad altare beati Petri principis apostolorum persolvat. sicque ab omni praesentium & futurorum potestate atque dominio tam pontificum quam regum seu imperatorum ad cetera omnino liberum permaneat. Terminum etiam & bannum ipsius allodii sicut ipsi summa libertate habuerunt designantes. a via quae dicitur *Rintwech* usque trans fluvium qui dicitur *Arnese*. ita constituerunt. ut nullus ibi aliquid juris vel potestatis habeat praeter abbatem ejusd. loci & villicum suum quemcumque statuerit. Prata quoque que vel ipsi tunc habuerunt. vel abbas & fratres acquirere potuerint in illis terminis qui vulgo dicuntur *Coupeleweide*. quorum terminorum duos beato Petro dederunt. unum in *Toneburch*. alterum circa ripam *Arnese*. tali eos pace habere decreverunt. ut nulli penitus quicquam juris inde facere compellantur. Cum vero sillvam illam que prae magnitudine sui *Vele* nuncupatur. praefatus comes Erenfridus & frater ejus comes HEZELINUS communi utilitate possiderent. in praesentia nostri nostrorumque & multorum nobilium. eamdem utilitatem partientes. duobus cenobiis tradiderunt. Comes quidem Erenfridus suam partem beato Nykolao. frater vero ejus suam beato Cornelio cum praedio *Bercheim*. hanc utrobique legem statuentes. ut nullus in praedicta silva aliquid potestatis aut juris habeat praeter supradictorum cenobiorum patres. & mansionarios illos qui in bonis aecclesiae destructa resarcire & communire deberent. vel illos quibus ipsi abbates pro misericordia concesserint. Nullus autem extraneorum in ea aliquid sibi quasi pro justitia usurpandi licentiam habeat praeter illos tantum quos praedicti abbates in illam pro solvendo sibi frumento consignaverint. qui vulgo dicuntur *Vverlude*. ea tamen conditione. ut si ipsi homines aliquid contrarii admiserint. liceat ipsis abbatibus eos inde expellere. & alios quos uoluerint pro eis admittere. Si quis autem absque eorum concessione aliquid in illa sillva praesumserit. & forestarius abbatis de *Brunwilre* hoc deprehendens aliquid pro pignore deti-

nuerit.

nuerit. utrique abbates ex equo parcientur. eadem viciſſitudine repenſa ex parte abbatis ſancti Cornelii ſi ejus foreſtarius idem deprehenderit. ſimili modo parciendo. Nos itaque praedicti Erenfridi ſueque conjugis Mathildis piam ſecuti actionem. de noſtro etiam aliqua eidem monaſterio. ob Dei amorem noſtraeque animae ſalutem curavimus addere. id eſt ad *Alſtemrode*. v. manſos. & curtem quamdam infra noſtrae urbis muros ſitam. ob hoc videlicet. ut ejusdem monaſterii primus abbas venerabilis Ello ejusque ſucceſſores eam tenendi habeant a modo liberam poteſtatem. Hec ergo jam habita & queque in futurum habenda. ex auctoritate ſanctae & individuae Trinitatis patris & filii & ſpiritus ſancti & beati Petri apoſtoli. noſtrique ordinis. atque juris cenſura confirmamus. & per hanc noſtrae defenſionis paginam. ſigillo noſtro. manuque propria inſignitam. in perpetuum corroboramus. Data VI. idus Octobris id eſt die conſecrationis ejusdem monaſterii. Anno ab incarnatione Domini milleſimo XXVIII. indictione. XI. regnante Cuonrado Romanorum imperatore auguſto.

Num. XXXVI.

Piligrimi ejusd. charta ſecunda an. MXXVIII.

Piligrimus Dei gratia Colonienſium archiepiſcopus ac plebis Dei famulus. Notum ſit uniuerſitati pie uiuentium tam praeſentium quam futurorum quorum defenſione & teſtimonio quae a filiis ſuis aeccleſiis Dei conferuntur. rata atque inconuulſa in perpetuum creduntur manere. quia Erenfridus *comes Palatinus* noſtram adiuerit humilitatem. obſecrans. ut monaſterio ſuo quod in vico Brunwilarenſi. id eſt in dote piae memoriae Mathildis conjugis ſuae crebra ejus ſuggeſtione edificari inchoaverat & ea immatura morte praeventa atque ibidem ſepulta. pro anima illius & ſua uoluntarius jam conſumauerat. gratiam libertatis & privilegii formam noſtrae auctoritatis cyrograſo confirmaremus. conſtituens

Ex autographo

tuens illud sub mundiburdio S. Petri Coloniensis aecclesiae cui Deo auctore deseruio. meque Piligrimum ejusdem sanctae Coloniensis aecclesiae archiepiscopum. & omnes successores meos in perpetuum. praefati monasterii defensores esse impetravit. ut contra improborum violentias. a metropolitani auctoritate melius defensaretur. & ut abbas ejusdem loci. numisma unum aureum. pondus habens trium denariorum nostre monetae. singulis annis ad altare beati Petri principis apostolorum persolvat. sicque ab omni praesentium & futurorum potestate atque dominio tam pontificum quam regum seu imperatorum ad cetera omnino liberum permaneat. Hujus igitur piis inclinati precibus diffinitione praefata. a nobis accepta. & filiis ejus HERIMANNO & OTTONE pie annuentibus. qui in praesentiarum positi patris in omnibus favebant voluntati. ea quoque quae pro salute animae suae Deo sanctoque Nycholao ibidem contulerat. secundum petitionem ipsius in hac sceda curavimus annotari. id est *Brunwilrense praedium* cum aliis locis subternotatis ad idem praedium pertinentibus id est *Louenich. Wremerstorp. Cuningistorp. Dansswilre. Glessene. Kyrchtorp. Sentere. Manstede. Ichindorp. Slenderhagen.* cum omnibus appendiciis suis. & cum omni integritate scilicet in agris. in pratis. in aquis. pascuis. silvis. molis. molendinis. piscationibus. exitibus. & redditibus. quaesitis & inquirendis. cum omni utilitate. quae in perpetuum inde prouenire poterit. Praeterea quatuor siluas quarum nomina sunt *Wedehowe. Hanepuze. Asp.* & *Bram.* cum integritate juris quod regulariter dicitur *Wiltban.* libera traditione praefato monasterio donauit. Terminum etiam & bannum ipsius praedii sicut ipse summa libertate habuit designans. a via quae dicitur *Jacobsweeh* usque ad viam *Hespath.* rursumque a via Hespath. ad viam regiam. et a via regia per cursum rivuli qui dicitur *Uischbach.* usque trans fluuium qui dicitur *Arnefe.* ita constituit. ut nullus ibi aliquid juris vel potestatis habeat praeter abbatem ipsius loci. & uillicum ejus quemcunque statuerit. cui etiam abbati singulariter duas paludes unam inter

Sin-

Sinthere & *Gleſſene*. alteram circa fluuium *Arneſe*. a ſilva quercea usque ad pontem *Turre*. tali jure delegavit. ut nemo in his praeter abbatem aliquid poteſtative uſurpare praeſumat. neque aliquis ibi excepto abbate & fratribus piſcari audeat. Prata quoque. quae vel ipſe tum habuit vel poſtea praefati coenobii fratres adquirere poterint in illis terminis qui vulgo dicuntur *Copeleweide*. quorum terminorum duos beato Petro dedit. unum in *Toneburch*. alterum circa ripam *Arneſe*. tali eos pace habere decrevit. ut nulli penitus quicquam juris inde facere compellantur. Cum vero ſiluam illam quae prae magnitudine ſui *Vele* nuncupatur. praefatus comes Palatinus Erenfridus & frater ejus comes Hecelinus communi utilitate poſſiderent. in praeſentia noſtri noſtrorumque & multorum nobilium eandem utilitatem parcientes duobus cenobiis tradiderunt. Erenfridus comes Palatinus ſuam quidem partem beato Nykolao in Brunwilre. frater uero ejus comes Hecelinus ſuam beato Cornelio cum praedio *Bercheim*. hanc utrobique legem ſtatuentes. ut nullus in praedicta ſilva aliquid poteſtatis aut juris habeat. praeter ſupradictorum cenobiorum patres. & manſionarios illos. qui in bonis aeccleſiae deſtructa reſarcire & communire & cenſum perſoluere debebunt. qui etiam ex eadem ſilva ſingulis annis in epiphania Domini ligna quae vulgo dicuntur *Uacholz* ad caminatam abbatis deferent. vel etiam illos quibus ipſi abbates pro miſericordia conceſſerint. Nullus autem extraneorum in ea aliquid ſibi quaſi pro juſtitia uſurpandi licentiam habeat. praeter illos tantum quos praedicti abbates in ipſa ſilva pro ſolvendo ſibi frumento conſignaverint. qui vulgo dicuntur *Werlude*. ea tamen conditione. ut ſi ipſi homines aliquid contrarii admiſerint. liceat ipſis abbatibus eos inde expellere. & alios quos uoluerint pro eis admittere. Si quis autem absque eorum conceſſione aliquid in illa ſilva praeſumperit. & foreſtarius abbatis de Brunwilre hoc deprehendens. aliquid pro pignore detinuerit. utrique abbates ex equo parcientur. eadem viciſſitudine repenſa ex parte abbatis S. Cornelii. ſi ejus foreſtarius idem de-

S pre-

prehenderit ſimili modo parciendo. nec ſuis advocatis inde aliquid dare aut reſpondere tenebuntur. Bona etiam que praediƈtus comes Palatinus habuit idem ad *Bilke*. v. manſos. *Rinhare* XVII. *Birte*. IIII. *Aſchela*. VII. *Budelinchoue* XI. & II. iugera vinee. *Benchouen* XIII. & XV iugera vinee. *Geldeſtorp*. VIII. beneficia & CC. & XXIII. iugera. *Unkelebach* de VIIII. manſis vel iugeribus medietatem. & ad *Rimago* de II manſis ſimiliter. Quam medietatem quidam Sicco comes ab abbate Ellone iam acceperat quoad uiueret habendam. nulli autem heredum ſuorum poſt mortem ſuam relinquendam. *Engreſche* VIIII. manſos. & X iugera uinee. ad *Meſinich* & *Rile* XXIIII. iugera. *Gangele* XVI manſos cum appendiciis ſuis. allodium quoque ſuum in *Cloteno* cum omnibus appendiciis ſuis & cum omni integritate ipſius. uidelicet in uillis. in uineis. & arpennis. in ſiluis. & in agris. in aquis. & in paſcuis. uiis. & inuiis. terris cultis. & incultis. exitibus. & reditibus. queſitis. & inquirendis. absque ulla ſui diminutione. libere & integre prelibato cenobio perpetuo poſſidendo donavit. Nos itaque praefati Erenfridi comitis Palatini ſueque conjugis Mathildis piam ſecuti aƈtionem. de noſtro etiam aliqua eidem monaſterio. ob Dei amorem. noſtraeque animae ſalutem. curauimus addere. id eſt ad *Alſtenrode*. v. manſos. & curtem quandam infra noſtrae urbis muros ſitam. ob hoc uidelicet. ut ejusdem monaſterii primus abbas uenerabilis Ello ejusque ſucceſſores. eam tenendi habeant a modo liberam poteſtatem. Haec ergo iam habita & quaeque in futurum habenda. ex auƈtoritate ſanƈtae & indiuidue Trinitatis patris & filii & ſpiritus ſanƈti. & beati Petri apoſtoli. noſtrique ordinis. atque iuris cenſura confirmamus. & per hanc noſtrae defenſionis paginam. ſigillo noſtro. manuque propria inſignitam. in perpetuum corroboramus. teſtibus idoneis. qui interfuerunt ſubnotatis. Nomina teſtium. Ansfridus epiſcopus de Trajeƈto. Meginardus epiſcopus Poderbrunnenſis. Nithardus praepoſitus templi. Sigezo praepoſitus. Werenzo praepoſitus. GODEFRIDUS *dux piloſus*. GEVEHARDUS *antiquus comes de Moſella*.

RI-

Richezo comes de *Hengebach*. Godefridus filius ejus. Herimannus comes de *Noruenich*. Sicco comes. Starchri. Embrico. Eppo. Ruoprat. Ruocher. Gerunc. Heriman. Acta sunt hec Dominice incarnationis anno M. xxviii indictione xi. regnante Cuonrado Romanorum imperatore augusto.

Num. XXXVII.

Charta tertia Piligrimi, qua curtem Coloniae cum domibus novo monasterio tradit an. MXXVIII.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. Piligrimus Dei gratia Coloniensium archiepiscopus. ac plebis Dei famulus. Christianae fidei cultoribus quorum mens fixa erat in celo non est visa inanis operatio. si necessitatibus sanctae Dei aecclesiae eiusque servitoribus fidelis eorum subveniret devotio. Quorum nos piam devotionem si secuti fuerimus. caelestium quoque praemiorum. Deo donante participes erimus. quoniam justus & misericors Dominus qui omnium bonorum tribuit incrementum. & plantantem & rigantem aequa mercede remunerat. Unde notum esse uolumus cunctis Christianae fidei seruatoribus & amatoribus. qualiter nos ob Dei amorem nostraeque animae salutem tum etiam ob sanctae Coloniensis aecclesiae cui Deo auctore deseruimus honorem. ad monasterium S. Nicolai quod nostris diebus a *Palatino comite* Erinfrid uocato noviter fuerat constructum. quandam curtem infra nostrae urbis muros sitam donavimus cum cunctis quae in ea tunc erant domibus que quondam fuerat Wicilini *de Duno*. ob hoc scilicet ut praedicti monasterii primus abbas venerabilis Ello ejusque successores eandem curtem tenendi a modo liberam habeant potestatem. & quotiens cujuscumque rei causa ad urbem commigraverint. in eadem aptissime suam possint perficere necessitatem. Precipimus ergo ut hanc donationem nullus umquam minister aut advocatus infringere praesumat. nec quicquam

Ex autographo

praeter voluntatem ipſius abbatis eiusque ſucceſſorum uſurpare audeat. Ipſi tantum abbates ad uſum ſuum & fratrum ſuorum ob noſtrae orationis memoriam hanc inviolabiliter poſſideant. Et ut haec donatio in futurum non ualeat violari hanc cartam inde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione juſſimus ſignari.

Num. XXXVIII.

Henrici III imp. confirmatio fundationis, bonorum ac jurium abbatiae Brunvillar. XVI Kal. Aug. an. MLI.

Ex autographo

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Romanorum imperator auguſtus. Notum eſſe volumus cunctis preſentibus quam *futuris* qualiter ERENFRIDUS beate memoriae *comes Palatinus* una cum conjuge ſua domna MATHILDE abbatiam in loco qui vocatur *Brunwilare* conſtruxerunt. Quam ſecundum quod a Domino fuit eis inſpiratum compoſitam & ordinatam poſuerunt ſub mundiburdio beati Petri *Coloniae* ut monaſterium illud in perpetuum cum univerſis appendiciis ſuis liberum ſub tutela beati principis apoſtolorum ab omni poteſtate permaneret intactum. Poſtea defunctis ſupradictis principibus filii eorum HERIMANNUS ſcilicet cariſſimus noſter ſanctae Colonienſis aeccleſiae uenerabilis ac pius archiepiſcopus. nec non ſorores ejus domna RICHEZA *Bolemiae* quondam regina. ac THEOPHANU Asnidenſis monaſterii abbatiſſa. Hii inquam parentum ſuorum ſucceſſores edocti ab legis peritis irritari poſſe traditionem illam. ſupradictum monaſterium cum omnibus eo pertinentibus. in hereditarium ſibi jus legibus poſtularunt. Quibus loco & tempore conceſſis. domnus Herimannus archiepiſcopus cum aduocato ſuo Rutgero. nec non domna Richeza cum aduocato ſuo Gerhardo in *Poderbunnon*. domna quoque Theophanu in *Goſelare* in meam uenerunt preſentiam. legem ut ſupradiximus in aduocatum domus ſci Petri Criſtianum legem de predicto poſtulantes

lantes monasterio. Quibus in mea presentia placito indicto. legibus discussis. filii parentum suorum hereditatem principum obtinuere judicio. Sed mox timore & amore Dei commoniti. pro se suorumque parentum in gremio ejusdem aecclesiae sepultorum eterna memoria. eandem hereditatem prefatum scilicet monasterium. cum locis subternotatis & uniuersis ad hoc pertinentibus. id est *Louenich. Vremirstorp. Kuningistorp. Danswilre. Glessene. Kyrtorp.* (q) *Sentere. Manstede. Ichindorp. Slenderhagen.* (r) cum omnibus appendiciis suis. hoc est utriusque sexus mancipiis. areis. edificiis. terris cultis & incultis. viis. & inviis. pratis. pascuis. siluis. uenationibus. aquis. aquarumque decursibus. molis. molendinis. piscationibus. exitibus ac redditibus. quesitis & inquirendis. cum omni utilitate que ullo modo inde prouenire poterit. Deo sanctoque Nykolao in *Brunwilre.* in manus abbatis ac fratrum ibidem Deo seruientium. in nostra presentia cum omni integritate libera ac perpetua donatione tradiderunt. Proprietatem uero dicti monasterii. cunctarumque possessionum ad hoc pertinentium beato Petro *Colonie* in manus Cristiani aduocati pari uoto & consensu tradiderunt. ea scilicet ratione. ut tam ipse dominus Herimannus uenerabilis sanctae Coloniensis aecclesiae ac pius archiepiscopus quam omnes sui in perpetuum successores ejusdem abbatiae defensores atque tutores existerent. Terminum eciam & bannum ipsius predii. predicto monasterio sicut eorum progenitores habuisse noscuntur. designantes a via quae dicitur *Jacobsweck.* usque ad uiam *Hespath.* rursumque a uia Hespath ad viam regiam & a via regia per cursum rivuli qui dicitur *Arnese.* ita constituerunt. ut nullus ibidem aliquid juris uel potestatis habeat preter abbatem ipsius loci & villicum ejus quemcunque statuerit.

(q) Locus hic cum sequenti Sentere, hod. *Sintern*, coaluit.

(r) Lövenich præceptoriæ S. Joh. Coloniensi venditus est. Ichendorf & Schlenderhagen ad Juliacensem ducatum pertinent. Reliqua loca circum abbatiam Brunvillar. sita, ejusdem dominio adhuc subdita sunt.

In eodem quoque predio quatuor ſiluas. quarum nomina ſunt *Widehouwe. Hanepuze. Aſp.* & *Bram.* eidem monaſterio cum omni ſua integritate contulerunt. quarum duas id eſt *Widehouwe* & *Hanepuze* illi ſolummodo familiae aecclesiae que cenſum ſoluit ad ſubleuamen conceſſerunt. ita tamen ut nullus extraneus aliquid juris in eis habeat. Porro duas reliquas id eſt *Aſp* & *Bram* libere & integre ad cameram abbatis conſtituerunt. cui eciam abbati ſingulariter duas paludes. unam inter *Sintere* & *Gleſſene.* alteram circa fluvium *Arneſe* a ſilua quercea usque ad pontem. *Turre* tali jure tradiderunt. ut nemo in his preter abbatem aliquid poteſtatiue uſurpare preſumat. neque aliquis ibi excepto abbate & fratribus piſcari audeat. Prata quoque que vel ipſe Etzo *comes Palatinus* tunc habuit. uel abbas & fratres ejusdem loci adquirere potuerint. in illis terminis qui vulgo dicuntur *Coppelenwede.* quorum terminorum duos ſco Petro dedit. unum in *Toneburch.* alterum circa ripam *Arneſe.* tali eos pace habere decreuerunt. ut nulli penitus quicquam juris inde facere compellantur. Silvam eciam que pre magnitudine ſui *Vele* nuncupatur dominus Etzo memoratus. & frater ejus comes Hezelinus dum communi utilitate poſſiderent. eandem utilitatem parcientes. ob remedium ſuarum animarum duobus cenobiis tradiderunt. Comes Palatinus ſuam quidem partem beato Nykolao in *Brunwilre.* frater vero ejus ſuam beato Cornelio cum predio *Bercheim.* hanc utrobique legem ſtatuentes. ut nullus in predicta ſilua aliquid poteſtatis aut juris habeat. preter ſupradictorum cenobiorum patres. & manſionarios illos qui in bonis aecclesiae deſtructa reſarcire & communire debebunt. uel illos quibus ipſi abbates pro miſericordia conceſſerint. Nullus autem extraneorum in ea aliquid ſibi quaſi pro juſticia uſurpandi licenciam habeat. preter illos tantum quos predicti abbates in illam pro ſoluendo ſibi frumento conſignauerint. qui vulgo dicuntur *Werlude.* ea tamen conditione. ut ſi ipſi homines aliquid contrarii admiſerint. liceat ipſis abbatibus eos inde expellere. & alios quos voluerint pro eis admittere. Si

quis

quis autem absque eorum conceſſione aliquid in illa ſilua preſumpſerit. & foreſtárius abbatis de *Brunwilre* hoc deprehendens aliquid pro pignore detinuerit. utrique abbates ex equo parcientur. eadem uiciſſitudine cuſtodita ex parte abbatis ſancti Cornelii. ſi foreſtarius ipſius idem deprehenderit ſimili modo parciendo. nec ſuis advocatis inde dare aut aliquid reſpondere tenebuntur. Venerabilis itaque archiepiſcopus dominus Herimannus. ſue quoque ſorores prenominate. tam piam ac ſanctam patris ac matris imitati deuocionem. et factam ab eis traditionem approbantes. jam dictam ſiluam cum ſuis utilitatibus prefato cenobio adjecerunt. ea ratione. quod tam caminate abbatis quam fratrum officinis. id eſt coquine. piſtrino. infirmorum domibus. uel ubicunque juſta ordinatione fratrum neceſſitas poſtulaverit. uſus neceſſarius in perpetuum inde proueniret. Hiis ita per omnia prouide ac diſtincte proſecutis. & traditione legitime, atque competenter peracta. rituque legali Colonienſi aeccleſiae proprietate confirmata. ipſi qui tradiderant noſtram adiuere clementiam rogantes. ut eam loco predicto libertatis gratiam ſtatueremus. quatenus ab omnium preſentium ac futurorum tam pontificum quam regum. ſeu imperatorum liber dominatu letius tam pro noſtra quam pro ipſorum ſalute uacaret. Quod ſi eciam abbas loci ad Dnum migraverit. & eſt infra locum frater idoneus. electum a monachis archiepiſcopus abbatem conſtituat. Si uero ſecum non inuenerint. inter alios archiepiſcopi monachos patrem eligant monaſterii qui ab archiepiſcopo ipſum ordinante preficiatur. Archiepiſcopus quoque abbatis & fratrum conſilio aduocatum conſtituat. dum abbas idoneum uelit. ſub quo nequaquam alius fiat. quem ſecundum uocant aduocatum. Qui aduocatus ſi forte in ſuperbiam elatus. plus juſto ſibi aliquid uendicando in homines aut res eccleſiae manus mittendo. abbati & fratribus injurioſus aut inutilis exſtiterit. archiepus ipſum deponat. & alium quem utiliorem judicauerit ad peticionem abbatis & fratrum in loco ejusdem ſubſtituat. Hanc eorum peticionem juſtam ac piam agno-

ſcen-

ſcentes. annuente ſimulque rogante domno Herimanno tunc temporis in urbe ſancta pio ac uenerabili archiepo. qui & ipſe traditionem fecerat. aduocato quoque domus ſci Petri Criſtiano preſente atque aſſentiente. uoluntati eorum prebuimus aſſenſum. loco illi ſcilicet Brunwilare nominato. ſupradictam abbatie libertatem ſtatuentes. atque ut rata & inconuulſa maneat in perpetuum. cartam hanc libertatis eis conſcribi. manuque propria ut ſubtus videtur corroborantes. ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Quam ſi quis infringere temptaverit. ad primum iram Dei. ſanctique Petri. ſimulque omnium ſanctorum incurrat. ſciatque ſe compoſiturum auri puriſſimi libras centum. noſtre camerae medietatem. archiepiſcopo alteram medietatem.

Signum domini Heinrici tercii regis inuictiſſimi ſecundi Romanorum imperatoris auguſti.

Winitherius cancellarius uice Bardonis archicancellarii recognovit.

Data xvi kl. Aug. indictione iiii. Anno Dnice incarn. Mill. li. anno autem domni Heinrici tercii regis. ſecundi imperatoris. ordinationis ejus xxiiii. regni uero xiii. imperii v. Actum *Covphyngin* feliciter amen.

Num. XXXIX.

Henrici III. imp. ordinatio de bonis monaſterii in tractu Moſellano ſitis XV kal. Aug. MLI.

Ex autographo

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum imperator auguſtus. Si locis Deo dicatis quibus beneficia non conferimus. ſaltem ab aliis fidelibus Chriſti tradita confirmaverimus. divinitus nos procul dubio remunerari confidimus. Quapropter fidelium noſtrorum tam praeſen-

ſentium ſcil. quam futurorum magnitudo comperiat qualiter quedam domina venerabilis RICHEZA nomine regina quondam *Poleniae* praedium ſuum *Cloteno* dictum. aliisque locis ſubternotatis. id eſt. *Cheinenheim. Elre. Brembe. Aſche. Masbreth. Werwis. Cauelach. Wilre. Pulecho. Chuchomo. Chundedo. Merle* & *Rile. Enchriche. Luzenrode. Dreiſe.* & *Ottingin.* cum manſis & mancipiis. & cum omni integritate ipſius videl. in villis. in areis. in manſionibus. in vineis. & arpennis. in ſilvis. & in agris. in pratis. in aquis. aquarumque decurſibus. & in paſcuis. viis. & inviis. terris cultis & incultis. exitibus & reditibus. queſitis & inquirendis. & cum omnibus appendiciis ſuis. absque ulla ſui diminutione. pro remedio animae ſuae. fratrisque ſui beate memorie OTTONIS ducis. aliorumque parentum ſuorum in monaſterio Brunewilarenſi ſepultorum libere & integre Deo ſanctoque Nykolao ad predictum monaſterium per manum HEINRICI *Palatini comitis* filii patrui ſui. ſub cujus tunc mundiburdio manebat. contradidit. terminum etiam & bannum ejusdem praedii. ſicut ipſa prius habuit a fluvio *Andrida* usque ad fluvium *Elza.* ita conſtituit. ut nullus ibi aliquam poteſtatem habeat. niſi abbas ejusdem loci. & villicus ejus quem conſtituat. Quasdam etiam arpennas ideſt vineas. quibusdam ſervientibus ſuis beneficiaverat. id eſt Ruoperto praepoſito duas. Weringero de *Saleveld* duas. Sigebodoni de *Odendorf* duas. Sigefrido pincerne tres. Epponi de *Altendorp* duas. & Camerad juxta dominicam curtem. Adelberto fratri Winboldi duas. Embrichoni de *Geldeſtorp* duas. Ansfrido clerico ſuo XIIII. manſos cum mancipiis ſuis ad *Luzenrode.* & vinum quod dicitur *ſcozwin* in *Cloteno.* Erneſtoni fratri ſuo duos manſos cum mancipiis in *Dreiſe.* Wolferum etiam tradidit illuc cum ſua poſſeſſione. ea videlicet conditione ut quamdiu vivant. eccleſiae bona ſive beneficia habeant. poſt mortem vero illorum nullus heredum ſuorum quicquam de hiis. ſibi quaſi jure hereditario vendicet aut poſſideat. ſed in jus & dominium &c. ſ. Nykolai ita tradidit. ut nullus extraneas niſi forte liberas. vel

ex poteſtate ſ. Petri Colonie ducat uxores. ſi autem alienas acceperint uxores. omnis hereditas eorum & univerſa que poſſident ad ſ. Nykolai cedant monaſterium. & nullus heredum ſuorum in hiis quicquam habeat. Si vero ex poteſtate ſ. Petri Colonie uxores duxerint. filii eorum iterum accipiant uxores ex poteſtate ſ. Nykolai. quod ſi non facerint. omnis hereditas eorum & omnia que poſſident ad ſ. Nykolai & abbatis redeant dominium. Eadem vero rogante abbas Tegeno predicti monaſterii. idem ei predium permiſit in beneficium. poſtquam ipſe illud in ſuum redegerat dominium. cui ſtatim curtem *Caneda* & familiam quinque libras ibi ſolventem. quod fuit Ellonis beneficium. ad *Gewere* tradidit & VI. arpennas Cloteno que fuerunt SICCONIS comitis beneficium. & duas manſiunculas quas Wecelinus habuit. & in quibus habitavit. Tradidit etiam caſtrum ſuum *Chuchomo* HEINRICO *Palatino comiti*. filio patrui ſui. ea ſcilicet conditione. ut quamdiu viveret. ſuper ipſum predium Cloteno defenſor. & advocatus exiſteret. poſt obitum vero ſuum. ſi ipſe heredibus careret. proximus heres domne Richeze regine advocatiam ſuper eadem bona haberet. ſi vero & ipſi heredes defuerint. Colonienſis archiepiſcopus eandem advocatiam tribuat cuicunque abbas & fratres petierint. Sicconi vero comiti qui eandem advocatiam a Palatino comite predicta regina Richeza petente ſuſcepit. tale ſervitium tribus tantum temporibus anni. ſibique ſuccedentibus advocatis conſtituit. ſcilicet ut ad unum quodque placitum detur advocato modius unus tritici. & unus ſiliginis. & quinque ſolidi levis monete pro carne. aut porci. vel oves quinque ſolidos levis monete valentes. & tantum vini detur quantum ad iſtud ſervitium conveniat. modii quinque avenae. id eſt ad duo placita modii decem avenae. In natali vero ſ. Johannis Baptiſte in prato quod vocatur *Summunt*. papulum ei detur in gramine. addito uno modio avene. At ſi villicus vel de edificiis vel de agricultura placitum ibidem habuerit. nullam inde partem vel juſtitiam querat advocatus. ſimiliter & de placito. quod vocatur *budinc*. Hanc autem tradi-

traditionem cum moneta & mercatu per manum Heinrici Palatini comitis. ſub cujus tunc mundiburdio manebat. in preſentia noſtra. & domini Herimanni ſancti ecclesie Colonienſis venerabilis ac pii archiepiſcopi multorumque principum regni fecit. quam abbas Tegeno ejusdem monaſterii. & Sicco prefatus comes & advocatus ibidem ſuſceperunt. noſtram imperialem flagitantes clementiam. ut eadem bona Deo ſanctoque Nykolao confirmaremus. Et ut navibus & bonis abbatis & fratrum & familie. de *Cloteno* & *Meſenich.* per alveum Reni. ſive *Moſelle.* quotienscunque neceſſitas popoſcerit. liberum aſcenſum & deſcenſum ſine aliqua exactione thelonii traderemus. quorum petitioni annuentes. chartam hanc inde conſcribi. manuque propria ut ſubtus videtur. corroborantes. ſigilli noſtri inpreſſione juſſimus inſigniri. Quam ſi quis infringere temptaverit. ad primum iram Dei. ſanctique Petri. ſimulque omnium ſanctorum incurrat. Signum domni Heinricii tercii regis invictiſſimi ſecundi Romanorum imperatoris auguſti. WINITHERIUS cancellarius vice BARDONIS archicancellarii recognovit. Data XV. kal. Aug. indictione IV. anno Dom. incar. Mill. LI. anno autem domni Heinrici tercii regis. ſecundi imperatoris. ordinationis ejus XXIV. regni vero XIII. imperii V. Actum *Couphyngin*. feliciter amen. Cujus rei teſtes ſunt. HERIMANNUS Colonienſis . . . HEINRICUS *comes Palatinus.* SICCO comes. STARCHRI comes. Gerardus. Berrengerus. Gozwinus. Ruotgerus. Embrico. Eppo. Winboldus. Ansfr. (*s*)

Num. XL.

Henrici III imp. de monaſterio Brunwillar. ejusque praecipue advocato ordinatio XV Kal. Aug. MLI.

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis. Heinricus divina fauente clementia Romanorum imperator auguſtus. notum eſſe uolu- Ex autographo

(*s*) Fragmentum membranæ hic exciſum.

uolumus presentibus & futuris quod karissimus noster HERIMANNUS sanctae Coloniensis aecclesiae uenerabilis ac pius archiepiscopus. nec non soror ejusdem domna RICHEZA *Poloniae* quondam *regina* ad nostram accedentes presentiam. abbatiam in loco qui *Brunwilare* dicitur a suis parentibus domno ERENFRIDO scilicet *comite Palatino* & sua conjuge domna MATHILDE primum fundatam. dehinc post decessum eorum ad ipsos jure hereditario deuolutam. ipsum eciam predium *Bruwilare* cum omnibus appendiciis suis. sicut ab ipsis deuote Deo sanctoque Nykolao traditum. ac pia dispensatione primum fuerat constitutum. sibi in jus hereditarium legibus postularunt. quibus in mea presentia placito indicto. legibus discussis. filii parentum hereditatem. justicia dictante. per sententiam principum obtinuerunt. qui mox timore & amore Dei commoniti. pro se suorumque parentum. fratrum ac sororum in gremio ejusdem aecclesiae sepultorum. eterna memoria. dictum predium Brunwilare cum omnibus appendiciis suis. & cum omni integritate scilicet in agris. in pratis. aquis. pascuis. siluis. Deo ac piissimo Nykolao & fratribus ibidem Deo seruientibus perpetuo possidendum. secundum diffinitionem. ac liberam parentum suorum traditionem pari deuotione contulerunt. Terminum etiam & bannum ipsius predii predicto monasterio sicut eorum progenitores habuisse noscuntur. designantes a via que dicitur *Jacobsweck*. usque ad viam *Hespath*. rursumque a via Hespath ad uiam regiam. & a via regia per cursum riuuli qui dicitur *Visbach* usque trans fluvium qui dicitur *Arnese*. ita constituerunt. ut nullus ibidem aliquid juris uel potestatis habeat. preter abbatem ipsius loci. & villicum ejus. quemcunque statuerit. Pro habundanti quoque cautela. beato Petro sanctae Coloniensis aecclesiae summo patrono. idem monasterium dictumque predium. in proprietatem absque omni exceptione in manus CRISTIANI Coloniensis aduocati. rata ac perpetua donatione tradiderunt. quatenus idem locus. ab omnium presentium & futurorum tam pontificum quam regum seu imperatorum liber dominatu letius tam pro nostra

quam

quam pro illorum ſalute uacaret. Verum quia plerumque accidit. ſeruos Dei aut perfidorum uiolentiis opprimi. injuriis ſeu dampnis fatigari. cauto deliberationis moderamine conſtituerunt. ut Colonienſis archiepiſcopus de conſilio ac uoluntate abbatis dictae aeccleſiae aduocatum preficiat. dummodo abbas idoneum uelit. poſt quem qui ſecundus dicitur aduocatus. nullo modo ſubrogetur. De ſeruitio etiam quod exhibendum erit hujusmodi aduocato ſic ordinauerunt. ſcilicet ut tribus anni temporibus quibus legitima placita obſeruanda erunt. cum viginti equis aduocatus in locum ueniat. & prima nocte qua uenerit. ſequentique die ſeruitium ei abbas tribuat. ut tantis ſufficiat. dehinc mane ſcilicet tercia die prandium ſolummodo accipiat. & recedat. ipſe quoque aduocatus caueat ne ſupra ſtatutum ſibi ſeruitium ſuperfluum aliquid exigat uel requirat. ſi uero plures ſecum adduxerit. in abbatis erit arbitrio ipſis aliquid aut nihil dare. Familia quoque ejusdem aeccleſiae obſeruet placitum aduocati tribus anni temporibus & non amplius. quociens uero abbas uel ſuus uillicus apud *Brumwilare* uel quolibet in loco infra terminos abbatie placitum habere uoluerit. quod uulgariter *buding* dicitur. id ſue ſit poteſtatis. nihilque in tali placito aduocatus requirat. aut ſibi uendicare praeſumat. Hujus igitur conſtitutionis paginam que ad inſtantiam ſupramemorati Colonienſium archiepiſcopi. & ſuae ſororis domne RICHEZE reginae in noſtra primorumque regni preſentia juſte & rationabiliter ordinata eſt. ut rata & inconuulſa in perpetuum permaneat. manu propria ut ſubtus uidetur corroborantes. noſtri ſigilli impreſſione juſſimus inſigniri. quam ſi quis infringere temptauerit. Dei omnipotentis. ſanctique Petri. et omnium ſanctorum incurrat iram. & ut uiolator noſtrae conſtitutionis perdat aduocatiam illam. ſciatque ſe compoſiturum auri puriſſimi libras centum. noſtrae camere medietatem. archiepiſcopo alteram medietatem.

Signum domni Heinrici tercii regis inuictissimi secundi Romanorum imperatoris augusti.

WINITHERIUS cancellarius uice BARDONIS archicancellarii. recognovit.

Data XV. kl. Aug. indictione IIII. anno Dnice incarn. Mill. LI. anno autem domni Heinrici tercii regis. secundi imperatoris. ordinationis ejus. XXIIII. regni uero XIII. imperii V. *Covphyngin.* feliciter amen.

Num. XLI.

Richezae reginae dvnationis novae in Cloteno literae VII id. Sept. an. MLI.

Ex autographo

In nomine sanctae & individuae Trinitatis. Sicut religiosa ac pia semper parentum sollicitudo quodam naturali affectu dilectis filiis non solum in temporalibus ad presens. sed etiam de mansuris providere debet in futurum. sic devota filiorum successio rationabilia parentum Deoque placita instituta non tantum debent inconvulsa custodire. verum ad instar servorum fidelium sibi creditum a Domino talentum geminando per opera misericordiae & semper ad meliora proficiendo. eterne retributionis premium fiducialiter exspectare. Inde est quod ego RICHEZA Polenie quondam regina. post decessum patris mei domini ERENFRIDI illustrissimi *Comitis Palatini.* & matris mee Deo devotissime MATHILDIS. Brunwilarensi cenobio ab ipsis primum fundato. paterne devotionis intuitu debitam cupiens exhibere reverentiam. possessiones ad ipsum praedium *Bruwilre* pertinentes. cum villis. agris. mansis. mancipiis. silvis. pratis. pascuis. molis. molendinis. aquis. aquarumque decursibus. quesitis & acquirendis. in ipso termino constitutis. *Cloteno* etiam super *Mosellam* cum suis appendiciis. *Mesenich* & *Ryle.* cum omni integritate sicut pater meus ea jure pro-

proprietatis legitime & pacifice possederat. & jam dudum vivus & incolumis pro remedio animae suae & matris mee defuncte prefato monasterio cum filiorum consensu libere tradiderat. quemadmodum in privilegio domini Piligrimi venerabilis Coloniensis archiepiscopi continetur. Hec inquam Deo sanctoque Nykolao consignata secundum patris mei constitutionem non solum rata & inconvulsa custodire curavi. verum etiam de meo patrimonio adhuc mihi superstite Christum faciens heredem ob sempiternam parentum & fratrum meorum in gremio ejusdem ecclesiae sepultorum. meique memoriam. beato Nykolao prefati cenobii patrono. arpennas xx & unam in *Cloteno* perpetua traditione adjeci. velle habens bonum adhuc ampliora si vita comes fuerit conferre. quia illic locum sepulture mee juxta matrem meam elegi Deo volente. Si quis autem hanc nostre constitutionis paginam infringere vel ausu temerario violare presumpserit. iram Dei omnipotentis & beati Petri principis apostolorum sanctique Nykolai & omnium sanctorum incurrat. & nisi mature resipiscat. auctoritate patris & filii & spiritus sancti perpetuo anathemati subjaceat. Verum ne quid huic libere nostre traditioni in sua simplici veritate derogare possit in futurum contra perfidorum machinationes presens scriptum sigilli nostri impressione munire ac roborare curavimus. testibus idoneis. qui hec viderunt & audierunt subternotatis.

Nomina testium. HEINRICUS *Comes Palatinus*. Ruotgerus advocatus. GERHARDUS comes. Gozwinus. STORKERO comes. SICCO comes. Ruodpertus capellanus. Embrico. Eppo. Winboldus. Ansfridus. Heimo.

Data VII. idus Septembris anno Dominice incarnationis mill. LI. Indictione IIII. regnante Heinrico tercio Romanorum imperatore augusto.

Num. XLII.

Num. XLII.

Leo IX papa Herimanno archiep. Colon. tradit & confirmat monaſterium Brunivilare an. MLII.

Ex autographo

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei HERIMANNO ſanctae Colonienſis aecclesiae uenerabili archiepiſcopo. ac per eum ſuis ſucceſſoribus illuc canonice intrantibus in perpetuum. Conuenit apoſtolico moderamini pia pollentibus religione. aſſenſum pietatis prebere. ut & nobis proficiat ad aeternam beatitudinem. & aecclesiis ad perpetuam defenſionem. Quia nuntius tuus Romam ueniens fili kariſſime ſollicitavit nos precum ſuarum nimietate. ut per apoſtolicae defenſionis paginam confirmaremus aeccleſiae tuae. abbatiam ſitam in loco qui dicitur *Brunivilare.* ſicut preceptum kariſſimi filii noſtri imperatoris HEINRICI uidetur continere. Inclinati igitur tuis juſtis precibus. confirmamus & corroboramus tuae aeccleſiae predictum monaſterium noſtra apoſtolica auctoritate. ut habeat & poſſideat cum omni ſua integritate. & quod habet modo. & quicquid adquirere poterit in futuro. ſecundum diffinitionem qua diffinitum eſt ante preſentiam filii noſtri ſereniſſimi imperatoris. ſtatuentes apoſtolica cenſura. ut nullus imperator. rex. archiepiſcopus. epiſcopus. dux. marchio. comes. uicecomes. uel quilibet cujusquam poteſtatis exactor. moleſtare. uel infringere audeat. ſed ſicut a te eſt conſtitutum permaneat. Si quis autem contra hanc defenſatricem paginam uenire temptauerit. noſtri anathematis jaculo perfoſſus ad uitam numquam ſurgere mereatur. qui uero cuſtodierit inmutilatam noſtram benedictionem habeat cumulatam. Data nonas Mai per manum FRIDERICI diaconi ſacrae Romanae aeccleſiae bibliothecarii & cancellarii uice domini HERIMANNI archicancellarii & Colonienſis archiepiſcopi. anno domini Leonis VIIII. papae IIII. indict. V.

Num. XLIII.

Num. XLIII.

Annonis archiep. Colon. literae de donatione castelli Salavelt et Orla per Richezam reginam an. MLVII.

In nomine sancte & individue Trinitatis. ANNO secundus divina prestante misericordia s. Coloniensis ecclesie archiepiscopus. Consideramus ergo quia fecit michi Dominus magna qui potens est. anxius factus sum pro eo. quod vix invenirem quid retribuerem Domino pro omnibus que retribuit michi. Hiis curis estuanti michi. divina pietas viam aperuit. qua pergens eo quo desiderabam attingere posse. speraverim. scilicet ut amplificando ecclesiam dono Dei michi commissam. hiis qui me praecesserant. viris toto pene orbe terrarum. tum sanctitate. tum patrimonio. tum generis claritate conspicuis. et ut pace illorum dicam. me studiosius operantem parem illis factum esse. dicere non formidem. Inde occasione data. dominam RICHEZAM reginam super quibusdam prediis *Salavelt* videlicet & *Koburk*. quatenus de hiis precariam consentiens ea sancto Petro Colonie traderet. convenimus. quod cum in aditu primo parum ad votum responderet. voluntas Dei fuit. ut non longo post tempore quod querebamus prosperum ac felicem haberet exitum. Unde notum esse volumus cunctis tam futuris quam presentibus Domini Dei & sancti Petri fidelibus. qualiter STARKHARE quidam vir ingenuus & comes miles ipsius regine precepto atque peticione domine sue *Salaueldon castellum* cum universis ad hoc pertinentibus. terris. ac siluis. forestis atque piscationibus. pratis. pascuis. familiis. & quicquid ipsa in *Orla* proprietatis habere visa est. exceptis servientibus. sancto Petro Colonie. ad usum archiepiscopi Christiani advocati tradidit jure perpetuo possidendum. eo videlicet tenore. ut ipsius predii usus fructum domina regina usque in finem vite sue teneat. ea quoque ratione ac firmissimo interdicto. ne unquam aliquis archiepiscoporum per concambium vel cuiquam in beneficium dando

Ex autographo

Salauelt vel ad hoc pertinentia ab dominato ſuo faciat aliena. niſi forte quantum nos cum ejusdem regine conſilio. pro anima noſtra nec non ipſius ſuorumque parentum per monaſteria *Colonie* diſtribuendum ex ipſo ſtatuerimus. Sed & decimam veſtimentorum ſive cujusque generis pannorum. nec non & lodicum. mellis quoque & cere in uſum monachorum in *Brunwilere* regina diſpoſuit. Nos quoque pro devotione chriſtianiſſime regine non multa quidem a nobis querenti. quantum tamen ipſa propoſuerat. in precariam ejus conceſſimus. has videlicet villas noſtri dominicatus ei tradentes. usque in finem vite ſue cum omni utilitate poſſidendas. *Sekkebach. Brezenheim. Unkolo. Moffendorp. Muoteresheym. Blazheym. Zuonozo.* (*t*) Inſuper annis ſingulis. centum marcas argenti de camera noſtra. Que omnia eo tempore facta ſunt. ut ſi quis vel rex. vel epiſcopus. ſive ipſe ego vel aliquis ſucceſſorum meorum de his omnibus ei aliquid minuere. vel aliquo modo mutare. niſi ipſa petente temptaverit. odium Dei & ſancti Petri incurrat. ipſaque ſit potens *Salauelt* & omnia eo percontinentia recipere. eisque ut propriis uti. Tradidit quoque domina regina immo ſupradictus comes Starkhare ſervientes quos ſupra excepimus omnes utriusque generis. ad hec predia pertinentia precepto atque peticione domine ſue ad altare ſancti Petri ſub cenſu duorum denariorum annis ſingulis. quatenus ipſi & omnis poſteritas eorum ſub ea lege permaneat. qua omnes ſimilem cenſum ad altare ſolvunt. Illud quoque firma ratione conſtituens. ut liberis. vel *fniordis.* venatoribus. ſive cujuscunque generis hominibus ad hanc donationem pertinentibus que ſuis temporibus jura & optimas conſuetudines habuiſſe probare poterint.— Anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti. M. quinquageſimo VII. indictione X. VII. kalendas Julii. facta eſt hec traditio in *Salaueldon* ſecundum legem & ritum gentis illius. cujus rei teſtes

(*t*) Hod. *Zons*, oppidulum Colonienſe ad Rhenum, infra Coloniam.

teſtes hii ſunt. aſtantes quidem & videntes traditionem. Otto comes. Vtlogh. Wetego. Reinzecho. Herman. ejusque filius Herman. & iterum Herman. Reguhart. Gerwart. Adelger. & iterum Adelger. Gunthere. Rathere. Mazzo. Ruodolf. Hereman. Adelhart Adelbert. Gerbert. Uſico. Helmbolt. Ruozelin. Adelrich. Marlog. Unicho. & iterum Unicho. Bebo. Bubo. Gadelher. Starkhare. Quando domina regina ſtans in domo ſ. Petri traditionem hanc recognovit. & Starkhare comes ita ut in *Salauelt* tradidit ſ. Petrum ita veſtivit. teſtis eſt Colonienſis clerus & populus. tum hi quos ſubternotabimus. Berthold. Sicco. Ruotger. Adolf. Criſtian. Ingram. Beringer. Adelger. Burghart. Thietmar. Hereman. Arnolt. Godefrid. Gerung. Sigebodo. Waltare. Hug. Gozwin. Emecho. Cuno. Wigman. Hereman. Harwart. Berthold.

Num. XLIV.

Henrici IV diploma de nona parte pecuniae ſuae Annoni archiep. Colon. data an. MLXIII.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Henricus divina fav. clem. rex. Quicquid ad utilitatem ſacrarum Dei aeccleſiarum ſacerdotes Chriſti venerando & eorum petitionibus aſſenſum prebendo conferimus. ad quietum temporalis regni ſtatum. & ad perpetuae beatitudinis augmentum. tam nobis quam parentibus noſtris profuturum ſine dubio credimus. Quapropter noſſe volumus induſtriam omnium Dei noſtrique fidelium tam futurorum quam preſentium. qualiter nos ob interventum ac petitionem fidelium noſtrorum videl. Adelberti Hammaburg. archiepiſcopi. Engelhardi archiep. Magedeburgenſis. Burchardi Halberſtetenſis ep. & maxime ob jugem meritum. ac fidele ſervitium Colonienſis archiepiſcopi Annonis eidem aeccleſiae & ſupradicto archiepiſcopo. ſuisque ſucceſſoribus pro remedio animarum avi Ex autographo

noſtri Cuonradi & genitoris noſtri piae memoriae Heinrici clariſſimorum imperatorum. ac pro incolomitate noſtra, regnique noſtri ſtatu. atque pro aeternae retributionis praemio. nec non pro animabus omnium parentum noſtrorum fidelium, tam ſuccedentium quam precedentium regia noſtra auctoritate. & poteſtate nonam pecuniae noſtrae partem. undecunque adquiſitam. in proprium condonamus. & confirmamus. ea videlicet ratione. ut prenominatus archiepiſcopus. ſuique ſucceſſores. de prefata pecunia. eam coram Deo habeant diſcretionem. ut inter omnia ejusdem ſedis monaſteria ſic dividatur. quatinus noſtra in omnibus illis deſcribatur. & in perpetuum memoria retineatur. Et ut haec noſtra regalis munificentia. ſtabilis. & inconvulſa per ſuccedentium momenta temporum permaneat. hanc cartam inde conſcriptam. manu propria ut infra videtur corroborantes. ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Signum domni Heinrici quarti regis.

FRIDERICUS cancellarius vice SIGEFRIDI archicancellarii recognovi.

Data II idus Julii. Anno Dom. incarnat. M. L. X. III. Indict. I. anno autem ordinationis domni Heinrici quarti regis VIII. regni vero VI. Actum *Goslare* in Dei nomine feliciter amen.

Num. XLV.

Literae fundationis eccleſiae b. Mariae ad Gradus Coloniae an. MLXV. (rectius MLXXV)

Ex autographo

In nomine ſ. & indiv. Tr. ANNO Dei fav. gratia Colon. archiepiſcopus.... Unde ego recolens me mandata Dei ſepius neglexiſſe genitricem ejus michi precatricem parare decrevi dum in honorē ejus edificarem aeccleſiam quam pius anteceſſor meus HERIMANNUS ſi mors non praeveniſſet ſuis ſumptibus diſpoſuerat edificandam

qua-

quatinus ibid. ſervientes miniſtri Dei jugibus votis ipſi ſ. virgini Mariae matri Domini noſtri Jeſu Chr. ſupplicarent ut pro peccatis noſtris anteceſſorum ſucceſſorum quoque noſtrorum interventrix exiſteret & paenas culpis noſtris debitas pia prece removeret.

Huic itaque aeccleſiae in Chriſti nomine aedificatae contulimus de rebus aeccleſiae. *Blisna. Wiſſa. Unkelo. Heigenbac. Elbeche. Vlameresheim.* quod ipſius anteceſſoris mei predium fuerat & eidem aeccleſiae ab eod. deſtinatum erat & in *pago Aquenſi* quod de prediis Ermentrudis acquiſierat. *Valchenburch. Munzhic. Gimminich. Epeno. Wilere.* cum omnibus appendiciis ſuis & quod ego per praecariam a domna RICHEZA regina & coheredibus ejus acquiſivi. *Meikkedenheim. Diemunderode. Aſſela. Clotteno.* & eccleſiam matricem in *Trutmonia* cum decania eadem. *Brouche* quod SIGEHARDUS cancellarius michi dederat & decimationem in *Saxonia* quam ad veſtitum fratrum deſtinavimus. Ne quem vero moveat quod injurioſe. *Clotteno.* manachis in *Brunwilere* abſtulerimus. volumus cunctis innoteſcere quod pactum ipſa nobiſcum fecerit. & nos poſtea cum monachis fecerimus. Ipſa quidem vivens monachis dederat *Kanada* quod ſolvit v libras in qua re voluntas ejus plurimum valet. Michi vero reliquum dedit ut in quocunque monaſterio ſepeliretur ejus monaſterii prefatum predium eſſet. Sed cum ab abbate loci illius & *Palatino comite* ſepius inquietaremus pro nummo abrenuntiationis monachis dedimus VIII arpennas vinearum in *Clotteno.* & IIII in *Sigenel* & calicem aureum & gemmatum qui Luzoni decano pro XXX marchis oppigneratus fuerat. Predium vero *Clotteno* canonicis ſ. Mariae ut ipſa petierat tradidimus. Praeter hec ejusdem aeccleſiae prepoſito cum banno dedimus decaniam in *pago Zulpiaco.* Praenominata itaque omnia & cetera quaecunque eid. aeccleſiae contulimus mobilia ſive immobilia ſtatuimus ſecundum apoſtolicam auctoritatem ut nullus auferat quem auferentem apoſtolici ſententia terribiliter dampnat. Si quis ergo &c.

Anno Dominicae incarnat. M. LX. V. (*u*) Indict. XIII. anno episcopatus domni Annonis. XVIIII. Actum *Coloniae* IIII. kal. Augusti.

Num. XLVI.

Sigewini archiepiscopi Colon. de instauratione ecclesiae b Mariae ad Gradus literae an. MLXXXV.

Ex autographo

In nomine s. & individuae Trin. SIGEWINUS gratia Dei Colon. archiepiscopus. Sicut apud Deum cognoscimus esse acceptabile divinis cultibus & laudibus aecclesias fundare. ita quoque collapsas reparare. ac pio religionis officio pristina consecratione innovare & reconciliare. non dubitamus apud ipsum esse placabile. quam sententiam oculis cordis frequentius presentantes. monasterium s. Mariae a domino nostro & predecessore ANNONE archiepiscopo b. m. fundatum & consecratum. sed exigentibus peccatis ex cōmbustione in cineres redactum reparari precepimus. & iterata consecratione. divina praeveniente gratia. dominicis laudibus sanximus. in qua consecratione. eidem aecclesiae dedimus. tradidimus. confirmavimus. aecclesiam in villa *Suelme* sitam. cum decimatione. omnique utilitate. quam prius tenentes illam cognoscuntur possedisse. In *Kampene.* duo talenta censuum. & sex porcos bacconales. & decimas ex mansis duobus. In decania *Zulpikouue.* universam decimationem indeterminatam. ex novalibus provenientem. nostris temporibus erutis. sive eruendis. Decimationem quoque *Elbeke.* ex novalibus. Huic traditioni intererant testes. Heriman praepositus. Gerhard decanus. Heriman cancellarius & praepositus. Humbreth. Hartuuic. Arnold. Roupmpreth. Johan. Hezel. Dieteriche. praepositi. Milites. HEINRICH

comes

(*u*) Legendus sine dubio annus MLXXV, cum quo indictio XIII & annus XIX episcopatus Annonis congruit.

comes de Lache. ARNOLD urbis prefectus. Dieterich. Gozuuin. Capellani. Bero. Johan. Godefrit. Servientes. HERIMAN urbis advocatus. Heinrich. Tiezo. Roupreth. Brun. Et ut haec nostra traditio rata & inconvulsa permaneat omni aevo. hanc kartam inde conscriptam & sigilli nostri impressione signitam. omnis generationis tam futurae quam praesentis notitiae reliquimus. Si quis ergo successorum meorum vel quaelibet alia persona labefactare hanc traditionem voluerit. temptaverit. anathematis sententia sit dampnatus. nisi penitendo a tali scelere resipuerit. Facta est autem haec traditio. anno Dominicae incarnat. millesimo LXXXV^to^ Indict. VIII. regnante christianissimo & victorissimo Heinrico imperatore III. feliciter.

Num. XLVII.

Hermannus III archiep. Coloniensis litem inter canonicos sanctae Mariae in gradibus et monachos Brunwillar. de praedio Clottono dirimit an. MXC.

In nomine sanctae & individuae Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus in Christo tam futuris quam praesentibus. qualiter ego HERIMANNUS tertius. licet peccator Coloniensis archiepiscopus desiderio desiderans pro humanae fragilitatis possibilitate iniquitatum molimina controuersiarumque litigia ex universis episcopatus nostri terminis procul eliminare. statuimus. decreuimus. odibilem discordiam diutinamque concertationem quae inter duas ex nostro praesulatu congregationes. videlicet canonicos de monasterio sanctae Mariae quod est in gradibus. & monachos de *Brunwilre* diu abhominabiliterque durauit. pace sequestra finire. Nam cum ob praedium quod RICHEZA regina in *Clottono* habuerat. & aecclesiae quae in Brunwilre in honore sancti Nicolai fundata est tradiderat. sed dominus ac predecessor noster ANNO archiepiscopus ad praefatam sanctae Mariae basilicam postea contulerat. ex utrisque querimoniarum crebrius infestaremur molestiis.

ſtiis. prudenti priorum & familiarium noſtrorum conſilio. nec non utriusque congregationis præcatu devoto & aſſenſu voluntario deliberauimus. quatinus praefati monachi Clottono absque iniuria contradictionis retinerent. ac canonicis ſanctae Mariae bona quae in *Unkelebahe* habuerant & *Rigimago* dimidiam arpennam & manſum v. ſolidos perſoluentem. & in *Furendale* XVIII. ſolidos. & *Eingriſche.* uniuerſa quae prius habuerant. tam in agris. qnam in areis. in uinetis. ac mancipiis. omnibusque prorſus appendiciis. nec non in *Siginels* IIII. arpennas redderent. Unde auctoritate patris & filii & ſpiritus ſancti ſub interpoſitione perpetui anathematis & diuinae ultionis animaduerſione precipimus. aſſerimus. quatinus haec pontificalis noſtrae ſententiae decreta perenniter ſtatuta inuiolataque obſerventur tenaci memoria. Si quis ergo auſu temerario huius noſtri decreti inſtinctu diabolico corruptor violentus exiſtere molitus fuerit. preſumpſerit perpetua anathematis execratione ſe exauctoratum intelligat. & aeternae dampnationis incendia niſi reſipiſcendo infeſti ſceleris machinamenta correxerit. nequaquam euadat. Ut autem totius contradictionis & ambiguitatis plena ſtipulatione extirparemus offendicula. hanc paginam priuilegii inde conſcribi. propriique ſigilli impreſſione inſigniri mandauimus. Teſtes quoque procurauimus adhiberi. quorum haec ſunt nomina. JOHANNES Spirenſis epiſcopus. Herimannus prepoſitus ſancti Petri. Gerhardus decanus ſancti Petri. Arnoldus prepoſitus ſancti Seuerini. Rupertus prepoſitus. Johannes prepoſitus. Tidericus prepoſitus. Hezel prepoſitus. Wolfhelmus abbas. Herimannus abbas. Iſaac abbas. Hartmannus abbas. Laici. STEPHANUS comes. GERHARDUS de *Hoſtade.* ARNOLDUS prefectus urbis. ADELBERTUS de *Safenberg.* ADOLFUS *de Monte.* ADELBERO de *Duno.* Suitgerus. Miniſteriales. Euerhardus. Erneſt. Sigibodo. Reginoldus. Otwinus. Arnoldus. Meginzo. Ticelin. aliique quam plures. Geſta ſunt haec in *Colonia* anno Dominicae incarnationis milleſimo nonageſimo. indictione XIII.

Num. XLVIII.

Num. XLVIII.

Hermannus archiepiscopus Coloniensis consentit, ut Wetzelo abbas de Brunweiler novale faciat infra silvam suam Bram an. MXCIX.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. Notum sit cunctis sanctae aecclesiae filiis. tam presentibus quam futuris. quia ego HERMANNUS Dei gratia Coloniensium archiepiscopus rogatu abbatis UUEZELONIS de *Brunwilre* & hortatu EVERHARDI advocati, & HERIMANNI Coloniensium advocati consensi. vt novale faceret infra sylvam suam quae dicitur *Bram* ad unum sufficiens mansum. & si quid plus ad agrum parare voluerit quod vtilius sit quam sylva vtilitatis conferre possit. nostra licentia & pontificali auctoritate firmatum sit. quod ea de causa fieri decreui. ut fratrum inde augmentaretur praebenda. & ut nullus futurorum abbatum hoc unquam audeat alicui prestare in beneficium. Decimam quoque de ipso novali sancto Nicolao & fratribus ob remedium animae meae tradidi. ut videlicet ex ipsa decima karitas fratribus & elemosina pauperibus fiat in anniversario obitus mei. & si aliter quod absit factum fuerit. fratrum querimonia ad episcopum Coloniensem perveniat. qui sua auctoritate hanc injustitiam destruat. Quae ut futuris temporibus omnibus sint nota. cartam hanc conscribi. & sigillo nostro jussimus insigniri. Si quis autem contra hanc nostram constitutionem voluerit insurgere. & quae statuimus ullo modo irrita facere. omnipotentis Dei omniumque sanctorum incurrat iram. nostrique anathematis & perpetuae maledictionis sustineat sententiam. Ex autographo

Acta sunt vero haec anno Dominicae incarnationis mill. XCVIIII. indictione VII. regnante Heinrico tercio Romanorum imperatore augusto.

Num. XLIX.

Lotharius III rex Romanorum monachis Brunvillar. jus colligendi ligna et pascendi porcos in sylva Osninch confirmat an. MCXXXI.

In nomine sanctae & individuae Trinitatis. Lotharius divina favente clementia tertius rex Romanorum. Quoniam divinae pietatis favente clementia. locum Romani tenemus imperii. decet ut aecclesias cum suis usibus & reditibus protegamus. & si qua violenter abstracta sunt. nostra auctoritate restituamus. & restituta confirmemus. Notum igitur facimus tam futuris quam presentibus. quod Alverada de *Cuch* cum suis liberis in silva quae dicitur *Osninch*. usus quos jure habebant monachi de Brunwillare ad curtem sui *Pirnam* pertinentes. scilicet ut tempore necessario cum x & VIII plaustris intrantes ligna colligant. & porcos tempore glandinis quod *sigil* vocant pascendos introducant. violentia vetuerunt. monachis autem proclamantibus. causa in nostram prolata est audientiam. ubi monachi jus quod in praedicta silva habuerunt. judicario jure obtinuerunt. Nos igitur regio banno eis hoc confirmamus. & ne quis eis aliqua obesse praesumat infestatione. sub obtentu gratiae nostrae interdicimus. Si quis autem eis nocere. vel jus illud voluerit imminuere. reum se esse sciat regiae maiestatis. Ne igitur successus temporis iustitiam hanc coram nobis iuste diffinitam diluat. vel vetustas a memoria hominum abscidat. nominis nostri caractere firmamus. Huius rei testes sunt. Dux WALRAVVEN. comes GERHARDUS de *Gulechen*. comes GERHARDUS de *Hostat*. GERHARDUS de *Mulenarca*. TEOD. de *Duren*. & fratres eius. Ministeriales sancti Petri. Almarus. Henricus. Cuonradus advocatus. Heinricus advocatus noster. Luthewicus de *Pirna*. Adelbero. Philippus de *Verkene*. Tietmarus in uice ADELBERTI archicancellarii recognovit.

Data

Data VI. nonas Maii. *Nussiae* in nomine Dni. Amen. Acta sunt haec anno Dominicae incarnationis millesimo. C. XXXI. indictione VIIII. sub tercio Lothario Romanorum rege.

Num. L.

Arnoldus archiep. Colon. abbatiae Brunvillar. domum quandam ad Mosellam tradit an. MCXL.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego ARNOLDUS Dei gratia sanctae Coloniensis aecclesiae archiepiscopus in perpetuum. Cogit nos aecclesiae cura nobis credita. docent nos relligiosorum patrum cum veneratione imitanda vestigia. seruientium Deo fratrum. et crucem suam baiulantium. labores attendere &c. ob quam rem omni fideli in presentiarum & de cetero notum esse volumus quia domum quandam quam habebamus juxta *Mosellam* fluuium. quae vulgariter *Hurrensonshuse* nuncupatur. terramque incultam &c. ecclesie beati Nikolai que est in villa *Brunwillare* ad usus fratrum ibidem Deo seruientium tradimus &c. Actum est autem anno ab incarnatione Domini M. C. XL. indictione III. moderante Petri nauiculam INNOCENTIO venerabili & sanctissimo P. P. anno XIII. regnante gloriosissimo Romanorum rege CUONRADO anno quinto. (*x*) Cuius rei testes idoneos subterscribere non pretermisimus. ARNOLDUS cancellarius. Bruno prepositus sancti Andree. Theodericus prepositus sanctorum apostolorum. SIGFRIDUS comes. AOLFUS comes de *Monte*. AOLFUS comes de *Saphenberg*. GERARDUS comes de *Bothna*. GOZWINUS de *Falkenburch*. UDO de *Bruecha*. Ulricus de *Bruneshore*. Lambertus de *Lurecha*. Gerardus de *Mulenarcha*. Gerardus de *Mulesfurt*. De ministris aecclesiae HERMANNUS aduocatus. Amelricus de *Wormesdorph*. Sicco de *Hependorph*. Bertrammus de *Guleken*.

Ex autographo

(*x*) Convenit cum anno 1140 indictio III, at Innocentii II annus XIII & Conradi regis an. V incidunt in an. Chr. 1142.

Num. LI.

Conradus III imp. abbatiae Brunviler. confirmat jus suum in silva Osninch MCXLI.

In nomine sancte & individ. Trin. Cuonradus divina fav. clem. Romanor. rex secundus. Si bona aecclesiis Deo dicatis collata conservamus. & conservata eisdem retinemus. praedecessorum nostror. regum seu imperator. devotionis limitem exequimur. id quod nobis tam ad presentis vite prosperitatem. quam ad future vite beatitudinem profuturum non dubitamus. Notum igitur facimus tam futuris quam praes. quod comes Adelbertus de *Norvenich* in silva quae dicitur *Osninch* usus quos jure habebant monachi de *Bruwilre* ad curtim sui *Pirnam* (y) pertinentes. scilicet ut omni tempore cum x. & viii. plaustris sicut arare solent intrantes ligna usui eorum necessaria colligant. & porcos tempore glandinis quod *sigil* vocant pascendos introducant. infringere temptaverit. Monachis autem proclamantibus. causa in nostram perlata est audientiam. ubi monachi ius quod in predicta silva habuerant. libere obtinuerunt. Quemadmodum igitur predecessor noster piae memoriae Lotharius rex hoc eis confirmavit. nos quoque *assensu fratris nostri* Heinrici *Palatini comitis* presente etiam prefato Adelberto comite & assentiente. renovando ac meliorando eisdem confirmamus & corroboramus. Et ne quis eis aliqua obesse presumat infestatione. sub obtentu gracie nostre interdicimus. Si quis autem eis nocere. vel jus sibi concessum aliquo ingenio voluerit imminuere. periculo regalis banni subiaceat. & centum libras auri purissimi componat. quarum partem dimidiam camerae nostrae. reliquam vero praefatae aecclesiae persolvat. Ut ergo haec nostra confirmatio rata & inconvulsa permaneat. hanc cartam inde scribi. & sigilli nostri impressione insigniri jussimus. manu-

(y) Hodie *Byr* inter Juliacum & Norvenich.

manuque propria ut inferius apparet corroborantes. teftes qui prefentes aderant fubternotari fecimus. quorum nomina haec funt. ARNOLDUS Colonienfis archiepifcopus. WERNERUS Monafterienfis epifcopus. ALBERTUS dux *Saxoniae*. comes HEINRICUS de *Gelra*. comes ADOLFUS de *Saphenberg*. GERARDUS puer comes de *Juliaco*. GODEFRIDUS de *Arnesberch*. HERIMANNUS de *Cuich*. THEODERICUS advocatus Aquenfis. Heinricus de *Boninga*. Rudgerus & Anfelmus de *Diura*. Garfilius & Nicolaus de *Cherpena*. HERIMANNUS Colonienfis advocatus. Ricwinus & frater eius Herimannus. Heinricus de *Aldendorf* iunior. Amelricus de *Wormerftorf*.

Signum domni Cuonradi fecundi Romanorum regis inviftiffimi.

Ego ARNOLDUS cancellaarius vice MARCOLFI Moguntini archiepifcopi & archicancellarii recognovi.

Anno Dominicae incarnat. M.C.XL. I. indict. IIII. regnante Cuonrado Romanorum rege II. anno vero regni eius IIII. XVIII. kal. Octob. Data *Coloniae* in Chrifto feliciter amen.

Num. LII.

Wilhelmi abbatis monafterii f. Cornelii literae de filva Viela cum Brunvillarenfi monafterio divifa an. MCCLVIII.

NOS WILHELMUS Dei gratia abbas totusque conventus Indenfis ecclefie omnibus hanc literam infpicientibus eternam in Domino falutem. Univerforum notitie cupimus declarari, quod cum nos vna cum viris venerabilibus & religiofis, abbate fcilicet & conventu Bruwilerenfi, fylvam quandam a fundatoribus noftris nobis traditam cum infeudatis & beneficiatis utriusque ecclefie com-

muni utilitate poſſideremus, habita ſuper hoc fidelium noſtrorum ſufficienti deliberatione, de certa noſtra noſtrique capituli conſcientia & expreſſa atque libera omnium in eadem ſylva auctoritate ...... eandem ſylvam *Viele* nuncupatam per mediam duximus dividendam, renunciantes omni juri eccleſiaſtico ſiue ciuili, quod nobis vel a nobis beneficiatis in preſenti vel in futuro in parte ſylve, que in ſortem cecidit Bruwilerenſis allodii, poſſet ſuffragari. Quod factum ut in perpetuum inconvulſum permaneat, preſentem literam prefate eccleſie tradidimus ſigillis noſtris communitam. Teſtes huius diviſionis & abrenunciationis ſunt Rutgerus de *Bale*, Godefridus de *Hugilhoue*, Wernerus de *Asmuntzlo*, Wilhelmus de *Ichendorp*, Winemarus de *Widenfelt*, Frambalg, Henricus de *Vliſtede*, & alii quam plures. Nos etiam praenominati teſtes, omneſque partis noſtre coheredes profitemur predicta omnia de noſtra libera voluntate eſſe peracta, & quia ſigilla propria non habemus, venerabilium virorum domini abbatis & conventus Indenſis ſigillis contentos eſſe. Acta ſunt hec anno Dominice incarnationis milleſimo, ducentiſſimo, quinquageſimo octavo. menſe Martio

COM-

COMMENTATIONUM

ACADEMICARUM

PARS

HISTORICA.

DISQUISITIO

de Verbigeno et Tigurino Helvetiae pagis, ad aram Saloduri repertam.

Auctor
JOANNES DANIEL SCHOEPFLINUS.

HELVETIA vetus, Galliæ Celticæ pars, Rheno, Rhodano & Jura monte conclusa, Germanos, Allobroges, Rauracos, Sequanos habuit vicinos. Divisa fuit in quatuor pagos, quorum duos modo, *Verbigenum* & *Tigurinum*, nominavit Cæsar, reliquos præteriens silentio.

Orgetorix ex primoribus Helvetiæ, vir ambitiosus & potens, variis rationibus Helvetios, populares suos, tandem induxit, ut relictis montium suorum claustris commodiores sibi sedes in amoena & fertili Galliarum parte, Aquitania quæ vocatur, armis pararent. Emigratio suscepta est quinquagesimo octavo ante æram Christianam anno. Oppida XII & quadringentos vicos combusserunt, de reditu in patriam ne spes ulla superesset.

Emigratio per Sequanos, Helvetiorum amicos, ubi nunc Burgundiae comitatus, feliciter suscepta. Julio Cæsari, Galliæ subigendæ tum intento, hæc migratio displicuit.

Cum quinque legionibus Romanis eos secutus extremum eorum agmen ad Ararim aggressus est, quod nondum transierat flumen. Victum hoc agmen, exTigurinis atque Verbigenis compositum. Qui Ararim transierant Helvetii reliqui, armis quoque Romanorum coacti, ut ad patrios suos lares redirent; oppida in-

ſtauraturi & vicos, quos nuper exuſſerant. (*z*) In redeuntium numero, centum & triginta millibus, nonniſi ſexies mille fuerunt pagi Verbigeni. Verbigeniani hi, prudentes vel callidi, perditas res ſuas quum cernerent, „ſive terrore perterriti, ait Caeſar, ne „armis traditis ſupplicio afficerentur, ſive ſpe ſalutis inducti, „quod in tanta multitudine deditiorum, ſuam fugam aut occul„tari, aut omnino ignorari poſſe exiſtimarent, prima nocte ex „caſtris Helvetiorum egreſſi ad *Rhenum* fineſque Germanorum „contenderunt.„ (*a*)

Geographiæ & hiſtoriæ Helvetiæ intereſt, noſſe ad quem ex hodiernis XIII Helvetiae pagis referendus ſit vetus Verbigenûm pagus. Urbenſem pagi hodierni Vaudenſis diſtrictum, cujus caput eſt Urba (*Orbe*), Verbigenum fuiſſe pagum, uno ore geographi profitentur juniores: (*b*) Beatus Rhenanus (*c*), Ortelius (*d*), Cluverius (*e*), Valeſius (*f*), Baudrandus (*g*), Cellarius (*h*) aliique plures. Damnant erroris codices antiquos, in quibus pagus *Verbigenus* legitur; Græcus licet Cæſaris vetus interpres cum codicibus conſentiat (*i*), nec agnoſcat *Urbigenum*.

Dubiae

(*z*) *Caeſar de bello Gallico* L. I. cap. 26.

(*a*) Idem L. I. cap. 27.

(*b*) *Guillimannus de reb. Helv.* Lib. I. cap. 2 Urbigenum pagum in Argovia quaeſivit.

(*c*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 257.

(*d*) *Theſaur. Geograph.* in voce *Verbigenus.*

(*e*) *German. antiq.* Lib. II. pag. 13. ſeq.

(*f*) *Notitia Galliar.* pag. 593.

(*g*) *Geographia antiqua* in voce *Urbigenus Pagus.*

(*h*) *Notitia orbis antiqui* Tom. I. Lib. II. cap. 3, p. 275.

(*i*) Græcus anonymus Cæſaris interpres, quem nonnulli Planudem, alii Gazam eſſe credunt, ſcribit Βερβιγένῃ.

Dubiae rei judex irrefragabilis & omni exceptione major ex visceribus terrae tandem surrexit.

Saloduri, ecclesiæ collegiatæ s. Ursi renovandæ quum agerentur fundamenta, prodiit in lucem ara lapidea GENIO VERBIGENO IN HONOREM DOMUS DIVINÆ sive Augustae posita, IMP. ANTONINO ET SACERDOTE Coss. qui annus æræ vulgaris est 219. Antoninus Elagabalus Romæ tum fuerat consul. Ecce ipsius aræ & literarum ei inscriptarum figuram:

Equidem venerabile hoc monumentum ante decem hos menses (*k*) Saloduri inspiciens, primo ejus intuitu *Genio Verbigeno*

(*k*) Hoc est, mense Jul. an. 1769.

geno legi; non parum lætatus, tot celebrium virorum opinionem uno oculorum ictu everti ac erroris convinci. Multo magis lætatus sum, aræ hujus dedicatione, genio loci facta, verum pagi Verbigeni situm tandem esse detectum.

Helvetius ergo Salodurensium pagus Verbigenus ille Julii Caesaris pagus est, cujus genio aram sacravit Succonius Demecenus civis Romanus, ex primoribus pagi, forte & vici. Salodurum enim Elagabalo imp. in oppidum nondum excreverat. Testis est alia ara, iisdem consulibus Saloduri Deae Eponæ dedicata, quam etiam inspexi, in qua *Salodor. vicus* diserte legitur. (*l*)

Succonius aram dedicavit Verbigenûm *Genio*. Omnia dæmonum & geniorum plena fuerunt apud Romanos. Singuli homines, singulæ domus, singuli vici, oppida, populi, suos genios habebant. Genio pagi, id est, populi Verbigenûm cum ipsius genii signo vel imagine ara posita. Genii imago, quam *Signum* epigraphe vocat, disparuit. Heddernhemii, qui vicus est haud procul Francofurto, aras *Genio Novi Vici* dedicatas cum duplici signo nuper quoque inspexi.

Verbigenus pagus ergo non in agro Vaudensi, sed in Salodurano, Juram inter & Rhenum, quærendus. Verbigeni ab Arari ad Rhenum suum, quem reliquerant, victi redierunt. Saloduranus pagus Rhenum attingit. Urbensis a Rheno longissime distat. Pagi Verbigeni genius verum nobis pagi situm indicat.

In pagi Tigurini situ inveniendo geniis ducibus secure progredimur. Ara Aventici jam pridem effossa est cum sequenti epigraphe: (*m*)

GE-

(*l*) *Guillimannus rer. Helvet.* Lib. III, cap. 10. *Gruter. inscript.* tom. I, pag. LXXXVII, 4.

(*m*) Extat haec inscriptio apud *Stumpfium chron. Helvet.* Lib. VIII. p. 588. b. *Tschudium in delineatione veteris Helvetiae* msf. apud *Guillimann. de reb. Helvet.* L. I. cap. 4. pag. 39. *Gruter. inscript.* tom. I. p. CXI. 4. *Wilde apologie pour la cité d'Avenche* p. 214.

GENIO
PAG. TIGOR.
P. GRACCIUS
PATERNUS
CUR. COL. ET
SCRIBONIA
LUCANA
V. F.

Pagi Tigorini genio dedicata fuit ara Aventii, locus hic poſtquam ſub Veſpaſiano imp. Romana deveniſſet colonia, quæ *Colonia Helvetiorum* (*n*) paſſim vocatur. Memorabiles ſunt duæ apud Wildium (*o*) inſcriptiones:

NUMINIB. AUG.
ET GENIO COL. HEL.

Alia apud Tſchudium (*p*)

DEAE AVENTIAE
ET GENIO INCOLAR.

Fuit ergo genius totius pagi Tigurini, fuit genius peculiaris ciuium Aventici, Aventia dea. Paternus genio totius pagi fecerat votum.

Wildius (*q*), recepta opinione pagum Tigurinum apud Turicenſes quærens, quærit rationem, cur Aventici, quod Urbigeno pago aſſignat, genio Tigurino, adeoque exteri pagi genio dedi-

(*n*) *Tacitus hiſtor.* L. I. c. 68 Aventicum *caput Helvetiorum* appellat.

(*o*) *Apologie pour la cité d'Avenche* p. 214.

(*p*) *Delineatio Helvet. vet.* ms. in art. de *Uchtlandia.*

(*q*) *Apologie* l. c. p. 225.

dedicaverit Paternus. Res incongrua esse desinit, si Aventicum Tigurino, non Verbigeno pago, assignes (*r*)

Trecenti fere anni sunt, ex quo Tigurum cum Turico geographi confundunt. Lapis sepulcralis detectus est Turici a. 1747, quem Unio, Augusti libertus, stationis Turicensis XL praepositus L. Aelio Urbico posuit. Collegit ex eo recte Hagenbuchius (*s*), vir doctissimus, non Tigurinos, sed Turicenses in eo loco habitasse, pagumque adeo Tigurinum in alia Helvetiæ regione omnino esse quærendum. Urba in Verbigeno, Tigurum male sumtum in Tigurino pago definiendo turbavit géographos recentiores. Pars Arolae, quae Berna Moratensem versus lacum deflectit, Tigurinum pagum a Verbigeno separasse videtur. Friburgensis Uchtlandiae pagus cum Aventico, & ipsa Urba veterem Tigurinum constituisse videtur; prope Moratensem lacum, non prope Turicensem. Verbigenus pagus ad Rauracos usque se extendit, prope oppidulum Waldenburg, ubi montium claustra. Rauraci, per Basiliensem agrum extensi, Sequanos, superioris Alsatiae incolas, habuerunt vicinos. Hos excepere Triboci, inferioris habitatores Alsatiae. Tribocos Mediomatrici exceperunt Julii Caesaris ætate; a Nemetibus & Vangionibus paulo post expulsi. Constitutis ita veteris Helvetiae geographicis rationibus, seriem populorum Augusti imp. ævo ab Aventico ad Moguntiacum usque ita ordinamus. Tigurini, Verbigini, Rauraci, Sequani, Triboci, Nemetes, Vangiones, Treviri.

DIS-

(*r*) Aventicum, *Avanche*, Germanis *Wiflisburg*.

(*s*) Differt. de Turico inter *Epistolas Epigraph.* pag. 538.

Fig. 1.

Heddernheim.

DISSERTATIO

ad lapides antiquos Heddernheimenſes, ubi de Novo Vico et Tauno monte.

Auctor

Andreas Lamejus.

Genio pagenſi totius regionis ſuccedit topicus unius vici genius, undecim tantum annis junior. Imago prioris interiit, manente titulo, poſterioris ſignum duplex ſupereſt, cum duplici titulo. Ille controverſum pagi Verbigeni ſitum tandem eximit dubio, hic Novum Vicum, nemini antehac auditum, primum nunc prodit. Geographicis veteris Galliæ rationibus Salodurenſis, Germaniæ noſtræ Heddernheimenſes lapides novam lucem accendunt.

Ampliſſ. Olenſchlagerus, reip. Francof. conſul primarius, interpellatus a me literis, menſe Sept. 1765 Heddernhemium excurrit, vicinum urbi ſuæ vicum, ubi lapides literatos, nondum vulgatos, ex ævo Romano ſervari compereram. Miſit humaniſſimus vir & in omni doctrina verſatus exemplum duplicis ſimulacri atque epigraphes, partim ſua, partim pictoris manu eleganter deſcriptum. Epigraphas ego, uti acceperam, cum duabus aliis, difficultate quadam laborantibus, paulo poſt ad illuſtriſſ. comitem de Lynden, academiæ Palat. ſocium honorar. immortalis nominis virum, ablegavi, ut eas cum Henr. Cannegietero, Arnhemienſium profeſſori celeberrimo, communicaret atque ſententiam ejus exquireret, qua in explicandis ſiglis ac verbis dubiis juvari me poſſe haud immerito putabam. Fecit Lyndenus comes, quæ rogaveram, fecit Cannegieterus, quæ non volueram, datis velociter

citer in lucem (*t*) inſcriptionibus iſtis cum interpretatione ſua, quæ, quantumvis erudita, mihi fateor in multis non ſatisfecit. Nihil juvat, imo plurimum ſæpiſſime nocet, nimia in omni re, epigraphica maxime, feſtinatio. Premendum eſt opus, premenda ſententia, donec inſpiciendi, conſulendique amplius nihil ſuperſit. Nos itaque quieſcere lapides iſtos & inſcriptiones maluimus, quam dubia auctoritate in publicum producere, quum experientia dictante legem nobis poſuerimus, ut in tractandis caute monumentis antiquis noſtros magis, ſi fieri poteſt, quam alienos oculos ſequamur. Vidimus oculis noſtris lapides, quos diximus, Heddernhemii, in itinere literario, de quo ſupra. (*u*)

Genii

Tabula ex ærο inciſo hic expreſſa tres figuras conſpiciendas offert, quarum duæ Heddernhemii, tertia Godramſteinii prope Landaviam repertæ ſunt. Illæ quid repreſentent, tituli eis ſubjecti docent. Tertiam adjecimus, tum quod à nemine publicata eſt, tum maxime, ut genios geniis ubique ſimillimos fuiſſe appareat. Godramſteinenſis in ara quadrilatera trium deorum peſſime mutilatorum ſocius eſt. Poſt Genium Victoria præ ceteris, quos Mercurium & Herculem fuiſſe ſuſpicamur, dignoſci poteſt. De Godramſteinenſibus aliis monumentis alibi egimus. (*x*)

Forma Genii in tribus, quas exhibemus, figuris æqualiter juvenilis eſt. Numero primus pateram dextra tenet, quaſi ad libandum, ſecundus & tertius ſacrificant ad arulam ignitam. In hoc uno duplex unius ejuſdemque Genii Novi Vici figura variat, cæterum religionis & largitatis utrobique ſervatur ſpecies. Cornucopiæ, quod ſiniſtra figuræ tres ſuſtinent, commune eſt Geniorum, pariter ac virtutum, nec non omnis felicitatis, ſymbolum.

(*t*) In *epiſtola ad illuſtriſſimum comitem Ottonem Frid. de Lynden, de Ara ad Noviomagum Gelriae reperta, aliisque inſcriptionibus nuper effoſis*, Arnhemiæ idibus Febr. 1766. Vide pag. 55 ſqq.

(*u*) Pag. 19.

(*x*) Tomo II pag. 19 ſeqq.

bolum. Ita honori, fœcunditati, ſecuritati, ubertati, æquitati, concordiæ, conſtantiæ, hilaritati, pietati, ſpei &c. in nummis ſæpiſſime tribuitur. Pietate felicitatem contineri, veteres quantumvis vel impii vel ſuperſtitioſi judicarunt. Godramſteinenſis genii cornu videtur eſſe duplex vel bipartitum ſaltem. Seminudus & caligatus ille, æque ac Heddernheimenſis.

Inſcriptionem num. I verbis integris explanandam ſic legimus:

IN HONOREM DOMUS DIVINAE
GENIUM PLATEAE NOVI VI-
CI CUM EDICULA ET ARA
TITUS FLAVIUS SANCTINUS MILES LEGIONIS XXII.
PRIMIGENIÆ PIÆ FIDELIS IMMUNIS CONSULARIS. ET PER-
PETUUS ET FELIX FRATRES CIVES
ROMANI ET TAUNENSES EX ORIGI-
NE PATRIS TITI FLAVII MATERNI VE-
TERANI COHORTIS III. PRÆTORIAE PIAE
VINDICIS ET AURELIA AM-
MIAS MATER EORUM CIVIS ROMANA DEDICARUNT.
AGRICOLA ET CLEMENTINO CONSULIBUS.

Conſulatus Agricolæ & Clementini, ut poſiti monumenti tempus, a quo cetera pendent, ante omnia pateſcat, incidit in æræ noſtræ vulgaris annum 230, adeoque in mite Severi Alexandri imperium. De poſterioris conſulis nomine dubitarunt recentiores critici, quum *Clementianus* alibi ſcribatur, alibi *Clemens*. Clementino Pagius atque Noriſius, doctiſſimi viri, favent. Pro *Clementianus* pugnant Muratorius (*y*) & Seb. Donatus, (*z*) unum Conſules

Z lapi-

(*y*) *Theſ. nov. inſcript.* p. CCCLVII. 2.

(*z*) *Supplem. ad theſ. Murat.* p. 179 ſq.

lapidem multis codicibus prævalere recte putantes. At lapides, quos in rem suam adducunt, neuter vidit, nec vidit, quem laudant, Maffejus. Alienis autem oculis, nisi exercitatissimis in re epigraphica videre, tam periculosum est, quam quod periculosissimum. Unico, quem nostris nos oculis vidimus, lapidi tantum tribuimus, ut Clemente & Clementiano exactis, *Clementianum* in fastis consularibus absque ulla dubitatione stabiliamus. Consulum istorum nomina & prænomina, quæ hic desiderantur, Norisius (*a*) ex Grutero ita restituit: L. Virius Agricola & Sext. Catius Clementinus.

Taunenses *Taunenses ex origine patris* singularis est & affectata locutio, quam, qui lapidarem Romanorum stilum recte novit, non sine gravi quadam ratione additam esse mecum existimabit. Notus est ex Tacito (*b*) *Taunus mons*, castello Romanorum olim munitus, de cujus situ peculiarem dissertationem scripsit Ayrmannus, (*c*) Dynsbergæ prope Giessam favens. At Olenschlagerus noster in literis ad nos datis Feldbergæ, quæ Francofurto propior, favet, ex variis, quas adducit, rationibus valde probabilibus. Ubicunque loci castellum illud Romanum a Druso positum sit & a Germanico refectum, nos cum Cellario, sagacissimo viro, omnem illam montium catenam, quæ infra Moguntiam a Rheno surgit in Wetteraviam, vulgo *Heyrich* & *Einrich* dictam, hoc *Tauni* vocabulo comprehendi statuimus. Quis ignorat Taurum, Caucassum, Vogesum, Jurassum, totque alia montium nomina latissimo sensu accepta. Imo & ipsi *Taunenses* nostri, ex montibus istis originem a patre ducentes, non ex castello, confirmare id nobis videntur.

Fla-

(*a*) *Epistola consulari*, operum tom. II, pag. 1008.

(*b*) *Annal.* I. 56 & XII. 28.

(*c*) Diss. de montis Tauni vero in Hassia situ Giessæ edita 1723. Extat in *Martini thes. dissert. hist.* tom. I, part. 2. pag. 28.

Flaviorum fratrum, Sanctini, Perpetui atque Felicis, pater Titus Flavius Maternus, in militiam ac civitatem Romanam primus haud dubie receptus est; unde factum, ut filii tum de se, tum de matre sua, Aurelia Amnia, præter morem cives Romanos esse gloriarentur, natos scilicet, pater quum fuerit origine barbarus, Taunensis. In Prætoriis cohortibus, in quibus stipendia hic meruit, Germanos milites Caracallam habuisse, testis est Herodianus. (*d*)

Sed & ante Caracallam, pater ejus, Septimius Severus, urbem imperatoria pompa quum primum intraret, ejectis turpiter prætorianis omnibus, quod Pertinacem occiderant, custodes corporis assumsit, non, uti fuerat consuetudo, Italos, Hispanos, Macedones & Noricos, aspectu & moribus jucundos, sed barbaros milites, auditu visuque horribiles. Vidit ipse, qui refert, Dio. (*e*) Quid impedit, Taunensem nostrum patrem in barbaris illis Severi imp. stipatoribus quæri? Accedit conjecturæ nostræ vis magna ex nomine, quod ille gessit, Romano, novis civibus a patrono quodam imponi solito. Fuerunt enim post Severum anno imperii ejus secundo consules Q. FLAVIUS TERTULLUS ET TITUS FLAVIUS CLEMENS, certissimi novi imperatoris amici. Ab horum alterutro, posteriore maxime, propter prænomen, vel consule, vel ante consulatum, in exercitu novi principis legato sive tribuno, Taunensis noster veteranus *Titus Flavius*, quum civitatis jure donaretur, appellatus est, cognomine *Maternus* vel ex priori nomine retento vel aliunde assumto. Propiora hæc & ex omnibus monumenti circumstantiis saniora videntur, quam quæ Cannegieterus arripuit, Taunensem nostrum non ipsum, sed majorum ejus quempiam, annis admodum ducentis ante, civitatem & Flaviorum nomen a Domitiano imp. consecutum esse putans. Quomodo

(*d*) Lib. IV. Cap. VII.

(*e*) *Hist. Rom.* lib. LXXIV. n. 2. ex edit. Reimari.

filii se cives Romanos, quomodo matrem civem Romanam, patrem contra origine Taunensem dici affectassent, si pater accepta à majoribus suis eadem civitatis prærogativa gavisus fuisset?

At occurrendum hic est objectioni longe graviori. Consules, quos nominavimus, Quintum & Titum Flavios, non admittunt Pagius, (*f*) Norisius, (*g*) & quotquot recentiores horum auctoritate seducti sunt, Tillemontius, Crevierius &c. Substituunt nobis *Scapulam Tertullum* & *Tinejum Clementem*, obscura nomina, imo tam aperte depravata, ut tantos viros id non animadvertisse mirer. Nituntur nimirum inscriptionis Gruterianæ fide, quam corpus fabrorum navalium Ostiensium isto consulatu posuisse legitur. (*h*) Diximus supra, quam caute inscriptiones veteres tractandæ sint, Gruterianæ potissimum, in quibus vix unum alterumve pedem absque offensione quadam processeris. Nec medela facile afferenda, nisi ex ipsis lapidibus. Quis Scapulam Tertullum unquam dixerit consulem, quis Tinejum Clementem? Ubi gentilitium nomen prioris? Tertullum huc trahit Norisius, invitum sane, quippe qui ubivis, æque ac Scapula, cognomen. Fasti antiqui *Tertullus* & *Clemens* simpliciter habent, absque prænomine ac gentis vocabulo, uti Heddernheimensis noster lapis Agricolam atque Clementinum, Moguntinus (*i*) Dextrum & Priscum consules produnt, ubivis cognomina. Quis Tinejum audivit consulem, quum Tineja gens omnis obscurissima, imo, ut verius dicam, mihi plane suspecta. Præter superiorem, quem diximus, lapidem unicus apud eundem Gruterum (*k*) occurrit, feminam Tinejam qui prodit, cognomento Luci-

(*f*) *Critica Baronii* ad an. 195.

(*g*) *Epistola consulari*, operum Norisii t. II, pag. 983.

(*h*) *Gruteri inscript.* pag. MXXVII. 4.

(*i*) *Act. acad.* tom. II, pag. 138.

(*k*) *Grut.* l. c. pag. DCCLI. 12.

Lucidam. In omnibus aliis tum inscriptionum tum aliorum ævi Romani monumentorum thesauris Tinejus nemo apparet, ut mihi facile persuaserim, Tinejos, si qui fuerint, consularis saltem dignitatis fuisse nullos. Maneant itaque Panvinius, Jansonius ab Almeloveen, ceterique fastorum consularium confectores de Flaviis suis, Tertullo atque Clemente consulibus securi. Q. Flavium Tertullum cousulem, patrem forte hujus, qui Severo successit, ad an. Chr. 162 nobis offert idem, qui Scapulam Tertullum atque Tinejum intrusit, Gruterus (*l*)

F. Flavius Maternus fuit *Veteranus cohortis III praetoriae piae vindicis*, non filii ejus, quod miror Cannegietero visum esse, qui patrem & filios omnes ejusdem cohortis veteranos admittit; error nimiæ, quam diximus, festinationi tribuendus. Prætorias cohortes Augustus instituit, novem ex Taciti, (*m*) decem ex Dionis Cassii (*n*) calculo, mille hominum singulas. Cohortibus hisce omnibus, vel saltem plerisque siglæ P. V. elogii instar in epigraphis addi solent, quas interpretes *Pia Victrix* significare putant, uti alibi quandoque significant. At in cohorte prætoria siglas istas per *Pia Vindex* reddendas esse, lapis noster Heddernheimensis in aprico ponit. Cohors

Taunensis civitatem Rom. & cum hac conjunctum connubii jus adeptus uxorem duxit *Aureliam Ammiam*, *civem Romanam*, ex qua tres filios suscepit, *T. Flavium Sanctinum*, legionis XXII. militem, *Perpetuum* & *Felicem*, iisdem cum patre & fratre suis tum nomine gentilitio tum prænomine haud dubie usos. De legione XXII quæ hic dicenda essent, alibi diximus. (*o*)

Z 3 At

(*l*) Pag. CXXXI. n. 3.

(*m*) *Annal.* lib. IV. cap. 5.

(*n*) *Histor. Rom.* lib. LV. n. 24. edit. Reimari.

(*o*) *Act. acad.* vol. II, pag. 137.

Immunes

At Sanctinus in hac legione miles immunitatem consecutus est, auctoritate seu beneficio consulis, fidei aut virtutis præmium. Ita enim interpretamur abruptas voces IMM. COS. Inter militum gradus & honores varios cum duplicariis & beneficiariis occurrere IMM. *Immunes*, post alios Muratorius (*p*) observavit. IMMUNIS COS. perspicue habet ejusdem ætatis lapis Salodurensis, a M. Opilio Restione, ejusdem legionis XXII milite, deæ Eponæ dicatus. (*q*) Alio sensu, non militari, Immunes prodidit Fabrettus. (*r*) Olenschlagerus & ex eo Cannegieterus TMM. pro IMM. dederunt, sed inspecto lapide nos verius edocti sumus. Unde corruit omnino conjectura posterioris de Taunensis vel Tauni municipii consule, quem in illis, quæ diximus, vocabulorum compendiis latere vir doctissimus putaverat. Municipium Romanum hac ætate in Germania magna equidem nullum quæsiverim, multo minus municipii consulem. Et quomodo primaria dignitas in militem gregarium, qualis Sanctinus fuit, nondum veteranum caderet? Repugnant hæc moribus atque historiæ, non tantum lapidi.

Novus Vicus

Transimus ad *Novum Vicum* & *Plateam* ejus, cujus genium Sanctinus, fratres ac mater ejus, cum ædicula & ara dedicarunt. Locum alium, qui *Novus Vicus* appellatus sit, in omni imperio Romano non invenio, nisi quod *Vicus Novus* Romæ fuerit, in regione urbis hujus XIII, (*s*) at alio sensu, pars scilicet urbis, non locus singularis. In nostro ad Rhenum tractu *Vicus Julius*, inter Nemetes atque Tabernas, ex Notitia Imperii; *Vicus Appollinesis*, si recte viderunt exscriptores, ex lapide versus Dalheim extra

(*p*) *Thes. nov. inscript.* tom. II, p. 789. n. 3.

(*q*) *Gruter. inscript.* tom. I, pag. LXXXVII. 4.

(*r*) *Inscript.* pag. 449.

(*s*) Vide marmor ap. *Gruter. inscript.* pag. CCL.

extra Moguntiam invento, (*t*) innotescunt. Novus Vicus, quum genius dedicaretur, tam novus fuisse videtur, ut de proprio quodam nomine ei imponendo cogitatum nondum fuerit. Sunt tamen plurima loca, oppida, castra, vici, quae quamvis satis vetusta, a primaeva novitate sua adhuc appellantur. (*u*)

Cum lapides, Novi Vici testes, eruti sint Hedernhemium inter atque Praunhemium, vicus ille ponendus ibidem. Uterque locus monumenta Romana servat, Heddernhemium plura. Inscriptionem Praunhemii conspicuam ante ducentos & quinquaginta hos annos Huttichius (*x*) publicavit, rectius postea Gruterus. (*y*) Habet illa ***in honorem domus divinae Genio Sancto M. Aurelius Claudia tribu Pompejanus miles leg. VIII Antoninianae aug. beneficiarius Cos. idibus Januarii Antonino Caracalla III et Balbino II consulibus***, id est, anno Chr. CCXXIII. Multa Praunheimensis haec epigraphe communia habet cum nostra Heddernheimensi, formulam initialem, militem legionarium, eumque pariter beneficiarium, ac consulatum in fine. At neque *Novum Vicum* loquitur, neque *Taunenses*, nec quid erectum sit genio sancto, aedes, templum, sacellum, signum, statua, aliudve simile indicat. Consulatus certe appositus monumentum aliquod publicum subindigitat.

Altera inscriptio habet GENIVM PLATEAE NOVI VICI, altera GENIO PLATIAE NOVI VICI. A Graecorum πλατεία prognatum est

(*t*) *Murator. thes. inscript.* tom. IV, p. MMXVI, n. 3.

(*u*) E. g. Neapolis, celeberrima regum utriusque Siciliae sedes, & in Palatinatu Rheni *Neustatt, Neuburg, Neucastel, Neuschloss, Neudorf &c.*

(*x*) *Antiquit. Mog. typis Jo. Schoefferi* 1520 fol.

(*y*) *Inscript.* pag. MLXXV. 10. Ex Huttichio tamen idem jam dederat p. CVIII. 1.

eſt Latinorum *platea* & *platia*, via latior, militaris, prætoria. De *area*, in qua populus colligebatur, ſumi videtur apud Lampridium. (*z*)

Ad Niddam itaque Romani, cis Taunum montem, in ſolo pingui atque aperto, vicum inſtituerant unius forte plateæ, cujus genio topico Flavii fratres, paternæ originis memores, ſignum, id eſt, ſtatuam minorem, CVM EDICVLA ET ARA dedicarunt, AEMILIUS BARICIO ſignum tantum, idque IN *Honorem Domus Divinae* ſive Auguſtæ. Ultimam inſcriptionis Æmilianæ, quæ brevior eſt, lineam, difficultatum plenam, doctioribus explicandam relinquimus. Signum & ara ſuperſunt, ædicula pridem interiit.

Heddernhemii præterea muro domus principalis inſerta eſt ara *Fortunae*, quam *Claudia Primilla* ex voto poſuit. Inſcriptionem hanc bis edidit Gruterus, (*a*) cui Mauclerquius miſit, homo Gallus, qui Heddernhemium noſtrum *Edernomium* & *Edermonium* appellavit. Horridior longe eſt interpretatio Jo. Adami Bernhardi, qui in antiquitatibus Wetteravienſibus lapidem iſtum primo loco adduxit, (*b*) atque *Fortunae Clementi primigeniae*, cui *legiones* quædam *votum ſolverint*, ridicule adſcripſit.

DIS-

(*z*) In *Heliogab.* cap. 24.

(*a*) *Corp. inſcr.* pag. MXIII, 8, & MLXXI, 9.

(*b*) Pag. 63.

DISSERTATIO
de Lupoduno.

Auctor
CASIMIRUS HÆFFELIN.

AMOENAM Ladenburgi plagam circumſpicienti, & monumenta in agro vicino detecta perluſtranti mihi non ingrata mentem ſubiit cogitatio: hanc olim regionem Romanis cultam, variis ruderibus inſignitam eamdem eſſe, quæ antiquæ Germaniæ caput fuit ac princeps. Quæſtio non nova quidem, ſed novis dilucidanda argumentis: an Lupodunum celebre illud Germaniæ oppidum, quo antiquius nullum Mœnum inter & Iſtrum habetur, in hoc regionis tractu ad Nicri ripam ſitum fuerit? non otioſa, nec injucunda Palatinis, Germaniſque quæſtio, cum virum ingenuum & patriæ amantem deceat ac delectet gentis ſuæ originem, & remota quamvis atque obſcura primordia inveſtigare.

Multa equidem de Rheno, multa de Iſtro & de Sequana; de Moſa, & Moſella non pauca, pauciora de Albi & Viſurgi; de Mœno verò & de Nicro geographi & hiſtorici Romani ante ſeculum quartum nihil plane nobis prodidêre. Nicrum nec Ptolomæus, nec Strabo, nec Plinius, nec Plutarchus memorant. In Itinerario Antonini, in Tabula Theodoſiana altum de Nicro ſilentium; nulla ejus mentio apud Julium Cæſarem, nulla apud Tacitum, Florum, aliosque primi & ſecundi ævi ſcriptores. His rationibus inducti cenſent geographorum plerique, imperii Romani limitem ad Nicrum non fuiſſe prolatum, ſiniſtramque Rheni ripam Romanæ ditioni terminum & veteres poſuiſſe, & recentiores ponere videntur. Atque hinc Ortelius, Velſerus, immo ipſe

Tabulæ Theodoſianæ auctor dextrum Rheni latus, & totum Nicri tractum tanquam regionem Romanis ignotam, aut certe eorum ditioni non ſubjectam deſerto & vacuo ſpatio deſignant. (c) Quid? cum Floro dicemus? invicta Romanorum vis, quæ pelagum & maria domuerat, Rhenum non domuit, & imperium, quod in litore oceani non ſteterat, in ripa fluminis ſtetit. (d)

At vero Romanum imperium in ripa Rheni non ſtetiſſe, ſed in Nicri quoque oris floruiſſe, ſi non ex ſcriptoribus, at profecto ex monumentis ſcriptorum teſtimonio præſtantioribus eruitur. Novum atque inſigne argumentum, ſacra vetuſtatis rudera hiſtoriæ non raro lucem affundere, & ſcriptores, vel dum deficiunt, ſupplere, vel dum aberrant, emendare; veritatem vero ſæpe ſub ruinis ſepultam, aut temporum injuria oppreſſam vindicare, priſtinoque ſplendori reſtituere.

Romanos enimvero in hoc Nicri tractu ſedem habuiſſe, & quidem ſedem pacificam ex indiciis haud dubiis conjicimus. Nam pacis monumenta non niſi tempore pacifico fiunt, nec quisquam affirmabit inter armorum ſtrepitus, & certaminum procellas ædes ſuburbanas & villas conſtrui, aut balnea, aut columbaria, ſeu loca quieta, piis manibus ſacra, aut alia quæcunque monumenta erigi, quæ togam amant & pacem ſequuntur. Ladenburgi ad Nicrum reperta ſunt balnea Romana, atque columbarium, ſuo & ſacello & triclinio, ſuisque loculis ad urnas recipiendas inſtructum: balnea indicare oppidum vel caſtrum, aut locum ſuburbanum, ſeu villam a caſtro, oppidove non remotam, nemo non videt: columbarium vero familiam oſtendere Romanam, aut ſi mavis, gentem patriciam vel equeſtrem, quæ ſibi ſuisque poſteris in hac regione locum ſepulcralem perpetuum ac conſtantem eligere & conſecrare voluerit? Hæc pacis ornamenta

(c) Vide *Peutinger. Tab.* ſeg. I & II.

(d) *Ann. Flor.* lib. IV, cap. XII.

menta esse, quis neget? aut quis unquam hæc a Romanis in hostili campo, aut loco sibi non subdito erecta esse suspicetur? Romanus ergo hic Nicri tractus censeri merito, dicique potest ac debet.

Neque vero obscura quælibet loca, sed præstantiora, nobilioraque tantum balneis & thermis apud Romanos instructa fuere. Ita in Mediomaticis, Treviris, aliisque nonnullis præclaræ famæ civitatibus balnea fuisse à Romanis relicta cernimus. Unde non ignobile castrum, oppidumve quoddam insigne, ubi hæc balnea fuêre, extitisse olim, non temerè conjicere, sed prudenti judicio affirmare licet. Quid jam columbarium? Novo, nec minus urgenti argumento nos premit. Neque enim in Gallia, neque in Germania ullum ante hoc, quod non procul à Nicri ripa inventum, cognitum erat. Primum istud & singulare apud nos monumentum, dum ornamento aliis, nobis argumento est, invictaque ratione probat, Romanos, qui in his regionibus versabantur, quietam ibi, securamque vitam egisse, cum sibi, liberisque suis locum sepulcralem solenni ritu deputarint.

Atque hujus rei rationem, re etiam ignota, apprimè intellexerunt, qui monumenta sepulcralia ad Rhenum inveniri plurima, ad Nicrum pauca vel nulla esse cum perspicerent, discriminis hujus rationem ex eo petebant, quod in Rheni ripa res tutior esset Romanorum, in Nicri ripa sepulcra minus fuissent tuta, hostiumque injuriis magis obnoxia. (e) Quod si in sepulcris observatum, quanto magis in columbariis observandum? Cum enim ista singulis, hæc pluribus, sæpe omnibus ejusdem gentis seu familiæ personis deputata essent, non nisi in loco tuto & securo fuisse dicendum est. Quam ob rem, si ex eo, quod Romani ad Rhenum habuerint sepulcra, res ibi in tuto fuisse Romanis, recte conjicitur, quanto magis ex hoc, quod ad Nicrum columbaria habue-

(e) Vide *act. acad. Palat.* T. I, p. 212.

habuerint, res & hîc fecuras, tutasque illis fuiffe inferre licet. Atque hæc concludendi ratio tam clara, tamque aperta eft, ut à nemine in dubium vocari poffit.

Non ita clare conftat, neque tam aperte determinare licet, quo tempore, quave ætate pacificos penates Romani ad hunc Nicri tractum coluerint. Non fub Julio Cæfare; hic equidem ad Sequanam, ad Mofam, imo & ad Rhenum victricibus armis pacem detulit; fed trajecto Rheno & fibi ad laudem, & fociis ad tutelam fore fatis duxit, fi populi Romani amicis fiduciam, terrorem hoftibus, Germanisque omnibus metum injeciffet. (*f*) Neque vero ad Nicrum, fed infra Mofellam, Rhenum trajecit, atque paucis tantum diebus in Germania moratus, eam ex parte luftrare, non ex toto domare, multo minus pacificam ibi fedem ftatuere potuit. (*g*) Non fub Octaviano; auguftis quidem hujus aufpiciis ea in Germania pax fuiffe a Floro refertur, *ut mutati homines, alia terra, cœlum ipfum mitius, molliusque folito videretur.* (*h*)

Neque vero laus hæc exigua Drufo; quod ejus confilio atque ope mutati hominum mores, terra ipfa mutata, immo aëris temperies mitior, molliorque facta effe videretur. At nefanda Quintilii Vari clade laus omnis Drufi, omnisque triumphus in luctum Romanorum ceffit, ut Germaniam turpius amiffam, quam gloriofe acquifitam dolerent.

Magnanimi Drufi exempla fecutus, pari animo, parique laude Germanicus res Romanorum ad Rheni oras geffit; verùm fi breve gaudium fub Drufo, brevius fub Germanico fuit. Nam è medio

(*f*) *De bello Gallico* l. IV, c. XV.

(*g*) Ibidem c. XIX. „Diebus omnino XIIX trans Rhenum confumtis, fatis „& ad laudem, & ad utilitatem profectum arbitratus, fe in Galliam „recepit, pontemque refcidit.

(*h*) *Flor.* l. IV, c. XII.

medio gloriæ campo ſublatus, nec finem bello, nec pacem populis dare potuit (*i*)

Pacifica nimirum tempora in Nicri tractu nec primis Romanæ dominationis annis, nec poſtremis quærere oportet. A primo enim ſi ad tertium reſpicias ſeculum, jam Romanæ vires fatiſcunt, atque imperium mole ſua oppreſſum in præceps ruere, diverſasque diſtrahi in partes cœpit. Ad primum ſi redis ævum, in his oris nondum matura auctoritate invaluerant Romani, nec tuta illis, ſecuraque ſedes apud Germanos patebat. Duobus vero his ævis media intereſt ætas, qua virilem quaſi vigorem adepta Romani imperii majeſtas ſumma pace ad Rhenum & ad Nicrum floruit: ut merito, ſi quæ laus Romanis à Germania fuit, ea magis ſecundo quam primo ſeculo tribuenda videatur. Quanquam non tam ſecundi quam primi ævi imperatores *Germanici* nomen affectarunt. Sed quo jure, quove titulo? Nec belli, nec pacis merito hoc ſibi arrogaſſe dixeris! Nam quid Tiberius? qui aſſumpto Germanici nomine Gallias ab ipſis Germanis vaſtari magno dedecore imperii, nec minore diſcrimine permiſit. (*k*) Quid Caligula? quid Claudius? Ambo Germanici nomine; ſed alterum ficta prælia, ſimulatosque triumphos de Germanis agere non puduit. (*l*) Alterum rerum Germanicarum ita tædùit, ut ducem ipſe ſuum proſpera omnia agentem coercuerit, & præſidia in hoſtili ſolo poſita cis Rhenum referri juſſerit. (*m*) Nec major Neroni gloria, qui in cives quam in hoſtes ſævire maluit, quique ornamenta pacis ad Tiberim dejici voluit, nedum ad Rhenum & ad Nicrum nova erigeret. Quid tandem Domitianus? hic deſpectui Germanis, Romanis ipſis ludibrio fuit, cum emptis per commercia homini-

(*i*) *Tacit. ann.* l. II, cap. XXVI.

(*k*) *Sueton. in Tiber.* c. 41.

(*l*) Idem in *Calig.* c. 49.

(*m*) *Tacit.* l. XI. c. 20.

minibus, eorum habitus & crines in captivorum ſpeciem formari, nec ſuo indignum nomine triumphum agere decreverit. (*n*)

Romanorum fato, dicam, an ignavia evenit, ut primi ævi imperatores ditionis ſuæ limitem ad Nicrum protrahere nulla ratione potuerint. Ea interim Germaniæ populorum conditio erat, ut a Romanis ſæpe laceſſiti, aliquoties victi, nunquam vero domiti, aut ſubditi Romanis fuerint. Rhenus erat quaſi terminus, qui & Germanos, & Gallos, Romanosque intra fines ſuos coerceret. Sed nec limites nec fœdera armis ſacra; hominum deorumque fidem frangit vincendi libido. Siniſtra quidem Rheni ripa ſatis tuta erat & quieta: dextra vero continuis motibus agitata, neque à Romanis & Gallis tantum, ſed ab ipſis ſæpe Germanis devaſtata. Sæva ac cruenta ætas! qua vicinus vicinum, gens gentem ſede ſua pellebat, nec certi cuique fines, limitesque appoſiti erant, ſed relictis aut mutatis non raro paternis laribus de loco in locum, de regione in regionem migrabant; ubique vi, armisque ſibi aperiebant viam: atque dira hac permigrandi cupidine cum omnes trans Rhenum poſiti, tum præcipuè Nicri accolæ premebantur.

At ubi Trajanus & Antonini imperio præeſſe, atque conſilio, non armis, neque vi, ſed auctoritate Romanum regere orbem cœperunt, in his quoque oris ſpes melior affulget, mitioraque populis naſcuntur tempora. Germani enim (ſi Nicri accolas hoc nomine vocare licet) cum Romanis amico ſeſe fœdere junguunt, atque in Nicri tractu non jam ad terrorem, ſed ad tutelam præſidia Latina habentur. Tuta ex eo tempore, ſecuraque Romanis ſedes pateſcit, ut pacis monumenta extollere eos nihil amplius vetet.

Sed enim ad priora tempora ſi reſpicias, hæc ipſa regio, in qua columbarium, balnea, aliaque monumenta non pauca inventa

(*n*) Idem *Agric.* xxxix.

venta sunt, ante Trajanum continuis mutationibus, vicissitudinibusque fuerat obnoxia; Helvetiis primum, dein Marcomannis subjecta; post Marcomannorum discessum omnino relicta; mox incertae, dubiaeque possessionis, nec Germanis, nec Gallis tuta: tandem sub Trajano nova exsurgit natio, non armis subacta, sed sponte sua Romanis addicta. Totus enim Nicri tractus, immo tota illa regio inter Mœnum, Nicrum & fontes Istri, à Rheno ad Istrum usque Romanis in *sinum imperii & provinciae partem*(o) cedit. Etenim é Galliæ oris ad dextrum Rheni latus progressi Sequani, Mediomatrici, aliique Galliæ populi vastam illam plagam non uno impetu, sed aliis alii succedentes paulatim occupant, Romanorumque fidei & clientelæ se suaque committunt. (p) Ut origine, ita moribus affines Gallis, extra omnem Galliæ limitem quamvis consederint, inter Germaniæ tamen populos à Romanis habiti non fuêre (q) Novi hi coloni novum regioni nomen dederunt, atque á *decimis*, quæ per *decumanos* publicanorum principes à colonis exigebantur, *agri Decumates* dicti sunt.

Imperii limes, qui in Rheni ripa steterat, jam ad Nicrum, immo ultra Nicrum movetur. Sed movisse limitem, novosque habere colonos Romanis fuisset parum, nî & castellis muniri, & præsidiis firmari, curæ ipsis fuisset. Mox præsidia & castella militari vallo circumdedit Hadrianus, atque omnem hujus regionis limitem

(o) Cujus provinciæ constituerit partem, Lugdunensis, an Germaniæ superioris? non ita determinare licet. Alterutri tamen adscribi debet, tum quia novi illi Germaniæ populi origine Galli, tum quia Rheno & Gallis vicini. Provinciæ Rhæticæ adscribi non possunt, quia nimium ab ea remoti; vel si pars Danubio proxima Rhætiæ fuisset adscripta, Tacitus non pars *provinciae*, sed *provinciarum*, dicere debuisset, ut animadvertit Cl. *Schoepflinus All. Ill.* T. I. p. 246 & 247.

(p) „ Levissimus quisque Gallorum & inopia audax, dubiæ possessionis „ solum occupavêre. Mox limite acto promotisque præsidiis, sinus imperii & pars provinciæ habentur. „ *Tacit. German.* XXIX.

(q) „ Non numeraverim inter Germaniæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui Decumates agros exercent. *Tacit.* ibidem.

limitem *ſtipitibus magnis in modum muralis ſepis funditus jactis, atque connexis* præcinxit, ut quæ nec montibus, nec fluminibus à finitimis Germaniæ populis ſejuncta erant, hac murali ſepe ſejungerentur, eo fere modo, quo Antoninus pius, & Sept. Severus, imo & ipſe Hadrianus Britannos aliquando à Pictis & Scotis interjecto vallo ſepararunt.

Res ad Nicrum ita conſtitutæ, cum Antoninus pius & poſt eum Antoninus philoſophus magnum ſplendorem imperio, populis felicitatem humanitate ſua, atque ſapientia intulerunt. Quod ſi unquam Romani, tum maxime ad Nicrum monumenta erigere, balnea & columbaria extruere potuerunt, ubi pax & tranquillitas in his oris vigebant, atque omnibus omnia tuta & ſecura erant. Non enim jam in hoſtili ſolo, ſed in Romano, in ſuo eſſe cenſebantur, neque hoſtibus, ſed ſibi ſuisque operam dabant. Quandiu cum hoſte agendum, belli præſidia, non pacis ornamenta quærebant. At poſtquam Hadriani vallum hunc Nicri tractum à finitimis populis ſecrevit, Germanisque viam omnem interclusit, Romani undequaque ſecuri, otio indulgere, & quæ ad vitæ amœnitatem, deliciasve ſpectabant, curare cœperunt. Novus indé oritur rerum ordo, novamque hæc atque inſuetam regio induit formam: terra non jam inculta, aut neglecta, ſed colonis in agros diſtributa, ædibus & villis diſtincta, caſtellis atque oppidis, viis militaribus, columnisque milliariis munita, balneis, columbariis, aris votivis, ſacellis, aliisque ſacris ac profanis monumentis inſtructa, atque exornata. Nec mirum; Romani, ubi ſedem poſuere, omnia colunt, ornant, illuſtrant. Ut mores Helvetiorum ſub Helvetiis, Marcomannorum ſub Marcomannis, ita ſub Romanis Romani mores & uſus ad Rhenum atque Nicrum florent ac vigent.

Quieta hîc & pacata Romanis ſedes fuit, dum vallum & limes imperii illæſa fuêre. Atque ad hæc quidem tempora pacifica, neque armorum ſtudio agitata referri debent, tum ea, quæ apud nos nuper inventa, tum pleraque alia monumenta, quæ ad

Nicrum

Nicrum reperta sunt. Neque enim ullum esse arbitror, qui cum Frehero sentiat, imperii limitem sub Trajano & Antoninis ad Rhenum constitisse, nec nisi sub Probo, aut sub Maximiano & Constantio ad Nicri ripam esse prolatum; atque ab uno errore in alium, ut fieri solet, delapsus Freherus ad Valentiniani & Gratiani ævum, non ad Antoninorum ætatem, monumenta in his oris detecta retulit, quamvis & ratio, & cultus ipso in lapide expressus obstarent (r).

Audiamus Tacitum, rerum Germanicarum principem. Non hic profecto de Probo, non de Maximiano aut Constantio loquitur: hos enim centum amplius & quinquaginta annos ætate antevertit. Ait vero: *Imperii reverentiam ultra Rhenum, ultraque veteres terminos a populo Romano esse prolatam.* (s) En relicti veteres limites, imperiique terminus ultra Rhenum promotus! quonam vero ævo, quave ætate? non alia quam Trajani, aut certe non posteriori. Eodem enim ævo, ac Trajanus, florebat, suoque tempore qui fuerit Germaniæ status, scriptis suis Tacitus reliquit.

Neque vero de alia, quam de hac ipsa, quæ Rheno & Nicro adjacet, regione loquitur. Cum enim Mattiacorum gentem, quorum sedes ad dextram Mœni ripam erat, in obsequio & fide populi Romani fuisse dixisset, ad sinistram Mœni ripam pergit, atque hanc omnem, quæ Mœnum inter & Nicrum, quin etiam ultra Nicrum à Rheno ad Danubium usque sese extendit, regionem non tantum in fide & clientela Romanis fuisse, ut Mattiacos, sed *acto limite, promotisque praesidiis in sinum imperii et partem provinciae* cessisse refert (t). Ut ea, quæ antecedunt, ita quæ

 subse-

(r) Aram Jovi & Fortunæ sacram imperatoribus Christianis temere tribuit Freherus. Hoc monumentum Antoninis esse tribuendum Lamejus erudite probavit. Vide *act. acad. Palat.* T. I. p. 199.

(s) Vide *Tacitum Germ.* c. XXIX & XXX.

(t) Idem loco cit.

subsequuntur, rem illustrant, atque sententiæ nostræ novum robur adjiciunt. *Ultra hos*, qui extremam scilicet provinciæ partem, seu agros decumates colebant, Tacitus Cattorum gentem ferocitate insignem collocat, atque Hercinium saltum, tanquam Romanæ ditionis terminum, initiumque regionis Cattorum assignat. A sinistra igitur Mœni ripa per omnem Rheni & Nicri tractum usque ad Herciniam sylvam & Istrum agri decumates patebant. Unde præclare Lamejus, non tantum inter Rhenum , Nicrum & Istrum, sed & inter Rhenum, Nicrum & Mœnum Romanos imperium tenuisse concludit, atque hoc quidem Antoninis, Pio & Philosopho, tribuit, nos autem duce Tacito & Ælio Spartiano Hadriano etiam & Trajano tribuimus; quanquam in hoc ipso, diversæ etiamsi videantur sententiæ nostræ, minime pugnant, neque à judicio viri & studiorum affinitate, & suavitate morum nobis conjunctissimi divellimur, sed ipsius opinio & nostra inter sese ita connectuntur atque cohærent, ut mutuo robore se firment, nedum sese elidant. Si enim ex monumentis eruitur, Antoninos Nicrum inter & Mœnum imperium tenuisse, id ex Tacito atque Ælio Spartiano nobis eo fit credibilius, quod Trajanus & Hadrianus omnem hanc regionem præsidiis, castellis ac militari vallo jam munierant, & vero, ni actus jam limes, præsidiaque jam promota fuissent, non apparet, qua ratione Antonini sola auctoritate imperium tenere, pacemque in his oris propagare potuissent. Unde miro modo Tacitus monumenta illustrat, nec minorem Tacito monumenta ista lucem affundunt.

Sed enim errorem Freheri dum vult vitare Spenerus, alium ipse in errorem incidit, atque oppositam dum amplectitur partem, à vero æque ac ille recedit. Quæ enim imperantibus Antoninis nondum nata, seu constructa existimabat Freherus, hæc jam deleta Spenerus atque eversa fuisse contendit. Agnoscit equidem atque ultro admittit Hadriani vallum, & limitem imperii promotum, & monumenta varia in his regionibus à Romanis relicta. Sed hæc omnia ipsamque Romanam dominationem M. Aurelio imperante concidisse, nec trans Rhenum substitisse imperii limitem

tem, ſed ad ſiniſtram hujus ripam eſſe reductum, atque in agris decumatibus *Romanam clientelam aut vi armisque expulſam, aut ad victores Germanos metu traductam* eſſe aſſerit (*u*). At enim *ab eo jam aevo ſi trans Rhenum Romana non ultra potuit conſiſtere dominatio, (x)* ut ait Spenerus, unde, quæſo, omnia illa monumenta poſt hæc tempora Rhenum inter & Iſtrum à Romanis conſtructa? quid viæ publicæ aut perfectæ aut inſtauratæ? quid columnæ milliariæ ſub Caracalla poſitæ? quid ſub Alexandro, ſub Elogabalo erectæ? quid tot inſcriptiones horum imperatorum nomine inſignitæ? quid tandem? quod civitati Aquenſi (*y*) Aureliæ nomen à ſuo nomine Aur. Antoninus (*z*) dederit? Non hæc in alieno aut hoſtili ſolo fieri ſolent, nec fieri poſſunt. Et hæc quidem, quam longe aberret Spenerus, nobis oſtendunt, Romanumque vallum, intra quod iſta fiebant, tertio ſeculo conſtitiſſe, neque ſecundo ævo nondum adulto jam fuiſſe deſtructum, tam claro quam invicto argumento demonſtrant. Illæſus igitur imperii limes ad Alexandri Severi, vel ut mavult cl. Schœpflinus, ad Aureliani tempora pervenit, atque Hadriani vallum à Germanis tum primum everſum, à Probo mox reſtitutum, varia poſt fata Diocletiani & Maximiani ætatem attigit, ubi demum penitus dirutum, & imperium ad veterem limitem, ad Rheni ſcilicet lævum latus reductum eſt. (*a*)

His perſpectis facile quivis intelliget, neque in tempus quod Romanum vallum anteceſſit, neque in id, quod everſum ac deſtructum ſubſequitur, ſed inter utrumque, eo ſcilicet ævo, quod quaſi medium intercedit, monumenta in Nicri regione de-

(*u*) *Notit. German. antiq.* l. IV, c. II. p. 175.

(*x*) Ibidem in not. ad p. 175.

(*y*) Hodie *Baden*, caput Marchionatus Badenſis.

(*z*) Caracalla dictus.

(*a*) *Als. Ill.* T. I, pag. 248, § ccxx.

tecta posse ac debere merito reponi; quanquam in hoc ipso temporis spatio, quo minus omnia sint æqualia, aut sibi æqualiter semper constent, multum abest. A communis enim imperii sorte cum singularum provinciarum fortuna dependeat, ut reliquæ partes imperii, ita hæ ad Rhenum & Nicrum positæ jam magis, jam minus quietæ fuerunt & securæ, atque eadem fere ratione jam plura, jam pauciora erecta esse monumenta dicendum est, prout magis, minusve quieta & secura fuerunt tempora; quod imperantibus Antoninis vel maxime elucet, cum horum imperium præ ceteris & diuturnum, & pacatum fuerit. Enim vero quæ Heilbronnæ, Durnii, Bullavii, Gundelshemii, Heidelbergæ, aliisque in locis ad Nicrum reperta sunt monumenta, ea vel omnia, vel pleraque Antoninorum ævo vindicantur; quod quidem partim fasti consulares comprobant, partim ex arte ipsa, & operis, literarumque structura haud obscure colligitur. Ut enim ex moribus, ita ex artibus ætates dignoscuntur, artes cum æque ac mores pro temporum diversitate immutentur, perficiantur, depraventur, ut cuilibet seculo certa quædam agendi, loquendi, ædificandi, sculpendi, pingendi ratio modusque sit quasi proprius, quo discernitur & cognoscitur.

Monumenta, hæc nostra talia sunt, ut quicunque structuram eorum & artem diligentius inspexerit, ea secundo Romanorum ævo posteriora esse non posse facile intelligat. Accedit temporum ratio. Si enim alia sunt, quæ tempore belli, alia quæ non nisi pacis tempore apte commodeque perfici possunt, tum columbarium & balnea inter ea profecto habenda sunt, quæ à bello & armis magis abhorrent, & loca & tempora quietiora, placidioraque exigunt. Atquæ hæc quidem ratio non levis videri debet, ut Antoninorum ævo otius quam Pprobi aut Maximianorum ætati adscribantur, cum sub his nulla quies, sub illis summa tranquillitas fuerit.

Sed de his satis. Illud jam venit, quod hæc ipsa monumenta non locum obscurum, sed insignem, nobilemque sedem osten-

oſtendant. Multa quidem & varia in Nicri tractu caſtella, oppidaque Romanis fuiſſe novimus, nec deſunt veſtigia, ſeu rudera, quæ illa nobis indicent. Nullum eſt autem, quod vel columbarium vel balneum, multo minus quod utrumque habuiſſe dici poſſit. Hæc nimirum non ſingulis locis, ſed iis tantum conveniebant, ubi primarii e Romanis, quique toti regioni præerant, ſedem ſibi, ſuisque conſtantem ſelegerant. Unde locum principem hic fuiſſe atque regionis caput, affirmare tuto licet.

Quodnam vero nomen huic loco tribuemus? quove nomine olim inſignitum eſſe dicemus? Lupodunum dictum eſſe, non primi quidem aſſerimus, at primi monumentorum auctoritate ſtabilimus. Ante nos jam Freherus hoc ipſo in loco antiquæ Germaniæ caput ſtatuere, & Lupodunum fuiſſe, ubi nunc Ladenburgum eſt, probare conatus eſt; opus eruditis non ingratum, ſed multa tamen in eo habentur, quæ priſcis ſcriptoribus, monumentisque non ſatis cohærent, ne dicam, plane repugnant, ut vel inviti ab eo diſcedere cogamur. Sunt quæ fuſius, nec utiliter retulit; ſunt alia, quæ retuliſſe utile, opportunumque fuiſſet, ſed quæ vel neglexit, vel brevius, nec clare recenſuit; ſunt tandem quæ cum noſſe debuiſſet, non novit, aut ſcire non curavit: ex quo accidit, ut ejus ſententia non probata omnibus, à multis etiam impugnata fuerit. Lupodunum

Quamquam, ſi res in medio relicta, neque omne dubium remotum eſt, non tam Frehero tribuendum, quam temporum fato adſcribendum videtur. Nimirum e ruinis nondum prodierunt ea monumenta, quæ magnam huic rei lucem attulerunt, nec niſi paucis abhinc annis detecta ſunt. Deerant illi, ut ita dicam, teſtes qui nobis adſunt, Romanis coævi, qui litem dirimant, & Lupodunum priſtino ſuo loco reſtituant. Et vero ſive in Lupoduno ipſum nomen ſpectes, ſive locum & ſitum conſideres, ſive ad ea demum reſpicias, quæ in his oris facta, geſtave à Romanis tra-

 duntur,

duntur, illa omnia cum monumentis ita conveniunt, ut res extra controverſiam poſita eſſe videatur.

Lupoduni nomen

Atque ut ab ipſo nomine initium ducamus; certum enim vero exploratumque habetur, uti res, ita rerum nomina ſenſim immutari, & à prima ſua origine paulatim deflectere; nec mirum, cum omnia mutentur, & voces mutari, quibus mutabilius nihil, inſtabiliusque habetur. Si in hac autem rerum æque ac nominum mutatione genuinam indagare originem, veraque à falſis diſcernere ſi cupias, ea tibi ſint veſtigia neceſſe eſt, quibus non obſcuro tramite, ab eo quod jam viget, nomine, ad illud, quod in uſu quondam erat, pervenire poſſis. Adſunt nobis profecto, adſunt indicia, eaque clara & certa, quibus ad primam Lupoduni originem perveniamus. Ab hoc enim tempore ad ævum Francorum, ab ævo Francorum ad ætatem Romanorum ſi recedas, prona tibi & aperta ſunt veſtigia, quibus mutationes inſequaris, & qua ratione aliæ ex aliis ortæ ſint, deprehendas. Etenim oppidum, cui balnea & columbarium adjacent, *Lobodunam* Francorum eſſe ex pluribus nec dubiis octavi & noni ſeculi documentis conſtat (*b*). Hæc vero Loboduna facili via nos ad antiquum Lupodunum perducit. Quandiu ſcilicet Romani in hac regione imperium tenuêre, Lupodunum dicebant, ut ex Auſonio novimus. Deſtructo Romanorum imperio levi vocis inflexione Luboduna primum, dein Loboduna Francis dicta eſt. Neque ullum eſt dubium, quin & Lupodunam dixerint, cum in antiquis hujus civitatis ſigillis litteræ B & P promiſcue adhibeantur. Quis vero non videt Francis idem fuiſſe Lobodunam, quod Romanis fuerat Lupodunum. Si enim mutata imperii forma ſingulæ fere civitates & nomen & linguam & mores immutarunt, paucæ vel nullæ ſunt, quæ à primo ſuo nomine non magis quam Loboduna deflexerint.

Quam-

(*b*) Vide *cod. Lauresh.* pag. 320 n. 226, 274 & ſeqq. usque ad n. 818.

Quanquam prima Lupoduni origo non tam à Francis aut Romanis, quam à Celtis, ut vox ipſa indicat, repetenda eſt. Celticam enim originem conſectantur, quotquot ſimili modo deſinunt, nomina, ut Auguſtodunum, Lugodunum, Virodunum, aliaque non pauca, quibus omnibus non Romani, nec Franci, ſed Celtæ nomen dedêre. Neque diviſæ in hoc eruditorum ſententiæ, ſed una omnibus opinio, ut nullum prorſus dubium relinquatur. Obſervant geographi, nec immerito, illa oppida montes occupaſſe ſive montana. Quid mirum ? cum vox ipſa *dunum*, *dûne*, Celtis collem, Belgis nunc etiam locum elatum & prominentem ſignificet; quod cum aliis omnibus tum Lupoduno apprime convenit. Suo enim ſitu ita eminet (*c*) ut ab utraque Nicri ripa proſpicienti in tumulo, ſeu colliculo editiore poſita videatur. Lupoduni origo à Celtis

A Celtis itaque Lupodunum ad Romanos, à Romanis ad Francos, à Francis ad nos tandem pervenit. Romani alia nimirum oppida, vicosque ipſi condiderunt, & hæc latino nomine inſigniebant, ut *Aras Flavias*, *Vicum Julium*, *Rheni & Montium Tabernas*. Alia jam condita imperio ſuo adſcripſerunt, & his vetera nomina plerumque ſervabant. Ad hæc, non ad illa Lupodunum referas, velim. Quamvis enim nulla in his oris ante Romanorum adventum extitiſſe oppida, geographi nonnulli cenſeant, Nicrique accolas tectum non ſubiiſſe, partim ex Tacito, partim ex Cæſaris annalibus colligere velint, hoc de Marcomannis, non de Celtis intelligi debet. Etenim cum Galli ſeu Celtæ (iidem enim alio nomine Celtæ, alio Galli vocabantur, Romanis Galli, reliquis Celtæ dicti) cum Galli, inquam, poſt Marcomannorum diſceſſum hanc Nicri regionem occuparunt, pro ſuo eam more colere, tectis, villis, oppidisque inſtituere cæperunt. Unde Lupodunum cum agris decumatibus initium ſumpſiſſe ſtatuimus.

Mox

(*c*) *Dune* cumulos arenarios mari in littore oppoſitos Belgæ potiſſimum adpellant, inde *Duynkerken* (Dunkerka) nomen traxit.

Mox ubi in *finum imperii & partem provinciae* hi agri ceffère, novam Romani Lupoduno formam, atque infuetum illi fplendorem monumentis fuis attulerunt. Suum ipfi tamen nomen relictum, nec nifi fub Francis immutatum. Rudis hæc atque inimica litteris ætas! quæ & monumenta, & monumentorum ipfa etiam nomina delevit, aut fub ruinis fepelevit. Nec mirum profecto videri debet, in tanta linguarum ruditate eos à Lupoduno ad Lobodunam, atque ab hac ad Lobodunam deflexiffe; cum illius ævi ea fuerit conditio, ut fcribendi æque ac loquendi nulla effet ratio certa atque determinata; fed vaga omnia & dubia fluctuarent: neque unius, alteriusve litteræ ratio ibi quærenda, ubi & voces & litteras in uno fæpe eodemque codice mutilabant, depravabant ac mire torquebant. (*d*) Non alia ratione accidit, ut aliæ ex aliis mutationibus nafcerentur; fed non omnes ut noftræ cum radice fua ita cohærent, ut quo fonte manarint, facile deprehendatur. Subfequentibus annis Burgundi, atque horum exemplo ducti Franci, non jam *in dunum*, fed *in burgum* oppida fua terminarunt. (*e*) Hinc factum, ut Lobodunam in Lobodunburgum verterint, unde tandem non tam mutatis, quam fubtractis, litteris Lodunburgum, feu quod in vetuftis tabulis idem fonat, Ladenburgum ortum eft. Miræ hujus viciffitudinis, dicamne, an depravationis hujus veftigia gemino civitatis figillo impreffa habemus, in quibus Lopdemburgi & Lobdenburgi, in recentioribus vero Ladenburgi nomen legitur.

Quid

(*d*) Sub Pipino legitur: in Lobduna, in Loboduna civitate publica; in Lobodone caftro, in pago Lobdunenfi, Lubdoninfi, Lubidunenfi &c. fub Carolo magno, in Lobodunowa, Lubdingowe, in caftello Lobdenburg, in pago Lobodunbergenfe, & Laudenbergenfe &c. Vide *cod. Lauresh. Schannat hift. Wormat. Freh. orig. palat.*

(*e*) Multa veterum civitatum nomina rudi Francorum ætate depravata funt: ita Augufta Vindelicorum in Augsburgum, Regina caftra in Reginoburgum, Argentoratum in Strasburgum & multa alia fimili modo corrupta funt.

Quid eſt, quod jam dicas? oppidi nomen, quo nunc utimur, cum eo quod in uſu quondam erat, ſimile nihil vel affine habere. Cum enim ex monumentis Pippini, Caroli magni, aliorumque regum & ducum Francorum certum ſit, Ladenburgum unum eſſe idemque oppidum ac Lobodunam; hæc autem vocis affinitate, nominisque origine, ut jam perſpeximus, non modo Lupoduno non abſimilis, ſed plane ſimillima ſit, æque certum ſit neceſſe eſt, Ladenburgum, quamvis ab antiquo Lupoduno prima fronte differat, ab eo tamen reipſa non differre, ſed unum eundemque locum deſignare.

Lupoduni dignitas

Ut nomine, ita dignitate conveniunt Loboduna & Lupodunum; ſua quodlibet ætate, hoc ſub Romanis, illa ſub Francis pares honores tulit. Qui fuerit illi ſplendor, quodve decus, ex balneis & columbario colligitur, quæ inſignem ibi ſedem Romanis fuiſſe, neque Lupodunum in agris decumatibus infimum tenuiſſe locum oſtendunt. Lobodunæ novum acceſſit ornamentum. Toti enim regioni, ſeu pago, ut aiunt, Lobodunenſi nomen dedit, ejusque caput per ſexcentos amplius annos extitiſſe neminem fugit; utrumque tandem regio cum caſtro, comitibusque regiis Ladeburgo ſuos & vetuſtatis & dignitatis honores tranſtulit. Sub Romanis igitur Lupodunum, ſub Francis Loboduna, ſub Palatinis Ladenburgum floruit atque etiamnum floret.

Variæ opiniones circa antiquum Lupoduni ſitum

Sed enim, inquies, quæ nominis origine, vocisque aut etiam dignitatis affinitate convenire videntur, loco & ſitu non conveniunt. Ad remotos Iſtri fontes multi ſtatuunt, quod ad Rheni & Nicri oras ſtatuere conamur. Lupodunum illorum & noſtrum regione tantum diſtant, quantum voce aut nomine junguntur. Novimus equidem à B. Rhenano ad ortum Danubii, & Herciniam ſilvam Lupodunum fuiſſe poſitum, atque ipſum in agro Lupfenſi quæſiiſſe, quod in Lobodunenſi reperiſſe Freherus contendebat. Conveniunt omnes in agris decumatibus Lupodunum eſſe inveſtigandum; conveniunt a Nicro illud non abfuiſſe; qua vero in parte, ad Nicri fontes? an verſus amnis oſtium ſitum

Cc fuerit?

fuerit? de hoc minimè conveniunt. Res cum certa non esset, magis dubia &, ut fieri solet, diversis partium studiis planè incerta facta est. Non defuerunt, qui Rhenani, nec qui Freheri sententiam amplecterentur. Utrique ad Ausonium, & Marcellinum provocant, neque rejicienda horum autoritas, sed cum sale admittenda. Si rem probe inspicias, miraberis sane, plerosque nec tempora, nec loca, ut fas erat, in Marcellino & Ausonio distinxisse, virosque aliunde in hoc eruditionis genere summa cum laude versatos rem magis implicasse quam enodasse, atque illos, quæ pugnabant, conjunxisse & quæ jungi debuissent, tanquam pugnantia rejecisse.

Ausonius & Marcellinus explanantur

Ausonius Lupodunum memorat, non Marcellinus. Ex illo nomen, ex hoc situs Lupoduni petendus. Victoriam uterque refert, alter prælium majore fide narrat, alter triumphum elegantius describit. Non una vero pugna, nec unum certamen in Marcellino occurrit, inde prima erroris origo. Descriptam ab Ausonio victoriam ad prælium Argentuariæ datum plerique referendam esse rati, ex hujus Argentuariæ situ, Lupoduni situm collegerunt, in quo à Marcellini perinde atque Ausonii mente recessêre. Inquirendum iis prius fuisset, quonam de prælio apud Ausonium agatur & quænam sit victoria. Alia Argentorati, alia Solicinii, alia denique Argentuariæ parta est. Prima Juliano Cæsari debetur, nec quidquam ad rem facit. Altera Valentiniano & Gratiano, tertia soli Gratiano tribuitur. Ad tertiam, non ad secundam spectare Lupodunum, magis erudite quam prudenter judicarunt Cluverius, Spenerus, Ortelius, aliique, nec non Freherus, qui suis ipse telis se ferit, nec mirum, ejus sententiam concidisse, cum admittat ea, quæ opinionem suam non tam stabiliant, quam penitus evertant. Quod si Ausonius de Argentuaria intelligendus, fatemur cum Spenero, & ultro quidem, vel Ladeburgum non esse verum Lupodunum, vel si sit, ea profecto expeditione, ad quam respexit Ausonius, non de hoc, sed de

alio

alio Lupoduno actum esse. *Quid enim*, ut recte animadvertit Cluverius, *quid attinuit victorias Gratiani ad Argentuariam partas narrando Lupodunum nominasse centum circiter millibus passuum ab Argentuaria dissitum?* Sit igitur Lupodunum ad Istri fontes, sit non procul ab Argentuaria dissitum, a Ladeburgo sit tandem prorsus alienum, si de hac Gratiani victoria agatur; sed agere de illa Ausonius neque potuit, neque voluit, & quî potuisset rem referre actam, quae acta non esset, aut celebrare triumphum, ubi triumphus non fuerat. Occubuit nimirum Valentinianus ante partam Argentuariae victoriam; decesserat aliquot jam annos, cum praelium illud initum. Testes habemus Aurelium Victorem, & Hieronymum, & ipsum Marcellinum. Qua igitur ratione Ausonius, qui Valentiniani laudes celebrat, qui & natum & parentem nominat, quique Lupodunum cum Valentiniani aeque ac Gratiani triumpho conjungit, qua ratione vivo adhuc & regnante Valentiniano ea referat, quae non nisi eo mortuo subsecuta sunt, aut ea Valentiniano tribuat, quae soli Gratiano debentur. Ruunt ergo atque concidunt, quoquot ex eo capite argumenta trahebantur. Quam parum victoria prope Argentuariam reportata ad vitam vel laudem Valentiniani referri potest, tam parum cum Lupoduno conjungi debet, cum utrumque idem tempus, idem praelium, eundemque triumphum respiciant.

Non est quod jam Cluverius venditet, *omnia manifesto docere, non procul ab Argentuaria urbe, propeque Danubii fontes, antiquum fuisse situm Lupodunum.* Quam falsae sint, quamque inanes eo fonte deductae rationes, ii etiam hoc tempore fatentur, quibus Lupfense castellum tanquam antiquum habetur Lupodunum. Neque aliam ob causam relicta jam Argentuaria, ad Solicinium, ubi Valentinianus & praelio & victoriae interfuit, animum & studia verterunt. Ergo Solicinii ope omnis exhaurietur difficultas? immo vero nova oritur.

Solicinium

De ſitu Solicinii ſi æque conſtaret, ac de Argentuaria conſtabat, res tota foret extra controverſiam poſita, & verum à falſo Lupoduno ſecernere difficile non eſſet. A Solicinio enim Lupodunum longe abeſſe nequit, ſed unum cum altero ita cohærebat, ut eandem nobis victoriam Marcellinus Solicinii, Auſonius Lupoduni nomine deſignarit. Sed de hoc ipſo, ubi ſitum fuerit Solicinium, minus conſtat, non dico, quam de Argentuaria, ſed minus quam de Lupoduno, ut ex incerto Solicinii ſitu ad ſitum Lupoduni non niſi valde dubio, incertoque argumento concludere aliquid poſſis. Hoc non latebat eruditum Clemmium, qui primus & ea quæ pro hac ſententia, & ea, quæ contra illam faciunt, æquo animo protulit, nec dirimere litem, ſed quidquid ad eam dirimendam magis conduceret, exponere, diſcutere, atque aliorum judicio relinquere inſtituit. Obſervationibus Clemmii alias ſubjunxit Volzius, ſtudio non abſimili, eoque, ut videtur, animo, ut petitis ex Solicinio argumentis Rhenani opinionem firmaret, Freheri ſententiam deprimeret.

Rectius hi, ſecuriusque rem aggreſſi quam Rhenanus, qui dum Solicinium Heidelbergæ conſtituit, non tam ſuam quam noſtram ſententiam confirmat, pari ſorte, parique fortuna in hoc uſus, quam Freherus, qui Argentuariam admittendo evertebat ſuam, Rhenani vero ſententiam firmabat. *Quid enim*, ut in quos tela retorquemus, eorum etiam verbis utamur, *quid attinuit victorias Valentiniani ad Heidelbergam partas narrando, Lupodunum ad Lupfenſe caſtellum centum circiter millibus paſſuum ab Heidelberga diſſitum poſuiſſe?* Perſpexerunt Rhenani errorem recentiores Sueviæ ſcriptores. Solicinium non Lobodunæ vicinum, ſed caſtello Lupfenſi proximum hodie tradunt.

Solicinii ſitus incertus

Ubinam vero illud ſtatuendum eſſe dicemus? an cum Rhenano, utpote qui nobis plurimum favet, Bilicone aut Heidelbergæ? an cum Bucherio non procul Heidelberga in via, ut vocant, montana, eoque in loco, ubi hodie vicus nomine Soli-

Solicinio non omnino absimilis? an cum Lazio ad Brettam, oppidum à Loboduna non adeo dissitum? an cum Cluverio & Guillimanno in sinistra Nicri ripa versus Istri fontes constituemus? Nam quid de Clusio dicam? qui contra omnem geographorum & historicorum notitiam Solicinium ad lævum Rheni latus inter Moguntiam & Treviros quæsivit? In tanto sententiarum discrimine Solicinii ad Lupodunum ea est ratio certa, omnibusque probata, ut si primum in hac Nicri regione fuisse agnoscis, & alterum hic esse agnoscas, necesse sit: si verò ad Danubii fontes unum removeas, & alterum eó rejicias, oportet. Hac ratione inducti, qui Rhenani sententiam tueri, & Lupfense castellum tanquam antiquum Lupodunum defendere volunt, Solicinium huic vicinum statuunt. Sed quo illi jure ad suam regionem, eodem nos ad nostram trahere Solicinium atque vindicare possemus. Nominis similitudine nituntur? Sed commune utrinque nomen, nobisque & illis par ratio habetur. Locum & situm Marcellino congruere aiunt? nec minus nostrum Solicinium situ Marcellino congruit, imo magis ad illum accedit. At inventa ab illis laudantur ossa, quæ prælium à Marcellino descriptum non obscure indicant? Neque hoc quidem illis speciale. Non procul Heidelberga & Luboduna inventa sunt magno numero & ossa, & corpora, & clypei, & varia armorum genera, quæ cruentum hic prælium Romanis cum Alemannis fuisse æque ostendunt. Quid ita? rem incertam, dubiamque relinquemus? nequaquam. Sunt alia, nec levis momenti argumenta, quæ pro Luboduna certant, & totum dirimere negotium queunt. Quamvis vero certum Solicinio, determinatumque locum non assignemus, neque posse prudenter assignari existemus, nostro tamen proposito confirmando fuerit satis, si Valentiniani victoriam non ad Istri fontes, sed ad has Rheni & Nicri oras actam esse demonstremus.

Triumpharet Freheri sententia, ait Clemmius, si Valentinianus Mœnum, non Rhenum, transiit, *nec Solicinium certe, nec Lupodunum* — Argumentum ex Clemmio sumitur

dunum prope arcem Lupfensem quaeri amplius posset. Recte quidem. Sive autem Valentinianus Mœnum, sive Rhenum non procul Mœno transiit, sententia Freheri triumphare dicenda est. Mœnum, an Rhenum Valentinianus trajecerit? ex ipsis Marcellini fontibus exploremus. Manuscripti codices, iique optimæ notæ, Florentinus, Tolosanus, Colbertinus & regius non Rhenum, sed *mhenum*, procul dubio *Menum* offerunt. Cui enim Rheni flumen adeo ignotum esse poterat, ut in eo describendo falli, aut dubius hæsitare posset. Non ita de Mœno, qui Romanis minus notus erat, & vero, cur aliis in locis Marcellini codices Rhenum haberent, hic vero omnes mhenum, si de eodem flumine, neque de ignoto ipsis amne ageretur? Mœnum ergo transgressus Nicrum versus hostes persequebatur. Quosnam hostes, eos ipsos qui paulo ante duce Randone Moguntiacum præsidiis vacuum devastarunt, & qui Mœnum inter & Nicrum non ad remotos Istri fontes quærendi erant. En! quam apte, quamque opportune omnia cohærent. Refert Marcellinus regalem, id est, regio sanguine ortum Randonem cum Moguntiaci stragem diu animo concepisset, data per Valentiniani discessum occasione latenter in urbem irrepsisse, opes abstulisse, civesque captivos abduxisse. Hæc ut ageret, non longe abesse Rando, sed in vicino latere debuit, sedemque illi & copias à civitate non remotas fuisse quis non videt? Sed persequamur cum Marcellino viam, nec quidquam, rem illustrare quod possit, prætermittamus. Valentinianus cum Gratiano flumen transgressus, resistente nemine, per regiones longo itu porrectas, seu per longam & apertam planitiem aliquot diebus incedit, quin ullus, qui vim obmovere, inveniri potuerit. Post hæc, ubi è planis nimirum ad montana perventum, leniore & cautiore gressu princeps ulterius tendere; cum prope locum venisset, cui Solicinio nomen est, velut quadam obice stetit. Perceperat e speculatoribus *barbaros longe conspectos esse, montemque occupasse praecelsum, per confragosos colles undique praeruptum & invium, absque septemtrionali latere, unde facilem habet devexitatem*

lem & mollem. Hic prælii locus, de quo agitur, quis a Mœno ad Nicrum progrediens & planitiem, & aliquot dierum ſpatium, & præruptos inviosque montes, & mollem facilemque clivum non agnoſcat, ut paucis de Luboduna millibus Solicinium merito poni poſſit. Quanquam hæc non uni, ſed pluribus locis cum poſſent tribui, iis non inhærebimus. Id tamen non prætermittendum, quod hæc ipſa planities, & aliquot dierum ſpatium, totiusque itineris ratio non æque à Rheno ad Lupſenſe caſtellum, quam à Mœno ad Lubodunam habeantur.

Novum argumentum ex Marcellino

Hæc de Mœno. Sed ne huic rationi, (quamvis ſatis magni ponderis habenda ſit) ne illi tamen ita videamur inniti, ut Rhenum prorſus negligamus, ponatur, per nos licet, non Mœnum ſed Rhenum à Valentiniano eſſe trajectum. Num Baſileæ vel Argentorati flumen trajecit? nullo modo. Wormatiæ fuit imperator paulo antequam Solicinii actum ſit prælium, ut lege perſpicitur, quam in hac civitate dedit, quamque Ulpianus in codice Theodoſiano nobis ſervavit. (*f*) Diſcedit Wormatia imperator; ad bellum Alemannis inferundum progreditur. Quo vero progreditur? Eo tempore duos Valentiniano hoſtes fuiſſe ex Ammiano accepimus; Randonem alterum, alterum Vithicabium: huic Nicrum inter & Iſtrum, illi inter Mœnum & Nicrum ſedes fuiſſe videtur. Quamquam, ubi res contra Romanos agebatur, communi omnes ſtudio, mutuisque viribus Alemannos concertaſſe nemo dubitat. Occiderat Vithicabius, non Rando. Poſt primi necem, non armis, ſed dolo & fraude illatam, *aliquatenus hoſtiles torpuere diſcurſus.* Sed ne Rando & reliqui Alemanni nova molirentur, merito timebant Romani, atque *ob ſuſpectos eorum mores, nunc infimorum & ſupplicum, paulo poſt ultima minitantium*

(*f*) Hanc legem Valentinianus Wormatiæ ſanxit die 31 Julii, eodem quo Solicinii prælium accidit, anno. Vide *cod. Theodos.* lib. 13, tit. 6, leg. 3.

tantium, nullae quiescendi dabantur induciae. Rebus ita constitutis quæritur, an Valentinianus contra Randonem, eamque Alemanniæ partem, quæ ad Mœnum & Nicrum, an contra Vithicabii gentem, eosque Alemannos, quibus ad Istri fontes sedes erat, arma tulerit? Moguntiaci strages hostium sanguine nondum erat deleta, manes civium impia Randonis manu cæsorum nondum placati: inultum hoc nefas dicemus? anne hostes Mœnum inter & Nicrum insontes atque securos Valentinianus relinquet, dum hac ipsa in regione versatur, & remotos nec tam recentis criminis reos aggredietur? Quis hoc asserat, nisi omni vi atque ope Valentinianum, ut ita dicam, ad se rapere, in ulteriorem trahere Sueviam, atque ad Lupfense castellum tandem perducere velit.

Volzii opinio

Hoc vero modo Volzius novam Valentiniano aperiisse viam videtur. Wormatia illum ducit Argentoratum; ibi Rhenum transit; trajecto Rheno vallem intrat, quam vocant, Kinzengensem; ex hac valle ad locum nomine Hornbergam venit; Hornberga iter pergunt Sulgavium. Quorsum hæc omnia? ut ad castellum Lupfense tandem perveniant, eique Lupoduni nomen imponant. Mira sane atque egregia historicos interpretandi ratio, qua non dubia tolluntur, sed augentur, nec dirimuntur, sed foventur lites atque propagantur. Non læsum Valentiniani honorem, non Moguntiacum misere devastatum, non cives ab hoste abductos curant, aut vindicandos putant, dummodo Lupodunum vindicent, atquc Lupfensi castello tribuant.

Refellitur

Quam facili, quam prono flumine omnia manant, si rem, ut jacet obvia, è Marcellino accipias, & Valentinianum non procul Wormatia, ubi fuerat, Rhenum transiisse statuas. Exeunte mense Julio imperator Wormatiæ est, ut ex lege ab eo lata novimus. Inde *anni tempore jam tepente*, hoc est, ætatis calore jam decrescente flumen transgreditur (sive Rhenum, sive Mœnum, sive

ſive utrumque a Valentiniano trajectum dicere malis) hoſtiles agros ingreſſus, ſata cum jam eſſent matura, quæ victui neceſſaria, ſervari, reliqua flammis dari jubet. Si ad tempus reſpicias, quo fuit Wormatiæ, atque cum hoc, quo matura jam ſata & fruges vaſtaſſe dicitur, conferas, imperatorem cum exercitu ſuo non longum iter perfeciſſe, neque ad Iſtri fontes, ſed inter Mœni & Nicri oras fuiſſe facile intelliges. Peragrata intra paucos dies ac devaſtata hoſtium regione, hoſtes ipſos ad montem præruptum atque invium aſſequitur. En! montes hercinii, non ii quidem, e quibus Iſtri fontes defluunt, ſed qui Nicri regionem undique præcingunt, atque a Lobodunæ tergo late diffiduntur. Hic ſubſiſtunt Alemanni locorum aſperitate confiſi, præliumque ineunt. Pugna diu anceps: *disjecti denique Romanorum ardore, metuque turbati, ſylvarum ſe latebris amandant.* Quid plura? expulſis hoſtibus, & peracto bello, *milites ad hyberna, imperatores Treviros revertuntur.* Quam bene hæc Wormatiæ & Lobodunæ, tam male Argentorato & Lupfenſi caſtello favent. Si enim locum, a quo diſceſſit, & locum, ad quem revertitur imperator, ſi tempus, quod inter ejus diſceſſum, ejusque reditum intercedit, ſi finem Julii, quo legem ſanxit, & finem Auguſti, quo dies tepeſcere, & fruges etiam tardiores colligi ſolent, ſi hæc omnia æquo animo conſideres ac perpendas, fatearis neceſſe eſt, Valentinianum ab ulteriore Suevia & Iſtri fontibus longe abfuiſſe. Vicinas Mœni & Nicri regiones domare potuit, longinqua peragere bella certe non potuit.

Nam quod alii dicunt, ineunte vere hoc bellum a Valentiniano ſuſceptum, & milites ad hyberna jam reverſos, ubi legem menſe Julio Wormatiæ dedit, hæc quidem oſtendunt eos intelligere, quam parum iſta Rhenani ſententiæ faveant, atque ut ea explanent, multum ſeſe torquere. Sed quis credat milites Romanos menſe Julio in hybernis jam fuiſſe? quis credat ineunte vere facta eſſe, quæ eo anni tempore facta dicuntur, ubi matura jam Aliorum ſententia

ſata & dies jam tepeſcere cœperant. Sin autem elapſo menſe Julio Valentinianum in ulteriorem Sueviam arma tuliſſe contendas, graviori ſcopulo ne impingas, caveas, velim. Tempus nimium breve a menſe Julio, usque dum dies tepeſcere, & tardius etiam ſata colligi ſolent, quam ut remotas peragrare regiones, atque Iſtri fontes attingere potuiſſet. Obſtant temporis anguſtiæ, obſtat Marcellini auctoritas, qui hoc bellum non celeri curſu, ſed *ſenſim & leniore greſſu* confectum eſſe refert.

Obicem vitabis omnem, planoque atque facili tramite incedes, ſi dicas, imperatorem vertente anno ad Mœnum & Nicrum Alemannos aggreſſum, atque his debellatis *milites ad hyberna, imperatores ad triumphum eſſe reverſos.*

Argumentum ex Auſonio

Prælium & victoriam ex Marcellino, triumphum ex Auſonio habemus, qui Valentiniani & Gratiani laudes ita cecinit:

— *Auguſtae veniens quod moenibus urbis*
Spectavit junctos natique patrisque triumphos:
Hoſtibus exactis Nicrum ſuper et Lupodunum
Et fontem Latils ignotum annalibus Hiſtri.

Viden? ipſe Auſonius Lupodunum Nicro, non Iſtro jungit. Quin immo, inquis, Iſtri fontibus æque ac Nicro conjungit: minime vero. Auſonius triumphum deſcribit ob hoſtes a Nicro, & Lupoduno exactos, atque in Hercinium ſaltum pulſos, ubi Iſtri fontes latebant. Non ego, ſed Marcellinus Auſonium ita interpretatur; hic rem hiſtorica fide ita narrat: *Stratis denique multis,* diſperſi *ceteri ſylvarum ſe latebris amandarunt.* Hoc ipſum elegantiore modo poeta exhibere non potuit, quam per occultos Iſtri fontes, qui intra illas ſylvas latitabant. Mirum, quot, quamque variis modis geographi recentiores ſeſe torquere ſoleant, ut hunc Auſonii verſum explanent. Poeta ex hiſtorico, non hiſtoricus ex poeta intelligendus. Marcellinus, qui hoc in loco ne

minima

minima quidem neglexit, bellum duplici capite complectitur: primo narrat regionem Alemannorum vastatam esse atque ab ipsis relictam; dein ipsos Alemannos refert e monte, in quem recesserant, profligatos atque in Herciniam sylvam propulsos. Utrumque Ausonius, at non ita distincte, brevius, subtiliusque poetico more reddidit. Primum ita exhibet: *Hostibus exactis Nicrum super et Lupodunum.* En! hostes e Nicri tractu, cujus caput fuisse Lupodunum poeta indicare videtur, fugatos ac propulsos. Alterum sequenti versu mira elegantia expressit: *Et fontem Latiis ignotum annalibus Istri.* En! *sylvarum sese latebris amandant*, ubi prælio victi ac dispersi delitescunt. Neque dicas, ab ea Hercyniæ sylvæ parte, quæ Lubodunam respicit, Istri fontes nimium abesse. Sufficit poetæ fontem Istri in aliqua immensæ illius sylvæ parte latitare, ut tam vere quam eleganter saltum Hercinium per ignotos celebris hujus fluminis fontes exprimere, atque hac arte novum victoriæ splendorem adjicere possit. (*g*)

Favet Lubodunæ nostræ Marcellinus, favet Ausonius, favet ipsa itineris ratio a Valentiniano suscepta. Quod si a Rhætiis vel a Sequanis venisset, Lupodunum ad Istri fontes & ad Lupfense castellum quæri forte potuisset (*h*). Sed cum a Moguntiæ & Wormatiæ partibus venerit, ad Lubodunam rectius quæri potuit, securius inveniri debuit. Neque vero arbitror in remotis Sueviæ fini-

(*g*) „ *Hujus Herciniae silvae latitudo* IX *dierum iter expedito patet. Oritur ab Helvetiorum, et Nemetum, et Rauracorum finibus: rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium. Hinc se flectit sinistrorsus diversis a flumine regionibus; multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. Neque quisquam est hujus Germaniae, qui se adisse ad initium ejus silvae dicat, cum dierum iter* LX *processerit; aut quo ex loco oriatur, acceperit.* „ Ita J. Cæs. de bell. Gall. comm. VI. 25.

(*h*) Valentinianum non a Rhætiis vel a Sequanis venisse, non tantum ex lege, quam Wormatiæ dedit, colligitur, sed etiam patet ex eo, quod Treveros reverti dicatur. Venerat ergo Treviris. Neque enim quis Athenas reverti dicitur, nisi Athenis prius venerit.

finibus Lupodunum unquam fuiſſe inveſtigatum, ni Argentuariæ victoria cum Lupoduno male juncta primum errori locum dediſſet. Poſtquam autem error invaluit, & ſententia quædam ex errore nata eſt, etiamſi falſo principio inniti deprehendatur, aliæ tamen, quibus defendatur, rationes nunquam deſunt, aut ſi deſint, novæ mox inveniuntur atque excogitantur.

B. Rhenani ſententia

Sed his omiſſis, quid eſt tandem, quo Rhenani ſententia fulciri poſſit. Quid eſt, non jam dico, quo rei veritas, ſed loci antiquitas comprobetur? Quæ ſunt monumenta, quibus Lupſenſe caſtellum Romanis notum fuiſſe ſuſpicari liceat? A Romanis contra Alemannos conſtructum eſſe inſinuat Rhenanus: at non Celticum, ſed Romanum ipſi nomen dediſſent, ſi ab iis traheret originem. Rudera habentur? at rudera non monumenti Romani, ſed caſtelli recentioris, quod jubente Sigismundo cæſare, & concilio Conſtantienſi ſuadente dirutum ac penitus deletum eſt (*i*). Hoc caſtellum non aliam videtur habuiſſe originem, quam tot alia caſtella, ut vocant, montana, quæ poſterioribus temporibus, nimirum ſeculo undecimo & duodecimo, exſtrui cœperunt, & pro caſtris Romanis non raro accepta ſunt. Ad ea tempora & comites Lupfenſes & eorum caſtrum eſſe referenda nullus dubito, patetque ex eo, quod non niſi exeunte ſeculo undecimo prima eorum mentio occurrat, neque ulla habeantur veſtigia, quibus eorum origo ad altiora tempora referri poſſit.

Alia eſt Lubodunæ, ac longe diverſa ratio: quot, quam præclaris innititur monumentis, quibus ejus antiquitas innoteſcat? Luboduna ſecundo Romanorum ævo balneis & columbario jam fuit inſignis. Exeunte tertio ſeculo monumentum ibi relictum eo inſignius, quod in annum incidat memoratu dignum, quo Diocletianus & Maximianus Auguſti Conſtantium Chlorum et Gal. Val. Maximianum, cæſares adoptarunt. Subſequen-

(*i*) Anno 1416 caſtellum Lupſenſe dirutum eſt.

quentibus seculis augeri cœpit Lobodunæ gloria, nedum decrescere, atque dum Lupfenses comites eorumque castrum nondum erant in rerum natura, Loboduna jam hujus regionis caput fuit ac princeps.

Quam pauca Lupfensi castello, tam multa Lobodunæ favent. Et nomen & locus, & tempus, & ipsa monumenta inter sese ita conveniunt, ut huic sententiæ stabiliendæ nihil deesse videatur. Lupodunum igitur a Celtis, ut vox ipsa Lupoduni indicat, conditum, a Romanis præclaris monumentis exornatum, a Francis regio castro comitibusque regiis illustratum, a Palatinis demum vindicatum, suoque & nomini & honori restitutum dici potest ac debet.

DISSERTATIO

de Balneo Romano in agro Lupodunensi reperto.

Auctor

Casimirus Hæffelin.

MONUMENTA varia variis in locis ad Rhenum, Nicrum, Mœnumque reperta sunt; & hæc quidem nec pauca numero, nec ipsa specie vulgaria: alia moribus populorum, deorumve cultu, alia litterarum, artiumque subsidiis insignia; omnia vero vetustate simul & utilitate commendanda. Inter tot autem, tamque varia, quæ e ruinis prodiêre apud nos, Romanorum monumenta, duo præsertim omnium in se oculos convertere, eruditorumque studia provocare videbantur; *Columbarium* scilicet ac *Balneum* (k), a Romanis

(k) Columbarium mense Junio anno 1766, balneum mense Septembre ejusdem anni repertum est.

manis utrumque multis abhinc feculis conftructum, utrumque non ita pridem in agro Lupodunenfi verfus Schrieshemium detectum.

Columbarium obfervationibus fuis illuftravit Schœpflinus (l). Id unum adjiciemus, Virgilii columbarium, quod Neapoli paucis ab urbe paffibus in colle ad Paufilippum vergente cernitur, cum hoc noftro omni plane ex parte convenire. Quantum enim diftantia locorum feparantur, tantum & formæ & ftructuræ affinitate conjunguntur. Atque hoc vel ipfi monumenti Lupodunenfis detractores fi viderint, fateantur, neceffe eft, vel iftud Romanum effe columbarium, vel illud Virgilianum non effe. Sive enim columbarium ipfum, five columbarii partes, & loca fingula fingulis urnis recipiendis aptata, five fubobfcurum & proclivem, ut locum funebrem decet, lucis aditum, five tandem ipfam conftructionis artem, dimenfionumque rationes confideraverint, tanta, tam æqua fimilitudinis ratio elucebit, ut qui unum viderit, alterum vidiffe, qui unum probaverit, & alterum probaffe, merito poffit exiftimari.

De columbario magnus ubique rumor, magnaque fama apud Palatinos erat, cum novum eruitur monumentum, nova fefe produnt veterum ædificiorum veftigia, atque eodem prope loco, eodem ferme tempore balnea Romana haud dubiis indiciis fefe manifeftant. Thermarum & balneorum ufus ex Afiaticis ad Græcos, a Græcis ad Romanos, a Romanis ad nos tandem dimanavit.

Ager Lobodun.

Ad conftruenda autem balnea locum feligebant Romani vel natura, vel arte ad omnem voluptatem comparatum, atque talem in agro Lupodunenfi eos felegiffe nemo non videt. Si enim fitum fpectes; quid amœnius? quidve afpectu jucundius? fi aërem; quid falubrius? quid ad curandam valetudinem, recreandamve

(l) Vide *Act. Acad. Theod. Palat.* tom. II, pag. 107.

damve opportunius? ſi ſoli fertilitatem? nec ipſa hesperia tellus Cereri gratior, aut frugum ubertate fecundior. Multa ad Tiberim, multa ad Anionem, ad Albulam, Blanduſiamque loca, quæ & poetæ carminibus, & ipſi philoſophi ſcriptis ſuis celebrarunt. Nulla tamen, vel pauca ſunt, quæ tum aëris ſalubritate, tum amœnitate ſitus, tum ipſa etiam fertilitate hanc regionem vel ſuperent, vel etiam adæquent. Quas Plinius in Laurentino ſuo, quas Tullius in Tuſculano, quas Lucullus, totque alii Romani in agro vel Tiburtino vel Præneſtino ſummo ſtudio, ſummisque ſumptibus quærebant, has nobis amœnitates, vitæque delicias ager Lupodunenſis, aut ſi mavis, ager Ladenburgenſis, non tam arte quam natura comparavit. Ipſum ego Lucullum, ipſum Plinium & Senecam, & Horatium, Catullumque (innumeris etiamſi villas ſuas laudibus extulerint) ipſos ego, inquam, Tiburtinis vel Nomentanis deliciis ſuis has noſtras non fuiſſe poſthabituros exiſtimo. Non omnia ad Numæ aut Tiburis colles ridebant. Neque enim vero Plinius aridum littus, ſiccasque arenas fico hic & moro fecundare coactus eſſet, ut in Laurentino ſuo, neque Lucullus ſteriles, rigidasque rupes penſilibus hortis adornare tentaſſet. Namque & horti, & viridaria, et prata hic floribus, frugibusque ſine arte, ſine ulla ferme induſtria niteſcunt. Ad hortos, ad prata læti & Bacho grati exſurgunt colles, collibus imminent ſylvæ, ſylvasque hinc atque hinc longe diffuſa montium catena cingit (*m*). Non magis Catullo ad Anionem, non Horatio ad Blanduſiam magis quam hic placuiſſent umbroſæ valles, aut profundi nemorum ſeceſſus, otium muſis amicum præbentes, curasque animo & tædia depellentes. Quidquid tandem vel ad ornamentum natura, vel ad oblectamentum producere poteſt, his in locis produxiſſe videtur.

Quid

(*m*) Tota hæc regio, ad viam, ut vocant, montanam ſita, tam læta, tamque fertilis eſt, ut pluribus jam abhinc ſeculis parva Italia dicta fuerit.

Quid mirum igitur Romanis ad Rhenum, vel ad Nicrum degentibus agrum Lupodunensem arrisisse? quid mirum eos in hac tam felici, tamque salubri regione & villas & balnea erexisse? Mihi quidem hæc amœnissima loca circumspicienti sæpius in mentem venit, quibus olim, quam variis, quamque jucundis Romanorum ædibus fuerint exornata. Jam ad radices montium, jam in proclivi, vel in ipso collium jugo, jam in plano extructa hinc inde ædificia videre mihi videor. Sed quam grave nobis, quamque molestum accidit, quod nihil fere nisi rudera suis destituta ornamentis vobis hodie exhibere, nihil nisi quædam indicare possim vestigia, quorum vel pars maxima omnino deleta, aut sub ruinis jacet sepulta. Non aliter (si ab humili loco ad regias sedes orationem licet traducere) non aliter Neronis, aut Agrippinæ, aut Vespasiani balnea si quis investigare velit, acerbus animum illius subit dolor, ubi ea, quæ suo & splendore & fastu omnia vincere, suaque mole & altitudine omnia antecellere videbantur, jam ipsa ruinis depressa suis, pedibusque subjecta conspicit: tum ignoto tramite, incertoque passu dubia vestigia quærit anxius, nec locum, ubi fuêre, tuto secernere potest.

Balnei rudera Balnea Lupodunensia, vel potius Lupodunensium balneorum ruinæ non certam quamdam formam, non figuram ad amussim descriptam præ se ferunt. Partes enim intermediæ multæ cum desint, qua ratione aliis aliæ cohæserint, & quæ fuerit integri ædificii facies, quive conspectus, non ita facile discerni potest. Ipsa tamen rudera ædificium haud parvæ molis indicant, non quod ad thermarum publicarum vastam immensitatem balnea Lupodunensia ulla ratione accedant; sed quod inter privata balnea, vel ad Vogesum, vel ad Mosellam, & ad Rhenum reperta, hæc nostra primas sibi vindicent. Sive enim cum balneis Buxovillanis, sive cum Bipontinis (*n*), sive cum Trevirensibus,

(*n*) *Alſ. illuſt.* t. I. p. 539.

...m. pag 217.



Decouvert, relevé et dessiné par F. Denis Lieut.: du Genie 1767.

ſibus, aut Mediomatricis nuperrime detectis conferantur, tum numero & varietate partium, tum totius conſtructionis amplitudine ſuperiora ſunt.

Partes enimvero in Lupodunenſi balneo ſecernuntur plures, alia ab aliis tum forma, tum uſu diverſæ. Inter omnes vero aſſurgit pars una nobilior, temporum injuria non illæſa quidem, ſed minus detrita, quæ diſtincto ordine *Caldarium* A, *Tepidarium* B, *Frigidarium* C, & *Apodyterium* D exhibet. Huic ex adverſo reſpondet pars altera priori per duplicem murum juncta; inter utramque patet area E hinc atque hinc ipſis balneorum incluſa lateribus. Si conjecturæ locus, hæc area vel erat palæſtra, vel palæſtræ haud abſimilis, ſive ad geſtationem, ſive ad alia corporis exercitia. Palæſtræ adhærebat locus oblongior F qui in xiſti formam ſeſe extenderet, atque deambulationi, aliisve exercitiis ſimiliter inſerviret. Tertia pars duabus aliis nullo affinitatis vinculo, nullo muri veſtigio juncta illud habet ſpeciale, quod ſubterranei meatus & canales in hac reperiantur, per quos aqua deducebatur.

Balnei partes

N. I.

N. II.

N. III.

Varia quidem apud Romanos erat balneorum diſtributio, ſed ad duo plerumque ſolent reduci. Vel enim ſicco calore provocabant ſudorem ſine ullo aquæ ſubſidio, vel aqua ſive calida, ſive tepida, aut etiam frigida adhibebatur. Prima ratio a *Laconibus* deducta hujusmodi balneo *Laconici* nomen dedit. Scilicet, quando more non Aſiaticorum ad delicias, ſed Spartanorum & Laconum ad roborandas corporis vires expetebatur ſudatio, balneum dicebatur laconicum, atque ab eruditis etiam nunc dicitur. Neque vero hoc balneorum genus plus oſtentationis quam utilitatis habebat, ut affirmat Plutarchus (*n*). Minus certe ad voluptatem, non tamen minus ad ſanitatem, nihil autem omnino, vel parum admodum ad ſplendorem atque oſtentationem laconica

Ee condu-

(*n*) *Plutarchus de ſanitate tuenda.*

conducebant. Quanquam & hoc fateamur ipſi, neceſſe eſt, molliores induere habitus, deliciisque affluere cum cœpiſſent Romani, tum ſeveros Laconum mores aſpernati, laconica non tam ad uſum quam ad oſtentationem in balneis ſuis conſtituebant. Quantum enim virium corpori robuſto nec effeminato adjiciebant laconica, tantum mollibus & enervatis corporibus, teſte Seneca (*o*), detrahebant. Suæ igitur & mollitiei, & valetudini ut Romani conſulerent, medium quoddam inter laconica ſudationis genus ſtatuerunt, quo nempe non ſicco calore, ſed benignis aquæ calidæ vaporibus ſudor eliceretur; atque hujus inſtituti ratio & ſanitati & naturæ magis congrua videtur. Neque enim aliter inter odorifera mirteta Bajana tellus ſalubrem ac calidum effundebat vaporem, qui medelam ægris opemque ferebat.

Laconica N. I. & II. In balneis Lupodunenſibus duo habentur laconica, quorum neutrum aquæ recipiendæ capax, ſed ſicco calori utrumque erat deſtinatum. Imam laconicorum partem tum in noſtris,

N. I. tum in aliis omnibus occupat *hypocauſtum* A, ſeu locus igni deſtinatus, ex quo tanquam ardente fomite calor in omnes balnei partes diffunditur. Multiplici pilarum ordine hypocauſta diſtinguuntur. Formam aliæ rotundam, quadratam aliæ induunt. Inter pilarum ordines ſuccenſus æſtuat ignis, locique anguſtiis compreſſus vim ſuam omnem in partem ſuperiorem exerit. Ipſis nempe hypocauſti pilis insidet caldarium, ut igneus calor vehementius efficaciusque in ſudantium corpora agat. Caldario adjacet tepidarium B, quod non adeo vehementem, ſed benigniorem ac jam temperatum recipiebat calorem. Quo magis enim ab æſtuante hypocauſti foco receditur, eo magis langueſcunt ignium vires, eoque percipiuntur minus; unde fit, ut in altera tepidarii cella calor ſit longe mitiſſimus, leniſſimusque aer, blande qui afficiat ſudore defatigata membra, atque e laconicis priusquam exeant, corpora ad frigidarium diſponat.

Sicut

(*o*) Epiſt. 51.

Sicut enim caldario tepidarium, ita tepidario adjacebat frigidarium G, ubi ſcilicet e ſudatoriis egreſſi gratiſſimo ſrigore reficiebantur. Frigidario adjungebatur *elaeotheſium*, ſeu locus oleis odoriferis & unguentis inſtructus. In noſtris tamen elæotheſium non habetur a frigidario diſtinctum, ſed aromata & unguenta, quibus balneum ingreſſuri utebantur, in ipſo frigidario fuiſſe repoſita cenſemus, atque hoc a nobis non gratis aſſeri ipſi loculi G, quibus vaſa unguentaria recipiebantur & tabula, in qua reponebantur, oſtendunt.

Non ſolum autem frigidarium & elæotheſium, ſed etiam *Apodyterium* D, ſeu veſtium depoſitorium cenſent plerique uno eodemque loco fuiſſe conſtituta, ut non tam re quam nomine differrent. At in Lupodunenſi balneo apodyterium a frigidario & elæotheſio erat diſtinctum. Quando enim a tepidario ad frigidarium pergis, dextro a latere cella eſt aliis paulo minor, quæ veſtibus ibi deponendis valde opportuna, nec ad aliud uſum extructa fuiſſe videtur.

Hæ ſunt laconicorum partes, quas diligentius obſervandas duximus, quod non una omnibus, ſed diverſis diverſa fuerit hucusque de laconicis ſententia. Alii enim laconicum idem eſſe ac caldarium, alii idem ac tepidarium, alii neutrum, ſed aliud quidpiam a tepidario & caldario diſtinctum exiſtimabant. At in eo erraſſe omnes videntur, quod vel hanc, vel illam ſingularem partem laconicis vellent attribuere, nec omnes has partes, ut reliquis balneis, ita & laconicis convenire perſpicerent. Sunt igitur laconicis ſua & caldaria, & tepidaria, imo & frigidaria: in his enim ungendo & perfricando corpus ad ſudationem disponebant; in tepidario benignior ſudatio, in caldario vehementior, ſeu aſſa, ut aiuut, & torrida ſudatio habebatur.

Hic non omittendum ſingulas laconici partes inter ſeſe ita fuiſſe ordinatas ac diſpoſitas, ut ipſa cœli plaga, ſoliſque aſpectus, vel receſſus illis faveret. Caldarium enim meridiem reſpiciebat plagamque ardentem, frigidarium vero aquilonem polum-

 que

que glacialem spectabat, ut neque calores æstivi frigidario, neque boreales flatus obstarent caldario. Immo quasi non fuisset satis frigidarium borealibus ventis opponere, altius in terra defossum latebat, ut magis verni & æstivi solis radios fugeret. Summa quippe cura studioque veteres in ædibus balneorum construendis loci situm, aërisque temperiem consulebant (*p*), atque eam sæpius ipso ex situ mira arte trahebant utilitatem, ut hiemale frigus non arcerent tantum, sed gratissimo etiam tepore recrearent, ac naturam ipsam heliocaminis suis fallerent (*q*).

Laconica alia

De structura, usuque Laconicorum, postquam egimus, singulasque eorum partes, rudi quamvis penicillo depinximus, jam ipsa laconica alia cum aliis conferamus, & quid commune, quidve diversum inter se habeant, perspiciamus. In Bipontinis & Vogesianis (*r*) inventi sunt multi, variique meatus ac longæ tuborum series, quæ per alveos muro insertos calorem de pariete in parietem, de cella in cellam propagabant. In Lupodunensibus nulla sunt alveorum, nulla tuborum vestigia; sed novus ibidem ostenditur caloris propagandi modus. Primo enim hypocausto A
N. II. adhæret altera hypocausti species B, eadem forma, eodem pilarum ordine instructa, sed nullo propigneo, nulloque munita foco, ut nec subjici ignis, nec flammæ admitti potuerint. Calori tenuis admodum aditus J ab uno ad alterum patebat, quo purior, mitiorque difflueret. Transmissus vero calor pro libitu & arbitrio sudantium ut temperari posset, utroque ex latere perangusta erant

(*p*) *Vitruvius* l. VI. c. 7.

(*q*) Heliocaminus Latinis solarium, fornax solaris, vaporarium solare. Tanta vero arte construebantur heliocamini veterum, ut nullo adhibito igne immissis solis radiis solaribus etiam per hiemem calefierent. Ita *Plinius* l. V. ep. 6. de villa sua in Thuscis: *cubiculum hieme tepidissimum, quia plurimo sole perfunditur.*

(*r*) *Als. illust.* t. I. pag. 539 & 540.

erant ſpiracula HH, quibus clauſis, vel apertis fervidus aër aut dimitti, aut retineri poterat. Sicut igitur primum hypocauſtum caldario fomites ardentibus flammis igneos ſubjiciebat, focumque nutriebat ferventiſſimum, ita in tepidario hypocauſtum ſecundarium calorem fovebat quidem, at languidum, at mitem et temperatum, ut rectius de hoc dicere nobis liceat, quod de illo dictum fuit (s):

Ubi languidus ignis inerrat
Ædibus & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.

Quid vero de laconico Trevirenſi? quid de Metenſibus (t) dicemus? Conveniunt cum Bipontinis & Vogeſianis; cum Lupodunenſibus non conveniunt. Per alveos enim & per tubos ſuum illa recipiebant calorem. Ipſis nempe muris inſerti erant tubi fictiles; per hos tubos longo ſibi invicem ordine ſuppoſitos errabat igneus vapor, ac per omnem parietem facili via vagabatur. Sola Lupodunenſia, ſecundario cum gaudeant hypocauſto, vagas alveorum & tuborum vias excludunt. In his unica patebat via J, atque hæc directo tramite a primo hypocauſto in alterum igneos vapores ferebat, neque calor, ut in aliis, alveorum ope in partes ſuperiores propagabatur, ſed inferiori pavimento ſubjectus in hujus ſeſe viſcera, ut ita dicam, ſenſim inſinuabat, ut levi nec ingrato motu ſuperſtantium titillaret pedes, & jacentium membra benigno tepore foveret. Non aliter ex ignoto quodam fonte profluens amnis modo per ſubterraneos ſerpit meatus, modo per apertas directo flumine labitur vias, modo inter ſaxa coarctatur invitus, aut anguſti lacus limitibus circumſcribitur: ubique læta recreat arva, atque benigno rore perfundit. N. II.

Quamvis non unum inter laconica diſcrimen intercedat, in eo tamen & Lupodunenſia, & Bipontina, & Vogeſiana & Medio-

 matrica

(s) *Papin. Statius ſylvarum* lib. I. carm. V. verſ. 58.

(t) *Hiſt. de Metz* t. I. pag. 155.

matrica conveniunt, quod ſingula habeant hypocauſtum, & ſingulorum hypocauſta a veterum teſtudinis formâ penitus recedant. Quid vero? inquies: hypocauſta teſtudinibus, ſeu fornicibus muniri ex Vitruvio non novimus (*u*)? quid? Romæ, Piſis, aliisque in Italiæ locis reperta hypocauſta formam ſphæricam non imitantur? an ullum etiam a Grævio, ullum a Montefalconio refertur, quod non in rotundam clypei, teſtudinisve formam deſinat? unde hoc naſcitur diſcrimen? quæ ejus cauſa, quæve origo? Originem & cauſam hujus diſcriminis ex Plinio & Seneca eruimus. Sphærica enim teſtudinis concavitas igneas partes magis colligebat, colligendoque in unum cogebat focum, coactis vero & in unum collectis vim tantam ingenerabat, ut ægros obrueret potius quam ſublevaret, ſudantiumque corpora ſive morbo, ſive ætate, ſive vitæ etiam mollitie debilitata exhauriret penitus atque exanimaret (*x*). Hæc ut averterent incommoda, Romani in balneis ſaltem privatis (neque enim in publicis ob immenſam eorum amplitudinem ita facile fieri poterat) rejecta forma ſphærica planam & directam inſtituerunt, ut diviſæ ignium vires minus acriter in ſudantium corpora agerent, nec fervido æſtu, ſed ſalubri tepore ſudorem benignum ac mitem elicerent.

Hanc hypocauſti formam Romani tanquam uſu præſtantiorem, & ſaluti magis amicam in Gallias ſecum adduxerunt, inque Rheni & Moſæ oris primi inſtituerunt.

Atque hoc quidem ad utilitatem inſtitutum, illud vero ad voluptatem & ad magnificentiam a Romanis inventum, ut balneas etiam penſiles ſummo faſtu, ſumptuque conſtruerent: Inter exquiſitiora ævi Romani blandimenta hoc balneorum genus a Seneca, Plinio & Macrobio recenſetur, nec quidquam ad delicias ſua-

(*u*) *Vitr.* l. V. cap. x.

(*x*) *Senec. epiſt.* 51. *Quid mihi cum ſudatoriis in quae ſiccus vapor corpora exhauſturus includitur?*

ſuavius, aut ad voluptatem mollius fuiſſe unquam excogitatum referunt; ipſis adeo Aſiaticis ignotum voluptatis lenocinium (*y*). Sed penſilium balneárum celebre duntaxat nomen ad nos pervenit, neque ulla, non dicam Gallis aut Germanis, ſed Romanis etiam & Italis veſtigia de hoc balneorum genere relicta ſunt. Balnea noſtra Lupodunenſia hoc cum aliis habent commune, quod nullam penſilibus lucem affundant; illud vero habent ſpeciale, quod laconica, ut jam vidimus, miro modo illuſtrent.

Monumenti pars altera N. III.

Nunc alteram monumenti Lupodunenſis partem aggrediemur. Laconicum vero, an balneum dicendum ſit, incertus hæreo. Sunt enim rationes, quæ balneum ſuadeant, nec deſunt, quæ laconicum eſſe evincant. Noſtrum eſt rationum momenta exponere, veſtrum erit dijudicare.

Locus K præeminet anguſtior quidem, ſed ſervandis aquis peropportunus, quæ ad ipſum ex vicinis montibus limpidæ defluebant. Quanam vero via, quove ex fonte defluxerint, ſi velis indagare, vix quædam, eaque minime certa apparebunt veſtigia, quibus veterem tramitem aſſequi liceat. Nullum niſi obſcurum habetur indicium, quod dubios inveſtigantis paſſus dirigat. Obvii quidem ſunt canales duo, M N. R S. ſuperior alter, alter inferior, ſed neuter immittendis, uterque ſubducendis e balneo aquis inſerviebat, donec videlicet in alveum, qui rivulum O O hodiedum continet, infunderentur. Superiorem canalem reſpicit murus oblongus T T, qui canali olim fuiſſe contiguus videtur. Huic muro tenuis aquæductus inſidebat, quo aqua propinquo colle delapſa prono curſu ferebatur. Deletus enimvero aquæductus, diruta pars maxima muri, ſed inciſus tamen

(*y*) *Plin.* lib. XXVI. cap. III. *Macrob.* lib. II *Saturnal.* cap. XI. *Val. Max* lib. IX. *Ann. Seneca* has penſiles balneas inventas eſſe ait, *ut ne quid deeſſet ad lautitiam.*

tamen extremo muro habetur alveus V, quo facile evincitur aquam hac via esse deductam.

Argumento huic novum robur accrescit ex eo, quod vicinus alveo respondeat canalis Z, quo aquæ ad locum illis servandis aptatum, seu ad piscinam, ut aiunt, deducebantur: eoque minus de hac re dubitare licet, quod nulla alia via patescat, quæ deducere ad piscinam aquas aliquando potuerit. Quid igitur verisimilius, ne dicam, quid evidentius per hanc viam aquas defluxisse?

Ipsam balnei structuram, variasque ejus partes jam perlustrare si cupias, inter omnes prima se tibi offert hæc ipsa piscina, seu aquæ receptaculum K, quod sinu suo aquas, ubi recepisset, ad balneorum usus servabat. Quatuor huic receptaculo latera undequaque æqualia; quatuor lateribus totidem respondebant canales, Y Y, seu potius tenues tubuli ferendis & distribuendis aquis destinati: una ex parte aqua ferebatur in balneum sinistro latere positum, cujus nulla quidem subsistunt vestigia, ast olim extitisse tum ipse canalis, tum muri adjacentis certa satis indicia L L offerunt. Altera ex parte aquæ ad ea dimanabant balnea, quæ dextro latere congruo sese ordine subsequuntur; caldarium
N. III. scilicet, tepidarium, & frigidarium. Sed cum de his fusius in primo laconico jam actum sit, ad alia properamus. Caldario A, uti vidimus, subest hypocaustum. Hic observes velim, quod nullibi hactenus observatum; en! ipsum hypocaustum canalis R R ingreditur. Quid? in hypocaustum aquæ defluunt? quin immo; in ipsum hypocaustum. Movet te res tam singularis, nec immerito; cum ad ignem, non ad aquam recipiendam hypocaustum sua natura videatur destinari. Sed in hoc ipso hæret difficultas non levis, atque ardua de laconicis controversia oritur. Certum omnibus, exploratumque habetur aquæ usum (si quis aquæ usus in laconicis unquam fuerit) in his non fuisse eundem ac in balneis, quæ proprie sic nuncupantur. Laconica enim, ad primam eorum originem si redeas, balnea sicca fuerunt, neque

ad

ad lotionem, ſed ad ſudationem inſtituta; unde in iis ſudantium membra nulla aqua perfundi, multo minus immergi, ſed ſudore madeſcere ſolebant. Hoc fatentur omnes, neque ulla de his controverſia: ſed qua ratione ſudor in laconicis fuerit provocatus, non æque conſtat. Igneo calore, eoque ſolo provocatum fuiſſe referunt plerique, neque alio modo provocari potuiſſe quisquam ſuſpicabatur. Primus omnium dubium injicere, atque hac de re novam movere quæſtionem cœpit Cl. Schœpflinus: ſolo igne, an non etiam aqua fervente calor eliceretur in laconicis? Primus aſſeruit e laconicis alia ſubjecto igne, alia immiſſis aquæ calidæ vaporibus ſuum habuiſſe calorem (z). Atque quod ille tum aſſerebat, id in monumento Lupodunenſi oculis inſpicimus. Quid enim ille canalis? quid aquæ in hypocauſtum defluentes ſibi volunt? Nonne clare oſtendunt tenues aquæ vapores ex inferiore cella in ſuperiorem, id eſt ex hypocauſto in caldarium eſſe immiſſos, ut benignum ac ſalubrem ſudorem elicerent. Nempe ut in balneis aquæ in labra ſeu in baptiſteria, ut vocant, aperta via dimanabant, ita in laconicis ſub hypocauſto latebant occultæ, ut non niſi ſubtiliores, purioresque vapores ad ſudatorium permearent.

At enim, inquies, hæc ipſa, quam deſcribis, monumenti pars, non tam laconicum, quam balneum dicenda eſt. Quidni enim canalis, quidni aquæ in caldarium, non in hypocauſtum defluunt, aut defluere certe videntur? Quid ita? Num hypocauſtum pro caldario accepimus, aut accepiſſe nos ſuſpicaris? Sed omnem nobis metum, omnem tibi erroris ſuſpicionem removet hypocauſti focus X, ſeu, ut aiunt, præfurnium cohærentis hypocauſti argumentum longe certiſſimum. Cum enim hoc ſine illo eſſe nequaquam poſſit, ubi unum eſt, & alterum ſit, neceſſe eſt. Foci teſtes ſunt cineres ad ipſa hypocauſti oſtia reperti, ut nul- N. III.

Ff lum

(z) *Alſ. ill.* T. I. pag. 540. §. CLXXXI. & XXXII.

lum plane dubium hac ex parte relinquatur. Quid plura? ad laconica & hanc monumenti partem pertinere in aperto est.

Tria balneorum genera.

In uno igitur, eodemque monumento tria balneorum genera deprehendimus. Primo enim geminum adest laconicum, quorum neutrum, uti vidimus, aquæ recipiendæ capax, sed utrumque ficco calori erat excitando idoneum. Alterum dein sequitur a duobus prioribus & loco & usu distinctum, sed laconicum tamen, quod non ignea vi, at benignis aquæ calidæ vel tepidæ vaporibus sudorem eliciebat. Demum balnea proprie dicta, non ad sudandum, sed ad lavandum, vel potius ad utrumque instituta hic fuisse censemus, atque hæc non certo quidem argumento, sed probabili conjectura in ea statuimus parte A A,

N. III.

B B, quæ sinistro e latere secundum laconicum respicit. Neque temere nos ita statuere arguet, quicunque & convenientiam, & utilitatem, imo & necessitatem secum perpenderit. Quid enim convenientius? quidve utilius? quam ubi tot erant, & tam varia sudatoria, ibi & quædam fuisse lavacra seu balnea, quibus sudationem ingressi, vel egressuri uterentur. Necessarium hoc quoddam videri debet complementum, sine quo reliqua nec ad salutem, nec ad delicias sufficerent.

Dolendum sane, quod hæc monumenta tristi temporum fato tam misere vastata, ne dicam, obruta penitus, ac magna ex parte deleta sint. Quam exoptatum nobis, quamque gratum foret, ad nos integra si pervenissent, amplam eorum & elegantem structuram, varias partium distributiones, connexionem mutuam ac singulorum cohærentiam, & quidquid in iis ad usum commode, ad nitorem venuste, ad amœnitatem jucunde institutum fuerat, vel inventum, concinno vobis ordine non jam describere, aut rudi penicillo effingere, sed intuentibus objicere, atque oculis exploranda committere. Sed enim ævi inimica vis, ac vicissitudinum procellæ communi turbine ea prostraverunt; pauca, quæ relicta sunt, gravi vulnere afflicta, vix pristinam suam formam

præ

præ ſe ferunt & remoto jam loco jacent neglecta, quæ quidem parva licet ac levia multis videantur, non parvi habenda nobis; non levi cura pertractanda; immo minima etiam ſummo ſtudio perſcrutanda, atque evolvenda duximus, conſilio ſi non laudando, certe non vituperando. Neque rigidi cenſores hoc magis crimini nobis quam illis vertere debent, qui fractas tempeſtate tabulas, marisque furore disjectas opes ubi perſpiciunt, fluctibus eripere, quidquid poſſunt, enixe conantur, aut ventorum impetu, effuſaque grandine ſi ſpes læta ſegetum jaceat depreſſa, ſparſas hinc inde ſpicas ſolicite colligunt, collectasque tectis inferunt.

Depreſſa hæc & ruderibus ſepulta Romanorum monumenta e tenebris erui, atque in lucem & conſpectum eruditorum produci curavit litterarum & artium ad Rheni & Nicri oras inſtaurator munificentiſſimus. Pro ſua enim munificentia Lupodunenſe monumentum novis fulciri ædibus, atque eleganti inſcriptione (*a*) muniri juſſit, qui vetera dum novis monumentis poſterorum ævo conſecrare ſtudet, ſuum ipſe nomen, gloriamque poſteris & immortalitati conſecrat.

(*a*) En verba portæ novi, quo præcipuæ balneorum reliquiæ teguntur, ædificii inſcripta:

BALNEORVM ROMANOR. FVNDAMENTA
SVMMIS AVSPICIIS
CAROLI THEODORI PRINCIPIS ELECT.
ERVTA
PARTIMQ. TECTO MVROQ. HOC MVNITA
PARTIM VTI FVERANT DEFOSSA
AN. MDCCLXVI.

PAGI SPIRENSIS

qualis antiquis temporibus fuit, descriptio.

Auctor
ANDREAS LAMEJUS.

§. I.

Pagi nomen & caput

PAGUS Spirensis, pars Franciæ Rhenensis, *Spirgowe*, *Spiragove*, *Spirahgewe*, *Spirahgouue*, *Spiraggowe*, *Spirigouue*, *Spirichgauwe*, *Spirichgowe*, *Spirchkeuui*, *Spirkeuwi* vernacule, in tabulis antiquis, *Sperohgouwi* in annalibus Bertin. ad an. 839 dictus, a Spira, loco primario, uti a Loboduna Lobodunensis, a Wormatia Wormatiensis, nomen accepit. Urbis autem appellatio, quidquid regerant alii (*b*), non aliunde quam a suo ad amnem hujus nominis situ exorta est. *Hohspiram* & *Spiram torrentes*, qui *confluunt*, literæ fundationis monasterii S. Lamperti in Spirigovia an. 977 produnt. *Flumen Spira dictum et juxta Spira sursum usque in Vogesum* Henrici IV diploma Spirense an. 1063 habet. Remanserat tamen illo ipso ævo vetus Nemetum, quo tum urbs, tum pagus omnis a Romanis designabatur, vocabulum. Ecclesiæ in *civitate Nemetense seu Spirense* libertatem & jura Carolus M. confirmavit. Domum S. Mariæ virg. quæ consistit in *civitate Nemeta et Spira* Ludovicus Germ. an. 858 laudavit. In urbe, quæ vocatur *Spira vel Nemeta*, Conradus dux an. 946 ad altare S. Mariæ ibidem dedit, quidquid hereditatis & prædii a parentibus suis acceperat. In *Nemetensi civitate* datum est Ottonis I Germaniæ regis diploma an. 950 (*c*). Fuit præter urbem villa Spira, forte suburbium, cujus mentio fit in ejusdem Ottonis I imp. diplomate an.

(*b*) Vid. *Lehmanni chron. Spir.* lib. I. cap. VI.

(*c*) *Martene et Durand ampliss. collect.* tom. 1. col. 292, & *Hontheim hist. Trevir.* tom. 1. p. 284.

Vol. III. ad pag. 228.

an. 969, quo soli advocato ecclesiæ jurisdictionem omnem „ in „ civitate Spira vel Nemeta vocata aut foris murum ejusdem ci- „ vitatis, id est, in villa Spira, quæ eidem urbi adjacens est„ comite & judice publico quocunque alio excluso, tribuit. *Cum ex Spirensi villa urbem facerem*, inquit Rudegerus episcopus, cognomine Huozmannus, in charta an. 1084, „ putavi milies ampli- „ ficare honorem loci nostri, si & Judæos colligerem. Collectos „ igitur locavi extra communionem & habitationem ceterorum „ civium. Et ne a pejoris turbæ insolencia facile turbarentur, „ muro eos circumdedi &c. „

Laudanda hic ante omnia est, imo exemplo publice proponenda celsissimorum principum & episcoporum Spirensium, quorum alter anno sup. defunctus est, alter nunc prudentissime regnat, ut & reverendissimi ecclesiæ hujus cathedralis capituli liberalitas, qua juvandis studiis nostris academicis insignem tabularum veterum farraginem ex scriniis suis ditissimis humanissime suppeditarunt. Laudabit profecto hoc nobiscum Germania literata omnis, quæ abditos adhuc & obseratos tot præstantissimos diplomatum & instrumentorum omnis generis thesauros gravissime dolet. Fontes

Tabulis hisce Spirensibus, quarum nonnullas in calce dissertationis producimns, post codicem Laureshamensem, locupletissimum illud rerum geographicarum mediæ ætatis promptuarium, debemus profecto, quod ingenue fatemur, plurimum. Freherus & ipse Lehmannus, Spirensium scriptor, cum illis caruerint, mirum non est, jejunam plane esse, quam dederunt (*d*), quamque Germaniæ mediæ geographi secuti sunt omnes, pagi nostri Spirensis descriptionem. In Fuldensibus duæ tantum traditiones (*e*) pagum Spirensem tangunt, eæque falsa *de pago Alsacinse* rubrica notatæ; quo ipso factum, ut Spirigoviæ loca

 haud

(*d*) *Freherus* in *orig. Palat.* part. II pag. 78. *Lehmannus* in *chron. Spir.* lib. IV. cap. IX.

(*e*) *Schannati tradit. Fuld.* num. 32 & 167.

haud pauca in *Alſatiam illuſtratam* illata ſint, errore tanto magis condonando, quod eadem locorum nomina in Alſatia quoque exiſtunt.

Append. diplom. num. I.

Ceterum primam & antiquiſſimam pagi noſtri mentionem habemus in Sigeberti regis charta, qua omnium fiſci ſui in pago hoc fructuum decimas eccleſiæ Nemetenſi donavit. Exemplum hujus chartæ Merovingicæ ex antiquiſſimo privilegiorum, uti vocant, eccleſiæ Spirenſis libro in appendice diplomatica producimus. Sequuntur jam loca ſingula, ordine ſitus deſcripta, quæ pago Spirenſi annumerata fuiſſe certiſſime novimus.

§. II.

Loca infra Langwatam

Inter auſtralem pagi Wormat. limitem (*f*) una, & deſcendentem infra Neoſtadium ex Spira flumine alveum, *Langwata* olim (*g*), nunc *Rebach* dictum (*h*) altera parte, a Rheno ad Vogeſum, Spirigoviæ vindicant tabulæ antiquæ loca ſupra viginti.

GEGINHEIM. Ludovici I imp. præceptum Prumienſe poſt *Mekkinheim*, *Fridolvesheim* & *Vuakkenheim* in pago Spirenſi collocat pratum inter *Altripio* & *Geginheim* (*i*). Intelligitur vicus *Rheingönheim*, uti a ſeculo XIII ſcribitur, quippe qui Altripio proximus eſt. Gönheim, de quo mox infra, & Fuſſgönheim ſex vel ſeptem lapidibus ſunt remotiores. Charta Spirenſis an. 1220 in

(*f*) Quem vid. in *act. acad.* vol. 1, pag. 287.

(*g*) Nomen hoc innoteſcit nobis ex literis fundationis monaſterii S. Lamberti an. 977 & ex diplomate Henrici IV an. 1063. Fuit olim ad fluvium hunc villa *Langquit* prope Igelhemium, cum quo recenſetur in eccleſiæ Spir. decanatu rurali Buhel ſec. XV. Videtur ea hoc nomen accepiſſe ab aqua præterfluente. Eſt adhuc vicus *Langenwits* in dynaſtia Landſtul, quam tabulæ geograph. diœceſis Wormat. *Languaden* appellant. Schannatus vitioſe dedit *Langnaden* inter filias eccleſiæ matris in *Oberlaubach*, quæ capitulo rurali Landſtul. adſcripta.

(*h*) Nomen *Rechbach* in Adolfi regis diplomate an. 1297 jam legitur ap. *Lehmann chron. Spir.* lib. V. cap. 124.

(*i*) *Martene collect. ampliſſ.* tom. I, col. 85.

in contextu habet *Geunheim*, in dorſo vero *Ryngeinheim*. Contra alia an. 1299 in textu *Ringenhem*, in dorſo *Geynnem*.

MUDACH, *Muthach*, *Mutaha*, *Madacheim*, hodie *Maudach*. Hanc pagi Spirenſis villam & marcam plures traditionum Lauresham. ævi Carolingici chartæ celebrant (*k*). Unica Mutaham cum Rodenbach ad Wormatienſem pagum, cui finitima eſt, refert.

MUDERSTATH, *Muterſtat*, *Mutherſtath*, *Mutherſtatt* in Laurishamenſibus noſtris promiſcue ſcribitur, villa pagi Spirenſis certiſſima (*l*). An. XXII Karoli Meginher pro remedio animæ germani ſui Mutheri quinque jurnales de terra in pago Spir. in *Mutherſtatter* marca donavit. A Muthero quodam loci exortum eſt nomen.

DANTISTAT, hodie *Danſtat*. Erkenbertus anno primo Karoli regis in pago Spir. in Dantiſtat manſum cum caſa & omni ædificio donavit (*m*). Alibi Waltherus in pago Spir. in villa *Tataſtat* eccleſiam aliaque bona a monaſterio Weiſſenburg in beneficium tenuiſſe legitur (*n*).

SCURHEIM, hodie *Schaurnheim*, undecim chartæ traditionum Lauresh. in pago Spirenſi diſerte collocant (*o*).

ASSENHEIM villam in *Spirigowe* vel in pago Spirenſi tres traditionum Laureſham. chartæ ponunt ſub Carolo M. rege & Ludovico I imp. (*p*) Trahendum huc ſine dubio *Anſilheim*, alia in charta

(*k*) *Cod. Lauresh. diplom.* vol. II, pag. 366 ſqq. 389 & 423.

(*l*) Ibidem num. 2027 ſqq. & 2257.

(*m*) Ibid. num. 2156.

(*n*) *Breviar. rer. fiſc. Caroli M.* apud *Eccard. rer. Franc. orient.* t. II, p. 907.

(*o*) *Cod. diplom. Lauresh.* vol. II, num. 2128 ſqq.

(*p*) Ibid. num. 1361, 2055 ſq.

charta ante Assenheim commemoratum. Sed Assenhemii nomen adhuc in usu.

RICHINISHEIM, hodie *Rucheim*, tres codicis diplomatici Laureshamensis chartæ pago Spirensi sub Carolo M. adscribunt (*q*).

ALASHEIM, hod. *Altzheim* prope Gronau. Betta quædam sex jurnales in pago Spirensi in Alasheim anno X Karoli Magni, & quinquennio post Gomolf cum Udilhero mansum cum quatuor jurnalibus in *Alahesheim* ecclesiæ Lauresham. dono contulerunt. (*r*). In necrologio Spir. sec. XIII enunciatur *Alhesheim*. Alo & Alaho obvium in antiquis traditionum chartis nomen.

FAUSGINA, hod. *Fusgönheim*, in abbatiæ Prumiensis registro bonorum Cæsarius Heisterbacensis cum Geinheim & Hildensheim commemorat (*s*).

ALARIDESTATH, hodie *Ellerstatt*. An. XVI Karoli regis Rubertus & Geilsuuind conjuges in pago Spir. in Alaridestath mansos, campos, vineas, silvas (*t*); Otgardis inter *Alaritestath* & *Richinesheim* dimidiam partem ecclesiæ & octo mancipia tradiderunt (*u*). Freherus (*x*) de *Altstatt* prope Wissenburgum interpretatus est.

GININHEIM, hodie *Gönheim*. Folradus & Arnolfus in pago Spir. in *Fridolfesheim*, *Didinesheim*, *Gininheim*, & in *Wipgarda*, quidquid Irminolfus habuerat, dederunt an. III Karoli regis (*y*). Sed & eodem anno Fuldenses rem Irminolfi in pago Spirensi, in villa

(*q*) Ibid. num 2034, 2082 sq.

(*r*) *Cod. Lauresh.* vol. II. num. 2030 sq.

(*s*) *Hontheim hist. diplom. Trevir.* tom. I, pag. 695.

(*t*) Ibid. num. 2032.

(*u*) Ibid. num. 2034.

(*x*) *Orig. Palat.* part. II. pag. 78.

(*y*) *Cod. Lauresh.* vol. II. num. 2076.

villa *Fridolfeshaim*, *Dideneshaim*, & *Ginnanheim* ex Folcradi & Agilolfi manibus acceperunt (*z*).

FRIDOLFESHEIM, hodie *Fridelsheim*. Wacko manſos duos in pago Spir. in *Fridolfesheim*, alii alia S. Nazario dederunt Carolo M. rege (*a*). Videtur hic vicus ad pagum Wormat. referri in alia traditionis charta ejusdem temporis (*b*); ſed excuſandus error, quoniam locus iſti, quem diximus, pago confinis eſt. Ad Spirenſem quoque refert traditio Fuldenſis an. 771 (*c*).

THURINGEHEIM, hodie *Durckheim*, poſt *Ratheresheim* legitur in literis Conradi ducis, Wernharii comitis filii, an. 946, quo Reginbaldus epiſcopus Spirenſis in loco Thuringeheim vocato omnia, quæ vaſallus ſuus Nodinc & Widegowo quondam in beneficium habuerant, ei conceſſit. Conradus II imp. & Giſela uxor monaſterio Limburg, a ſe nuper extructo, prædia juris ſui *Dorenckheim*, Wachinheim, Sciferſtad & Creudentheim an. 1035 adſcripſerunt. Actum Lymperg (*d*). Rivus ad oppidum hoc præterfluens Spirenſem diœceſin a Wormat. diſcernit.

LIMPURG. Hermannus Contractus ad an. 1034 de Conrado II imp. ex caſtro ſuo Limpurgo *inter Nemetes et Vangiones* ſito monaſterium feciſſe refert. Abbatiam *Lintburch* in pago *Spirgowe*, in comitatu Heinrici comitis, cum villis Plintheim & Walaſtede, ſitu nobis incognitis, Henricus IV imp. eccleſiæ Spirenſi an. 1065 donavit Goslariæ.

WACKENHEIM, hodie *Wachenheim*. An. XIV Pipini regis Hautbaldus & Aba conjuges, in pago Spir. in *Wackenheimer*

Gg marca

(*z*) *Schannat tradit. Fuld.* n. 32.

(*a*) *Cod. diplom. Lauresh.* vol. I. num. 505, & vol. II. num. 2074 ſqq.

(*b*) Ibid. num. 956.

(*c*) *Schannat* l. c.

(*d*) Charta fundationis monaſterii Limburg. inter probationes *libelli reviſionis* in cauſa Leining. contra capit. Spirenſe n. I.

marca vineam unam Laurishamensibus tradiderunt (*e*). Ludovici Pii praeceptum Prumiense an. 831 *Vuakkenheim* habet (*f*)
Append. diplom. num. III. Ludovicus Germ. anno regni sui XXXVI laudavit concambium bonorum inter Gebhardum episc. Spir. & Christianum comitem factum, quo vineam in pago Spirensi in villa *Vuachenheim* comes accepit. Pagi quoque Spir. mentionem adjecit Rudolfus II elector Palat. an. 1340, ut a Wachenhemio pagi Wormat. distingueret, his verbis: *Castrum et villa Wachenheim sita prope Duringheim in Spirckovia* (*g*). Anno sequenti villa haec in oppidum conversa est, laudante Ludovico Bavaro imperatore. Wackonem, unde loco nomen, in Fridolfeshemio paulo ante adduximus.

CUNIGESBACH, hod. *Koenigsbach*, in necrologio Spirensi sec. XIII.

RATHERISHEIM, hodie *Röttersheim*. Villam Ratherisheim in *Spirichgauwe*, continentem mansos XXIV, quatuor ecclesiae Spir. homines, traditis ei rebus suis, vicissim ad dies vitae suae in beneficium acceperunt an. 858. *Ratheresheim* cum servis, ecclesia & decimatione Conradus dux an. 946 usque ad vitae suae finem beneficii quoque Spirensis titulo, pro juribus suis in civitate Spira alibique ecclesiae huic dono traditis, recepit.

DIDINESHEIM, hodie *Deidesheim*, supra in *Gininheim* vidimus (*h*). *Titinesheim* Ludovici Inf. diploma Wormat. an. 906 habet. In Henrici IV regis donatione, ecclesiae Spirensi facta an. 1057, *Ditinesheim* in pago *Spirigouue*, in comitatu Hugonis comitis, ponitur.

HOCHTORPH. An. VIII Karoli regis Ada vineam, Udalrich & Bilihild hubam in pago Spir. in *Hochtorpher* marca S. Nazario obtulerunt (*i*).

BUHI-

(*e*) *Cod. diplom. Lauresh.* vol. II. num. 2171.
(*f*) *Martene collect. amplis.* tom. I, col. 85.
(*g*) *Hontheim hist. Trevir.* tom. II. p. 142 sq.
(*h*) Adde *cod. Laur.* vol. II, num. 2104.
(*i*) Ibid. num. 2084 sqq.

BUHILO, hodie *Böhl.* Teuthard & uxor ejus Rathſuind unam vineam in pago Spir. in *Hochtorpher* marca & in *Buhilo* unam vineam an. XII Karoli regis contradiderunt (*k*). In literis Friderici comitis Lining. an. 1249 locus hic vocatur *Buhelin.*

UGULENHEIM, hodie *Igelheim.* Adelheidis, Ceizolfi comitis filia, novæ abbatiæ Sunnesheim, a patruo ſuo, Johanne epiſcopo Spirenſi, conſtructæ, an. 1100 donavit Ugulenheim in pago *Spirgowe*, in comitatu Spirenſis epiſcopi. Append. diplom. num. XII.

MACCHENHEIM, hodie *Möckenheim.* Gomofrid unam hubeſtat in pago Spir. in Macchenheim, Liubſuint vineam in eadem *Mackenheimer* marca, alii alia dederunt ſub Carolo M. rege (*l*). In Ludovici Pii præcepto Prum. an. 831 *Mekkimheim* in pag. Spir. commemoratur (*m*).

HASELACH. Ludovicus Infans, rex Germ. res juris ſui in pago *Spirigowe*, in comitatu Walahonis, in villa Haſelach, abbatiæ Weiſſenburgenſi donavit an. 911. Actum Argentina civitate.

MOSBAH cum plurimis Spirigoviæ locis in traditione Fuld. circa an. 800 occurrit (*n*). Nomen a rivulo *Mosbach*, qui perluit. *Musbach* nunc dicunt. Vicus inſignis prope Neoſtadium.

GUMMELTINGEN, hod. *Gimmeldingen*, in necrologio Spirenſi.

GRAVENHUSEN. Hic ſuper litus fluvii Spiræ, in nemore Waſigon, in pago *Spirigowe*, Otto dux monaſterium S. Lamperti an. 977 inſtituit (*o*).

Gg 2 §. III.

(*k*) Loco cit.

(*l*) Ibid. num. 2064 ſqq.

(*m*) Vid. ſupra p. 230.

(*n*) *Schannat. tradit. Fuld.* num. 176. De rubrica hujus traditionis mendace vid. §. I. pag. 229.

(*o*) Charta edita in ſcripto Spirenſi de juribus in Grevenhauſen & S. Lamprecht num. I.

§. III.

Inter Langwatam & Spiram fl.

Langwata & Spira fluvii insulam cum Rheno efficiunt, ex qua vetera documenta produnt:

ALTREPIO, hodie *Altrip.* Pipinus rex abbatiæ Prumiensi cellam juris sui in Altrepio, super fluvium Rheni in pago Spirense constructam in honorem S. Medardi, cum villis & appenditiis suis donavit an. 763 (*p*). *Altripio* superius in *Geginheim*, *Altrepia* a Ludovico Pio (*q*) dicebatur.

MEDENHEIM, *Medemenheim*, *Mettemenheim*, *Mettenheim*, villa & curia in chartis Spirensibus seculi XII exeuntis obvia, mutato nunc nomine *Neuhofen* dicitur. Prædium in *Medenheim* & *Recholz* Godefridus abbas Wissenburg. Hermanno abbati Hemmerodensi per manum Henrici VI imp. pro vinea apud Einkirchen ad Mosellam tradidit. Quatuor instrumenta hac de re in Trivels, ubi Cæsar agebat, mense Majo an. 1194 confecta habemus. Quadriennio post Philippus, Henrici VI frater & successor, jus advocatie in villa Medenheim, feudum imperiale Conradi de Anwilre, quod is resignaverat, eidem abbatiæ Hemmerodensi donavit. Ecclesiam de *Medenheym* in loco desolato sitam & ab omni cultu hominum alienam dirui, ejusque fructibus Hemmerodense monasterium frui Conradus episcopus Spir. permisit an. 1220 (*r*).

Append. diplom. num. XI.

RECHHOLZ prædium, quod cum Medenheim modo commemoratum vidimus, Henricus IV imp. antiquum forestum ad *Lancwadum* flumen an. 1063 appellat. In aliis chartis Spirensibus *Reicholz* dicitur. Deinde „prædium, quod situm est juxta *Recholz*, „ videlicet paludem & terram, cultam & incultam, quæ partim

„ jacet

(*p*) *Calmet hist. de Lorraine* tom. II probat. col. 102. ed. nov.

(*q*) Vid. pagus Lubodun. *in act. acad.* vol. I. pag. 226 sq.

(*r*) In dorso horum instrumentorum veteri manu scriptum est: *nunc Nova curia* oder *Neyhoffen*.

„ jacet in *Medenheim*, partim in *Hildensheim*„ Marquardum de Anevilre, imperialis quondam aulæ dapiferum, ab Eberhardo de Ride, viro nobili, nonaginta marcis comparasse sibi & monasterio Hemmerodensi contulisse, Conradus episcopus Spir. an. 1204 refert. Pratum prope silvam *Reholtz* situm in aliis ejusdem Conradi episcopi literis an. 1220 legitur. Villæ *Rehhütte*, æque ac flumini *Rehbach*, media inter Spiram & Mannhemium via, silvam hanc nomen imposuisse, nulli dubitamus.

HILLENSHEIM, *Hilleinsheim*, *Hildensheim* villam, nunc deperditam, Spirenses chartæ in hac Spirigoviæ nostræ parte, uti in Rechholz ostensum est, collocant. Henricus VI imp. & Gerardus abbas Prumiensis XIV Cal. Augusti an. 1195 Wormatiæ constituti, cœnobium Hemmerodense ab Hellingero de Franckenstein & coheredibus suis villam Hillensheim, feudum attinens ei, quod Fridericus dux, Henrici imp. avus, ab ecclesia Prumiensi acceperat, emisse, curtimque Muderstat Prumiensibus vicissim traditam esse, literis consignarunt. *Hildensheim* & *Hildesheim* Cæsarius Heisterbac. appellat (*s*).

AFFALTERLOCH in pago Spirensi sub Carolo M. bis occurrit (*t*) Sub Ludovico rege an. 846 *Affaltalterloch in Spirigowe* post Carlobach & Agrisheim, pagi Wormatiensis vicos, commemoratur (*u*). Periit hic locus ad Rhenum. Situm ejus nos docet Henricus abbas Hemmerodensis, qui curiam suam *Affolterloch* & bona attinentia sita infra terminos villæ *Walsheim* an. 1318 vendidit. In alia hujus anni charta curia *Affolderloch* contigua novæ curiæ (Neuhofen) prope Spiram scribitur.

WALAHESHAIM in traditione Acbutonis Fuldensi circa an. 800. In necrologio Spir. sec. XIII *Walhisheim*. Curiam præceden-

(*s*) *Hontheim hist. diplom. Trevir.* tom. I, pag. 695 sq.

(*t*) *Cod. diplom. Laur.* vol. II. num. 2087 sq.

(*u*) Ibid. num. 1076.

tem Affolterloch in terminis hujus *Walsheim*, ad Rhenum ſitam vidimus. Corrupte nunc vocant *Waldſee*. Aliud Walahesheim pagi Spirenſis prope Landaviam infra videbimus.

ODDERSTAT. Hobam legitimam in *Odderſtaterumarcha* Waltherus epiſcopus Spir. Sahſoni cuidam & Geilæ conjugi ejus contra alia bona accepta an. 1020 adſcripſit.

Append. diplom. num. III.

SCIFFESTAD. Annuente & confirmante Ludovico rege Chriſtianus comes in villa hac pagi Spirenſis Gebhardo epiſcopo Spir. tres jornales an. 868 contulit, accipiens viciſſim, quæ in *Wackenheim* ſupra indicavimus. Nonam redituum ſuorum partem in *Skeferſtat*, nec non flumen *Lancwata* usque ad publicam viam Otto dux an. 977 S. Lamperto donavit. *Schiverſtat* in diplomate Henrici IV imp. an. 1101, vicus duplex, major & minor.

§. IV.

Inter Spiram & Heinbach

Inter Spiram & Heinbacum rivulum præter urbem Spirenſem, de qua ſuperius:

DITTENHOUEN, hod. *Duttenhofen*. Guntherus epiſcopus Spir. ſex horrea ſeu grangias, unum apud *S. Leonem*, ſecundum in *Luzheim*, tertium in *Kezs*, quartum in *Odterſtat*, quintum in *Marreheim*, ſextum apud Dittenhouen abbatiæ Mulbrunnenſi donavit an. 1159.

HAGENHEIM. Hunc pagi Spir. locum quinque traditiones Laurish. ſeculi VIII produnt (*x*). Vicus in villam redactus *Hahnhofen* dici cœpit, quod vicus ex villa reſuſcitatus adhuc retinet vocabulum.

GUMMARESHEIM, hod. *Gummersheim*, in charta traditionis Fuldenſi circa an. 800 ſcripta (*y*).

GUNZINHEIM. Gundi pro anima Nebi & Herswindæ conjugum in pago Spir. in *Gunzinheimer* marca manſum cum duabus

hubis

(*x*) Ibid. 2077 ſqq.

(*y*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 167. Conf. ſupra §. I, pag. 229.

hubis an. XXI Karoli regis tradidit (*z*). In alia Nevi charta *Gunzinger* marca (*a*) & in traditione Fuldensi (*b*) *Gunzingon* ante Gunmaresheim, *Gensen* post Scurheim in charta Hirsaugiensi an. 1109 (*c*) *Gynshaim* seculo XV, hodie *Geinsheim* scribitur.

SPIRDORF. Otto M. sancto Mauritio Magdeburgi dedit in pago Spirichgeuue, in comitatu Gerungi comitis, omne prædium, quod Conradus & Eberhardus fratres in villa, quæ dicitur Spirdorf, visi fuerant habere, an. 966 (*d*).

LACHA, vulgo *Lachen*, in duplici commutationis inter Godefridum, episcopum Spir. & Rudolfum, virum nobilem, instrumento an. 957 & 960 commemoratur. Append. diplom. num. V.

WENZINGEN, hodie *Winzingen*, in traditione Lauresham. an. XIV Caroli regis (*e*). In agro hujus loci nova civitas, quam adhuc *Neustatt* appellamus, sec. XII surrexit.

HAGENBACH, hod. *Hambach*, vicus triplex. Ecclesiam in Hagenbach canonicis majoris ecclesiæ Spir. Conradus episcopus an. 1221 donavit. De bonis sitis in *Dudensfeld*, quæ ad ecclesiam in Hagenbach decimas præstant, sermo est in charta Spir. an. 1295. Aliud Hagenbacum supra Queicham ad Rhenum.

DUTINSVELT, hod. *Diedesfeld*, an. 1201 in Spirensibus tabulis primum occurrit.

MEINKEMERE, hod. *Maycammer*, in necrologio Spirensi sec. XIII.

VENINGA villa cum Visgelinga in diplomate Ludovici Germ. Spirensi, cujus antographum periit. *Weningen* in laudata superius

(*z*) *Cod. dipl. Laurish.* vol. II, num. 2101.

(*a*) Ibidem num. 2102 sq.

(*b*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 167.

(*c*) *Crus. annal. Suev.* part. II, lib. IX, pag. 312.

(*d*) *Origines Guelf.* tom. IV, pag. 279.

(*e*) *Cod. diplom. Lauresh.* vol. II, num. 2153.

Append. diplom. n. V. rius Godefridi episcopi cum Rudolfo, viro nobili, commutationis charta an. 960.

BEBINGEN. An. VIII Karoli regis Landradus ecclesiam in pago Spir. in *Zotincger* marca, & in *Bebinger* marca unam hubam ecclesiæ S. Nazarii contulit (*f*). *Bebingon* habemus infra in Offenbach §. VI.

FREIMARSHEIM in pago Spir. anno tertio Caroli M. regis (*g*), hod. *Freimersheim.*

Ibid. OESSINGON, hod. *Essingen*, in Godefridi Episcopi cum Rudolfo, viro nobili, concambio an. 957. *Ossinga* in pleniore ejusdem concambii repetitione an. 960.

FISCHILINGEN, pagi Spir. villa, in Laureshamensibus sub Carolo M. (*h*) *Visgelinga* ex Ludovici Germ. diplomate superius adducta. Fischlingen majus & minus in descriptione geographica diœcesis Spir. sec. XV commemoratur. Utrumque superest.

OTTINSHEIM in Laureshamensibus nostris sub eodem Carolo M. rege (*i*), *Otinesheim* in chartis concambii an. 957 & 960. Ex Otinsheim veteri prodiit *Oedesheim* seculo XV, nunc *Edesheim*, uti ex Ottincheim pagi Lobod. Edighemium prognatum est.

ROSBACH, hod. *Roschbach.* Marcolf in pago Spir. in *Walahesheimer* marca agrum, & in *Rosbacher marca* pratum anno primo Caroli regis, id est, an. 769 S. Nazario tradidit (*k*).

WILERE, hod. *Weyer.* An. IX Karoli regis Alrat & uxor ejus Secundina mansum unum in pago Spirensi, in villa, quæ dicitur *Wilere*, ubi basilica sita est, & in *Hochstater* marca quatuor

(*f*) Ibidem num. 2062. Adde vol. I, num. 133.

(*g*) Ibid. num. 2165.

(*h*) Ibid. num. 2105 sqq.

(*i*) Ibid. num. 2168.

(*k*) Ibid. num. 2157.

tuor jurnales S. Nazario contulerunt (*l*). *Vuilare* cum aliis Spirigoviæ locis in traditione Fuld. cui pagus Alſacinſis falſo inſcriptus eſt, circa an. 800 (*m*).

BUBENWILRE, hod. *Burweiler*, ex ſeculo XIII demum nobis innoteſcit. Conradus miles dictus de Aldorf a viris nobilibus, dominis de Tan, quartam decimæ partem in villa Bubenwilre titulo feodali an. 1279 ſe habuiſſe teſtatus eſt. Decimam & jus patronatus a ſanctimonialibus de Ponte Salutis juſte coempta eſſe, Conradus & Johannes de Tan novennio poſt recognoverunt.

FLAMARINGEN, hod. *Flemlingen*. An. XV Pipini regis Trudlinus & Rathflat conjuges in pago Spir. in *Flamaringer marca* & in *Forcheim*, & in *Godmarſtaine* & in *Bochincheim*, quidquid habuerant, S. Nazario obtulerunt (*n*).

GLIZENUUILERE, hod. *Gleisweiler*. Henricus II rex prædium Lanzonis manumiſſi in villis *Glizenwilere*, *Hohenſtat* ac *Wolmodesheim*, in pago *Spirigowe*, in comitatu Wolframmi, Walthero epiſcopo Spir. donavit an. 1006. Append. diplom. num. VI.

BOCHINCHEIM, hod. *Böchingen*. Anno XVI Pipini regis Maginolt unum manſum in pago Spir. in *Buchinheimer* marca, & dimidiam vineam, tertiamque partem molendini cum duobus jurnalibus; idemque anno ſequenti in pago Spir. in *Buchinheimer marca ſuper fluvio Heinbach* unum manſum cum caſa deſuper, unam vineam, dimidium molendinum, pratum & quatuor jurnales de terra aratoria S. Nazario legavit (*o*). Alibi *Bucching-heim* & *Buckinheim* locus hic ſcribitur; brevius ad modum hodiernum *Bochingin* & *Buckingen* in duplicis traditionis charta Willa-

(*l*) *Cod. dipl. Lauresh.* vol. II. num. 2167.

(*m*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 167.

(*n*) *Cod. Lauresh.* l. c. num. 2163.

(*o*) Ibid. num. 2122 ſq.

harii presbyteri a. XXIII Karoli regis (*p*). Besselius ad Bockenhemium pagi Wormat. hæc retulit.

§. V.

Inter Heinb. & Queich.

Heinbacum inter & Queicham ex monumentis antiquis nobis innotescunt loca sequentia:

BERGHUSEN. Curiam suam in *Berghusen* sitam *apud Spiram* sanctimoniales in Ponte Salutis magistro Conrado, præbendario Spirensi, vendiderunt an. 1268, accedente Heinrici episcopi diœcesani consensu.

HEILGENSTEIN. Venditio prædictæ curiæ in Berghusen facta est salvo sex denar. censu, quem emptor annis singulis præstare debuit curiæ in Heilgenstein, quæ vocatur *Huphoff*.

Append. diplom. num. XI.

SUUEBENGHEIM, hod. *Schwechenheim*. Henricus IV Spirensi ecclesiæ silvam & bannum ejus in utraque Rheni parte concedens an. 1063 fines hujus silvæ post alios constituit *Lengenveld* & Suuebengheim, ubi curtis est *Widegouuen*. In *Sueuichenheim* octoginta jugera Godefridus episc. Spir. a monasterio Uterinæ vallis recepit contra capellam & decimam in Utersdal an. 1164.

LENGENVELD ad viam publicam, Spiram inter & Germershemium. Rivulus, qui vicum hunc alluit, in isto Henrici IV diplomate *Horebach* nuncupatur.

WINGARTHEIM, hod. *Weingarten*, Amalrici litteræ traditionis Laurish. an. XIV Karoli M. habent (*q*). In notitia hubarum pagi Spir. contractius jam *Wingarten* scribitur (*r*).

LUSTAT, *Lustatheim*, *Lustheim* promiscue scribitur in Laureshamensibus nostris sub Carolo M. rege (*s*), vicus duplex, superior & inferior.

HEIN-

(*p*) *Cod. diplom. Lauresh.* vol. I, num. 172, & vol. III, num. 3782.

(*q*) Ibid. num. 2111.

(*r*) Ibid. vol. III, pag. 184.

(*s*) Vol. II, num. 2093 sqq.

HEINBACH a rivulo, quo cingitur, nomen habens, nunc *Closter-Hambach.* In pago Spir. in *Lustather* marca, in loco, qui dicitur *Heinbach*, Wisericus quidam Laureshamensi monasterio donum obtulit an. XXI Caroli regis (*t*).

ZEZZINCHEIM, hod. *Zeiskam*, sex traditiones ævi Carolingici in pago Spir. collocant (*u*). *Ceizingheim* & *Ceuzingh.* paulo recentius est (*x*).

HOHUNSTAT, hod. *Hochstatt*, vicus duplex, superior & inferior, cum Lustat in pago Spirensi comparet an. VIII Caroli regis (*y*); *Hohenstat* in diplomate Henrici II regis an. 1006, quod in appendice diplomatica exhibemus. Append. diplom. num. VI.

BRUNHEIM. Ita legendum sine dubio in diplomate regio Ludovici Infantis, ubi res juris sui in pago *Spiraggowe* in villis *Grunheim* & *Cotemaristein* monacho cuidam Hornbacensi an. 900 dedisse Crollius (*z*) refert. Godramsteinio sane, de quo mox dicetur, vicinum est Bornhemium.

DAMHEIM in Spirensibus nostris an. 957 & 960. Sequitur *Vozacheim* locus nobis plane ignotus. In necrologio ecclesiæ maj. Spir. sec. XIII scribitur *Dameheim*. Num. V.

WALAHESHEIM, hod. *Walsheim*, de quo supra in Rosbach.

NUZDORF, hod. *Nussdorf*, in literis concambii Spirensis sæpius laudati an. 957 & 960. Henricus III imp. an. 1046 ecclesiæ Spir. prædia largitus est in villis *Nusdorf*, *Spirgesceid*, *Lutderbach*, *Salhunbach*, in pago *Spiragowe*, in comitatu Hugonis comitis sita, cum ceteris adjacentibus villis, quas genitor suus in eodem pago & comitatu acquisiverat. Ibid. Num. VIII.

(*t*) Ibid. vol. II, pag. 2097.

(*u*) Ibid num. 2112 sqq.

(*x*) Ibid. vol. III, pag. 184.

(*y*) Ibid. num 2099.

(*z*) *Origines Bipont.* part. I, pag. 57, ubi *Contemaristein* vitiosum esse, auctor ipse nos docuit.

GODMARSTAIN, hod. *Godramstein*, in Laureshamensibus nostris sub Pipino rege occurrit. Vide supra (§. IV) in Flamaringen. *Cotemaristein* a Ludovico Inf. nuncupatum modo vidimus in Brunheim. De loci hujus appellandi ratione alibi diximus (*a*).

FRANCKENWILRE in necrologio Spir. hod. *Franckweiler*.

RAMESBERK, hod. *Ramberg*. Dietleibo de Ramesberk testis in charta Gregorii abbatis Hornbac. qua monasterio Uterinae vallis quatuor mansus in *Hereboldesberge* concessit an. 1163.

GRAZOLFESHUSEN, hod. *Graefenhausen*, una cum Huizinger marca, de qua infra, in pago Spir. collocat Laurishamensis Wolfgeri traditio an. 817 (*b*).

RINTDALE, hod. *Rendel*, supra Annweiler ad Queicham. Werinbertus de Rintdale in eadem charta testis.

§. VI.

Inter Queich. & Clingbach

A Queicha progredimur ad rivululum Clingam, vulgo *Klingbach*, qui ex Vogesi montanis supra Clingense monasterium descendens prope Herdam Rheno miscetur.

BELLINHEIM, hod. *Bellheim*. Lutoldus quidam in pago Spir. in Bellinheimer marca servum & mansum cum casa & curia, in qua idem servus manebat, cum aliis bonis S. Nazario donavit an. VIII Karoli regis (*c*).

TERHERDI, *Hert*, in charta Fuldensi sub Carolo M. inter Leidmareshaim & Hudamareshaim, de quibus infra, recensetur (*d*). *Herthi* literae fundationis monasterii an. 1103 ibidem extructi nuncupant (*e*).

UDO-

(*a*) *Act. acad.* vol. II, pag. 9.

(*b*) *Cod. diplom. Lauresh.* vol. II, num. 2162.

(*c*) Ibid. num. 2037 sqq.

(*d*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 167.

(*e*) *Act. acad. Palat.* vol. II, pag. 70.

UDOMARSHEIM in Laureshamensibus nostris ad an. XVI Pipini regis (*f*) scribitur locus, quem in Fuldensi charta circa idem tempus *Hudamareshaim* nominari modo vidimus. Ineunte seculo XII *Otmeresheim* (*g*) hod. contractius *Ottersheim*.

RUOLECHESHEIM, hod. *Rülzheim*. In villa hac Rudolfus, vir nobilis, terram salicam & curtem dominicalem nondum ædificatam ecclesiæ Spir. contradidit an. 960. *Luadleicheshaim* post Leidmareshaim, ante Terherdi & Hudamareshaim, vitiose scriptum esse in allegata Fuldensi traditione pro *Ruadleicheshaim*, haud dubito. Fridericus I imp. hoc ipso loco moram fecit an. 1175, teste diplomate Hertensi (*h*). Append. diplom. num. V.

OFFINBACH Laureshamensis charta an. XVI Karoli regis in pago Spir. diserte collocat (*i*). *Offenbach* in traditione Fuldensi (*k*) legitur. Johannes episcopus Spir. *Offenbach*, *Bebingon* & *Servilingam* novæ suæ abbatiæ Sunnesheim an. 1100 contulit. N. XII.

ALTHEIM *viculum apud Offenbach*, qui periit, chartæ Spirenses memorant, quibus abbatia Sünsheim scholastico Spirensi curtem ibi sitam vendidit an. 1248. Offenbach & Altheim diploma Henrici VI imp. Hertense habet an. 1195 (*l*).

HERGISESHEIM, hod. *Herxheim*, in traditione Lauresham. an. XI Karoli regis (*m*). Henricus IV imp. prædium *Herigesheim* in pago Spirigouue, in comitatu Hugonis comitis an. 1057 Spirensi addixit ecclesiæ. N. X.

(*f*) *Cod. Lauresh.* l. c. num. 2c90 sqq.

(*g*) *Act. acad.* l. c.

(*h*) In *act. acad.* l. c. pag. 75.

(*i*) *Cod. Lauresham.* vol. II, num. 2159.

(*k*) *Schannat tradit. Fuld.* l. c.

(*l*) *Acta acad.* vol. II, pag. 75.

(*m*) *Cod. Lauresh.* vol. II, num. 2161.

ENSEHICHISHEIM & *Ensicheshheim* dicitur in necrologio Spirensi sec. XIII vicus *Insheim;* in Emichonis comitis Leining. literis fundationis monasterii Steigensium in Landau an. 1276 *Ensigisheim.*

EMPHELINGEN, hodie *Impflingen*, in eodem necrologio.

MERLUNGHAIM, hod. *Merlheim*, post Offenbach in traditione Fuldensi sæpius allegata circa an. 800.

QUEICHEM, locus certe antiquus, in cujus quippe parochia extructum est oppidum Landau ab Emichone comite Leiningensi, teste charta Joannis rectoris ecclesiæ in *Queichem* an. 1276 (*n*).

HUIZINGEN. An. 817 Wolfgerus quidam mansum in pago Spir. in Huizinger marca & Grazolfeshusen S. Nazario obtulit (*o*). In necrologio Spir. sec. XIII scribitur *Uzingen.* Interiit hic vicus *Uzingen* vel *Itzingen* in agro Landaviensi (*p*). Retinet nomen puteus, in sinistra parte viæ publicæ, quæ Wissenburgum & Argentoratum ducit

MULINHUSON. Ita legi debet pro *Mulinhuron* in Acbutonis charta traditionis Fuldensi circa an. 800 (*q*). Landaviæ, novissimi oppidi, incrementis prospecturus Rudolfus I cæsar, forum septimanale, quod Mulhusii celebrari solebat, in illud trastulit; unde exorta gravis capituli Spir. querela, cui quippe jus in istud forum Mulhusinum competierat. Litem composuit Adolfus cæsar an. 1292, a quo tempore Mulhusium, æque ac Uzingen, paulatim cum Landavia prorsus coaluit (*r*). Attamen *pastoria in Mühlhausen*, ante oppidum Landau, commemoratur in descriptione geographica diœcesis Spir. sec. XV.

WOL-

(*n*) Charta hæc in *Schoepflini Alsatia diplom.* part. II, num. DCCV proxime prodibit in lucem.

(*o*) Vide supra pag. 244, §. V.

(*p*) Vid. *Alf. illustr.* tom. II, pag. 397.

(*q*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 167.

(*r*) *Alsat. illustr.* l. c. & pag. 401.

WOLMODESHEIM, hod. *Wolmsheim*, vide ſupra in Glizenwilre (*s*).

ARBOTSHEIM. Fridericus Judæus dictus de Arbotsheim de XII jugeribus agrorum ſitis infra Mulnhuſen & Arbotsheim duos modios & octavam tritici ſolvere jubetur eccleſiæ Spir. in necrologio ſec. XIII, hod. *Arzheim*, ſedes capituli ruralis.

HUGHLINHEIM & *Huchilinheim* in Laureshamenſibus noſtris ſub Carolo M. rege occurrit Spirigoviæ villa (*t*), quæ nunc *Heuchelheim* dicitur.

BLIDENFELT, monaſterium in pago *Spiregowe* igne crematum refert falſum diploma Ludovici Germ. anno XV regni ejus datum Triburiæ. Alio vocabulo monaſterium *Clynga*, vernacule *Clingenmunſter*, in pago *Spirogovie* ſitum, occurrit in membrana æque vitioſa an. 970.

LUOCH. Henricus III imp. eccleſiæ Spirenſi villas *Pillungisbach* & Luoch in pago Spirichgowe, in comitatu Hugonis comitis ſitas, quas ex hereditate aviæ ſuæ Adelheidis ipſe acceperat, an. 1046 dono dedit. Append. diplom. num. IX.

ADELBRATESWILRE, hod. *Albersweiler*, ad Queicham. Hortlibus & Eberhardus de Adelbrahteswilre inter teſtes inſtrumenti Uterinæ vallis an. 1150.

WILLIGARTLAWISA, hod. *Wilgartswieſen*, ad Queicham. Willigart curtim ſuam, quæ ex attavæ ſuæ nomine *Willigartlawiſa* ab incolis appellata eſt, cum proxima ſylva, cum eccleſia, ædificiis, mancipiis, in pago Spir. in comitatu Siggeri comitis, an. 828 Hornbacenſi monaſterio donavit (*u*).

§. VII.

(*s*) *Pag.* 241.

(*t*) *Cod. diplom. Laureſham.* num. 2169 & 2590.

(*u*) *Croll. orig. Bipont.* part. II, pag. 106.

§. VII.

Inter Clingb. & Otterbach

Inter Clingam & Otteram (*x*) rivulos a Rheno ad Vogesum observanda sunt

LUITMARSHEIM, quod in pago Spirensi traditio Laurésham. ad an. 778 (*y*) habet; *Leidmareshaim* Fuldensis traditio circa an. 800 (*z*). Hodie *Leimersheim* scribitur.

COHART, hod. *Kurt*, in literis fundationis monasterii Hertensis an. 1103, & *Kuhart* in alia ejusdem cœnobii charta an. 1270 (*a*).

RYNZABERN. Hic quadraginta ministeriales cum publica ecclesia monasterio Blidenfelt Carolomannus, Caroli M. filius, donasse narratur in diplomate Ludovici regis, quod a veteri falsario quodam effictum.

STEINUUILRI. Otto II imp. ecclesiam ad *Steinuuilri* & novalia ad *Mundiveld* & ad *Vrekkenveld*, ac omnia novalia ejusdem sylvæ & ejusdem ambitus, a Conone comite possessa, usque ad *Wasagon* sylvam, in pago *Spirkeuwi* & in comitatu Wormatiensis Ottonis, Spirensi ecclesiæ confirmavit an. 982 (*b*). Decennio post Otto III prædium *Steinwillare* in pago Spirichgouue, in comitatu Wolframi comitis, Salsensi in Alsatia monasterio largitus est (*c*). Curtem *Steinwilre* in pago *Spirgowi*, in comitatu Spirensis episcopi, Johannes episcopus ecclesiæ suæ majoris fratribus contulit an. 1100.

HEIFAN-

(*x*) Vernacule *Otterbach*, quod ei nomen tribuitur in cæsareis abbatiæ Wissenburg. diplomatibus sec. XI. Vide *Schoepflini Alsat. diplom.* part. I, num. CXCVII & CC.

(*y*) *Cod. diplom. Lauresh.* vol. II, num. 2170, & vol. III, pag. 184.

(*z*) *Schannat tradit. Fuld.* num. 167.

(*a*) *Act. acad.* vol. II, pag. 70 & 77.

(*b*) *Schoepflini Alsatia diplomat.* part. I, num. CLXIII.

(*c*) Ibidem num. CLXIX.

HEIFANHEIM, hod. *Heſſen*, in laudata ſæpius traditione Fuldenſi circa an. 800.

MUNDIFELD, hod. *Minfeld*, vide ſupra in *Steinwilri*.

VREKKENVELD, hod. *Freckfeld*, vide ibidem. Henricus III imp. decimam in loco *Mundevelt* cum capella *Fricchenvelt*, aliisque villis in pago *Spirichgouue* & in comitatu Hugonis comitis abbatiæ Salſenſi an. 1051 adſcripſit.

TURRENBACH, hod. *Dierbach*, cum Oterbach commemoratum jam videbimus.

OTERBACH. Otto III imp. prædia *Oterbach itemque Oterbach, Turrenbach* in pago *Spirichowe*, in comitatu Wolframmi comitis, monaſterio Salſenſi donavit an. 993. In Clementis III antipapæ bulla Liboni cœnobii Salſenſis abbati anno pontificatus ſui quarto Romæ data de *ſuperiori* & *inferiori Oterbach*, quæ adhuc ſuperſunt, legitur.

PLESWILRE, hod. *Pleisweiler*, in Adelberti archiepiſcopi Mogunt. literis pro abbatia Clingenſi an. 1115.

§. VIII.

Ab Ottera rivulo pergimus ad Lutram amnem, ad quem Wiſſenburgum & Luterburgum ſita ſunt oppida. Inter Otterb. & Luteram

SUENINHEIM. Henricus III imp. decimam in loco *Mundevelt* aliisque villis illuc pertinentibus, in pago *Spirichgouue* & in comitatu Hugonis comitis, cum propria ſua eccleſia in villa *Sueninheim* de Spirenſi epiſcopatu juſto concambio redemptam, monaſterio Salſenſi tradidit Spiræ idibus Mart. an. 1051. Interiit hic locus prope Jockernheim, cum quo coaluit. Supereſt tantum capella, propope quam Jockernheimenſium ſepultura. Eccleſiam parochialem ibidem extitiſſe, ex inſtrumento eccleſiæ Spir. an. 1439 addiſcimus (*d*).

(*d*) En ipſa inſtrumenti verba: *Wir die Kirchenſcheffen.. und die gantze gemeyn der Pfarre zu Jochgrim vormals zu Schweinheim &c.*

Append. diplom. num. II.

HAGANBACH. Ludovicus Germ. ad Spechaa in pago Anglahgeuue & ad Haganbach in pago Spir. possessiones ecclesiæ Spir. confirmavit Francofurti an. 864. Hagenbacum ad Rhenum, non illud ad Vogesum, de quo supra (*e*), hic intelligendum esse, Anglachgoviæ & Spechahæ proximitas, ut credamus, nos inducit.

SPIRGESCEID, hod. *Scheid*, vide supra in *Nuzdorf* (§. V).

S. PAULI villam prope Wissenburg in *Spiergauwe* Conradus rex, Friderici II imp. filius, cum aliis feudis B. de Glenberc morte vacantibus, Friderico comiti Leining. contulit an. 1247. Deleta nunc villa cum castro, quod ibidem extitit (*f*).

§. IX.

Inter Lutr. & Matram

Inter Lutram & Matram (*g*), Nortgoviæ Asaticæ terminum borealem, Spirigoviæ meridionalem

SALHUNBACH, hod. *Salmbach*, vide supra in Nuzdorf (*h*).

LUTDERBAH, hod. *Luterbach*, vide ibidem. Sunt duo hujus nominis vici, superior & inferior, quorum ille ad præposituram Selsensem, hic ad Luterburgensem episcopi Spir. præfecturam pertinet.

MATRA, hod. *Moderen*. Godefridus episcopus Spirensis facto bonorum in Spirigovia sitorum concambio an. 960, Rudolfo, viro

(*e*) Pag. 239.

(*f*) Vide *Alsatia illustr.* tom. II, pag. 176.

(*g*) Ita vocatur rivus, ad quem oppidum Sels situm est, in diplomate Ottonis III imp. abbatiæ Selsensi dato, quam constructam dicit ab avia sua Adelheide in Alsazia, in loco proprietatis suæ, qui dicitur *Salsi juxta flumem Matram* &c. Dat. IV id. Januar. 992. *Juxta flumen, quod vocatur Matra,* idem monasterium ponit Johannes XVI papa in confirmatione jurium & libertatis ejus an. 996. Actum Sutriæ II non. Aprilis. Hodie *Selzbach* rivulus hic dicitur. Est alia Matra, ditior aquis, quæ volvitur per Hagenoam, vulgo *Mother* dicta.

(*h*) Pag. 243.

viro nobili, ecclesias decimales duas & hobas XVI cum mancipiis in villulis Matra & Ulich ad dies vitae tradidit. *Ulich* videtur esse vicus Badensis *Iling*, e regione Matrae situs. Append. diplom. num. V.

LUTERA. Henricus IV imp. praedium, quod in villa nomine Lutera Henricus de Lache homo nobilis libero jure obtinuerat, ecclesiae Spir. donavit Spirae an. 1103. Castro in villa hoc deinceps extructo, Luterburgum dici coepit.

WINZENBACH commemoratur post *Salsam*, ante *Rotheren*, in bulla Clementis III antipapae, quae data est Liboni abbti Salsensi VI id. Junii anno pontificatus quarto, id est, anno Chr. 1084.

ROTHEREN, quod modo indicavimus, sec. XV *Rodderen*, hod. *Roederen* enuntiatur.

WIZZENBURG monasterium ad Lutram in pago Spirense ponunt Dagoberti regis (*i*) & Ottonis I imp. diplomata (*k*).

§. X.

Loca incerta

Perierunt, aut nomen omnino mutarunt ita, ut situ suo nobis plane incognita sint, loca sequentia:

BILINGEN. Anno IV Karoli regis Landradus decem jurnales de terra in pago Spir. in *Zotingower* marca & in *Bilingen* unum pratum dedit (*l*).

BLATMARSHEIM. Theodo & conjux ejus Authlindis in pago Spir. in *Blatmarsheim* XV jurnales cum manso & casa desuper & curia, & unam ancillam anno II Karoli regis (*m*). Idem nomen in pago Wormat. occurrit. Lehmanno est Freimersheim, praeter omnem versimilitudinem. Praeferrem ego *Volmersheim* inter Freckfeld & Otterbach.

Ii 2 CRO-

(*i*) *Schoepflini hist. Zaringo-Bad.* tom. IV, pag. 2.

(*k*) Ejusd. *Alsat. illustr.* tom. I, pag. 646.

(*l*) *Cod. dipl. Lauresh.* tom. II, num. 2058.

(*m*) Ibid. num. 2164.

CHROTHINCHEIM. Alrad & uxor ejus Secundina in pago Spir. in *Zotingower* marca dimidium manſum, vineam & pratum; et in Crothincheim jurnales XV cum prato, an. V Karoli regis (*n*).

FORCHEIM, vide ſupra in *Flamaringen* (*o*).

HUBESTAT pago Spirenſi adſcribunt quatuordecim traditiones Laurishamenſes ſub Carolo Magno (*p*). In Craichgovia Bruchſaliæ, Spirenſis epiſcopi ſedi, proximus eſt vicus *Ubſtatt*.

PILLUNGESBACH villa pagi Spirigoviæ an. 1046 (*q*), forte *Spirgelbach* prope Luch, cum quo ad eccleſiam Spir. pervenit.

ROTLEHESHEIM in traditione Laurish. anno VI Caroli regis (*r*).

SERVILINGEN vide ſupra in *Offinbach* (*s*). In deſcriptione geographica diœceſis Spirenſis ſec. XV locus hic in decanatu Herxheimenſi ponitur poſt Artzheim & Rainſsbach, ante Muhlhauſen & oppidum Landau.

SNORINGEN. Walcho & Wiuila conjuges unam curtem in pago Spir. in *Snoringer* marca an. VII Karoli regis (*t*). Eſt vicus *Knoringen* infra Landaviam.

STRATVELT. Ruckerus quidquid habuit in pago Spir. in Stratvelt, manſos, ſilvas, vineas, ædificia, Laurishamenſibus dedit an. XIIII Karoli regis (*u*).

TUR-

(*n*) Ibid. num. 2063.

(*o*) Pag. 241.

(*p*) *Cod. Lauresh.* num. 2139 ſqq.

(*q*) Vide ſupra pag. 247.

(*r*) Num. 2154.

(*s*) Pag. 245.

(*t*) *Cod. Lauresham.* num. 2155.

(*u*) Ibid. num. 2100.

TURNESHEIM. Gomolf decem jurnales de terra aratoria in pago Spir. in *Turnisheim* an. XIII Karoli regis (*x*). Turckhemium Lehmannus frustra hic quæsivit.

WIPGARDA vide in *Gininheim* (*y*). Eundem cum Wingartheim esse locum, Frehero visum.

WISERE marca & *Wisero* marca in pago Spirensi collocatur an. XXII Karoli regis & an. IX Ludovici imp. in traditione Richberti & literis concambii Gerolfi, qui pro rebus suis in Alaridestath & alibi sitis hubas quinque & vineas tres in hac marca accepit (*z*).

ZOTHINGOWE & *Zotinger marca*, Spirigoviæ locus, in Laureshamensibus nostris sub Carolo M. rege sexies comparet (*a*).

§. XI.

Errores

Loca tria, quæ Freherus habet, *Bettenberg*, *Carlabach*, *Hemmingesheim*, nonnullæ quidem chartæ veteres in pago Spirensi collocant, non nego; sed aliæ plures Wormatiensi vindicant, ad quem omnino referenda sunt, in diœcesi quippe Wormatiensi hodieque constituta. Ita se quoque habet Lutra, vulgo *Kaiserslautern*, quam Lehmannus & ex Lehmanno Besselius Spirigoviæ male attribuunt.

Hirsaviam, Sueviæ monasterium, Urbanus II pontifex an. 1099 in Spirigovia reposuit, pagum cum diœcesi, quod Gottwicensis abbas jam monuit, manifesto confundens.

Singulfingheim, ubi XII jurnales & de stirpo XXX jurnales cum fonte Laurishamenses accepere anno tertio Karoli regis, cum absque pagi mentione, inter traditiones, in pago Spirensi factas,

 occur-

(*x*) Ibid. num. 2043. Conf. supra *Alasheim* pag. 232.

(*y*) Supra pag. 232.

(*z*) *Cod. Lauresh.* tom. II, num. 2089 & 2033.

(*a*) Ibid. num. 2057 sqq. Conf. supra *Bebingen* pag. 240.

occurrat (*b*), ex certorum claſſe inter dubia relego. Beſſelius vicum *Sibeldingen* hic latere exiſtimat.

§. XII.

Limites pagi

In finibus pagi noſtri recte conſtituendis haud eſt, quod laboremus multum. Ad orientem Rhenus terminat, non pagorum tantum, ſed & regnorum olim limes; ad occidentem ſumma Vogeſi montis cacumina, prout aquæ defluunt in Rhenum. Quæ trans Vogeſum in Moſellam properant, regiones civili & eccleſiaſtico regimine diverſas irrigant, Bliesgoviam maxime, in qua Lemberga & Pirminii ſedes, vulgo *Pirmaſens* dicta. Borealis Spirigoviæ limes idem eſt, qui Wormazgoviæ meridionalis, a nobis alibi delineatus (*c*). Nec difficilior dictu, quousque pagus noſter proceſſerit verſus meridiem. Ill. Schœpflinus quidem, noſtris deſtitutus ſubſidiis, Nordgoviæ ſeu Alſatiæ inferioris atque Spirigoviæ confinia ad Luteram poſuit (*d*), etſi Wiſſenburgenſem abbatiam, in dextra Luteræ ripa ſitam, Spirigoviæ annumeratam fuiſſe, haud ignoraſſet. At præter Wiſſenburgum in diplomate Henrici III imp. an. 1046, quod infra producimus, eidem pago evidentiſſime accenſentur Luterbacum & Salmbacum, vici a Lutera remotiores verſus Alſatiam. Otto III imp. Salſenſi monaſterio jus monetæ publicæ an. 993 concedens, eam *utriusque monetae, Argentinenſis et Spirenſis, ſuperſcriptione praeſigurari* juſſit, *eo quod ipſe locus in marca antiquitus conſtitutus* (*e*). Eccleſiæ Argent. diœceſis Nordgoviam ſeu Alſatiam inferiorem, Spirenſis Spirigoviam comprehendit. Diſterminat eas hodieque Matra rivus, qui Salſam ſive Selſam, principem olim abbatiam & oppidum,

Append. diplom. n. VIII.

(*b*) *Cod. Laur.* vol. II, num. 2117.

(*c*) *Act. Acad.* vol. I, pag. 287.

(*d*) *Alſat. illuſtr.* tom. I, pag. 138, 631 ſq. 635, 645.

(*e*) In *Schoepflini Alſat. diplomat.* num. CLXIX.

dum, alluit. In veteri dioecesis Spirensis per capitula ruralia descriptione geographica ad decanatum ejus Weissenburgensem *Munchhusen*, *Rodderen*, *Stundweiler*, *Schoeneburg*, *Keffenach*, *Kleburg*, loca Matræ seu rivulo Salsensi proxima, diserte referuntur. A Matrae hujus fontibus eadem dioecesis progreditur ad Suram, in Vogeso, ubi Wingen & Fischbach ad decanatum ejus Dahnensem adhuc pertinent. Factum hinc medio ævo, ut Sura passim limes haberetur Alsatiæ borealis; quod in montanis verum, non in planitie. Selsam profecto infra Suram ad Rhenum chartæ veteres in Alsatia collocant universæ. Quum itaque in vita S. Adelheidis Odilo *(f)* familiam *pagi Northgowe accolam* S. Petro, id est, novo Salsensi monasterio traditam memorat, de loco quodam pagi Spirensis infra Selsam id accipiendum est. Ceterum de vero hoc & immutabili Spirigoviæ nostræ limite meridionali, adversus contrarias variorum sententias, docte & graviter disputavit Jo. Phil. Crollius *(g)*, illustris gymnasii Bipontini olim rector dignissimus.

§. XIII.

Pagus Spirensis, majoribus pagis accensendus, præfectos sibi habuit judices, quos appellarunt comites, qui, cum mallum suum publicum habuissent in *Lutramnesforst*, comitatus ille pagensis a loco hoc, uti infra videbimus, nomen accepit, ita ut pagus Spirensis & comitatus Lutramnesforst geographice sumtus synonyma essent. De loco hoc malli publici, ubi situs fuerit, quæritur. Est prope Deideshemium vicus *Forst*, quem lubentissime huc traherem, nisi extremitas pagi, quam occupat, septentrionalis obstaret, quod in centro potius seu meditullio pagi, id est, versus Queicham, judiciorum sedem primariam stabilitam fuisse credendum. Comites

(f) In *Leibnit. scriptor. rer. Brunsvic.* tom. I, pag. 271.

(g) *Orat. de Anvilla* Biponti edita an. 1767, ubi videatur maxime pag. 32 sqq. in not.

dendum. Comites autem & mallus hic antiquiores longe funt quam comitatus a mallo ifto, in tabulis faltem publicis, appellatio, quippe quæ feculo XI primum occurrit. Comitum Spirigoviæ feriem jam adornavit Schœpflinus *(h)*; nos duplo fere producemus auctiorem.

Primus hic commemorandus videtur BAUGULGUS comes, qui anno Caroli M. tertio, id eft, 771 portionem fuam in *Gininheim*, Spirigoviæ villa, ac quicquid Waringus ibidem in beneficio tenuit, Fuldenfi monafterio donavit *(i)*, ac brevi poft literis traditionis Folcradi & Agilolfi, qui rem Irminolfi in *pago Spirenfe*, in Fridolfeshaim, Dideneshaim & Ginnanhaim eidem obtulerunt monafterio, nomen fuum fubfcripfit *(k)*.

Sigerus Certior eft SIGGERUS comes, qui bis nominatur in Willigartæ, illuftris feminæ, charta donationis prædii *Willigartlawifa*, Hornbacenfi monafterio factæ & in *Lutramnesforft* confirmatæ an. 828 *(l)*. In eodem malli publici loco Hugonem comitem an. 977. deprehendimus.

Chriftianus CHRISTIANUS comes cum Gebhardo epifcopo Spir. commutationem bonorum iniit, qua pro vinea in Wachenheim, pagi Spirenfis villa, quam epifcopus ei dedit, tres jornales terræ in eodem pago, in villa Sciffeftad, epifcopo viciffim tradidit. Confirmavit hæc Ludovicus Germ. Wormatiæ VIII Kal. Jun. 868.

Walaho WALAHO Ludovicus Infans, rex Germaniæ, rogatu Hattonis, archiep. Mogunt. monacho cuidam Walahonis, comitis abba-

(h) *Alfat. illuftr.* tom. II, pag. 605 fq.

(i) *Schannat tradit. Fuld.* num. 29.

(k) Ibid. num. 32.

(l) Vide fupra pág. 247.

batis de monasterio S. Pirminii, quasdam res juris sui in pago *Spiraggowe*, in comitatu sui senioris sitas, hoc est, in villis *Grunheim* & *Cotemarifstein* hobas duo cum curtibus, ædificiis, mancipiis an. 900 dedit Triburias (*m*). Antiquus regni Francici mos fuit, tum ut homines seculares abbatiis præficerentur, tum ut ecclesiastici secularia administrarent; unde urbium liberarum comitiva in episcoporum suorum maximam partem translata est potestatem. Ceterum de Walahonis hujus stirpe probabili, Salica nempe, disputat Crollius (*n*).

WERENHARIUS. Monasterium S. Cyriaci prope Wormatiam ab eodem Ludovico rege res juris ipsius in pago Spirahgowe, in comitatu Werenharii, in loco Titinesheim, alias *Didinesheim* dicto, sitas an. 906 dono accepit (*o*). Wernhar.

WALAHO. Vel eundem, quem supra, vel alium Walahonem comitem Spirigoviæ in *Haselach* an. 911 commemoravimus (*p*). Walaho
Si idem est, comitatu per aliquot annos caruit. Haslach enim Deideshemio proximum est, ut alterum locum in Walahonis, alterum in Werenharii comitatu uno eodemque tempore situm, adeoque duos unius pagi comites simul fuisse, largiri minime possimus.

CUNRADUS. Otto M. ecclesiæ Spir. locum Meriske in Ufgoviæ pago dedit an. 940, rogantibus ejusdem ecclesiæ episcopo Amalrico & Chuonrado dilecto suo comite. Pagi Spirensis comitem fuisse, probat Cunradi hujus donatio insignis eidem ecclesiæ Cunrad.

(*m*) Conf. pag. 243.

(*n*) *Orig. Bipont.* part. I, pag. 110 sq.

(*o*) Diploma in *Schannati hist. Wormat.* tom. II, n. XVI. Adde n. XXII.

(*p*) Vide pag. 235.

App. diplom. num. IV. an. 946 *sub comite et duce Chuonrado Wernharii comitis filio* Spirae facta. Eundem pagi Wormat. comitem alibi (*q*) produximus.

Append. diplom. num. V. Singularis prorsus est repetita in Spirensibus nostris de concambio inter Rudolfum, virum nobilem, & Godefridum episcopum chartis locutio, quippe quae exaratae dicuntur in civitate Spira, regnante Ottone, *sub comite, qui vocatur Altduon* & praesule seu antistite praedicto, annis 957 & 960. Nomen *Altduon* nec proprium nec appellativum ullibi reperio. Inter propria tamen occurrit *Altuan* (*r*), quod proxime ad illud accedit, ut & *Altmann* (*s*), quo vocabulo veteres Germani seniores & senatores suos designarunt, uti a canitie judiciorum praesides, comites ipsos, *Grav* appellarunt. Utriusque chartae nostrae autographum cum perierit, vitium in apographum irrepserit, nec ne, incerti sumus, & in re incerta nolumus esse prolixiores.

Gerung. GERUNGUS. Comitatus Gerungi comitis in *Spirichgeuue* ex diplomate Ottonis I an. 966, in *Spirdorf* supra adducto (*t*), nobis innotescit. Idem caesar uxori suae curtem Steinwilare in Spirigowe in comitatu Gerungi comitis biennio post donavit (*u*).

Hugo. HUGO. Fundatio monasterii S. Lamberti in Spirigowe an. 977 stabilita est in publico mallo, qui dicitur *Luttramnsforst*, in praesentia Hagonis comitis. Comitatum ipsum ab hoc malli publici loco deinceps dictum infra videbimus.

OTTO

(*q*) *Acta acad.* vol. I, pag. 293.

(*r*) In *cod. diplom. Lauresham.* vol. III, num. 3444.

(*s*) Ibidem vol. I, num. 303, 532 &c.

(*t*) Pag. 239.

(*u*) *Schoepfl. Alsat. diplom.* num. CLI.

OTTO. Comitem hunc Spirigoviæ an. 982 in *Mundeveld* ſupra produximus. Wormatienſis Otto diſerte cum dicatur, Conradi II imp. avum fuiſſe intelligimus, adeoque ex gente Salica. Crollius Ottonis avum conſtituit Werenharium comitem ſupra laudatum. Otto

WOLFRAMUS. Steinwillare, Spirigoviæ vicus, in comitatu Wolframi comitis ponitur an. 992, nec non Oterbach & Turrenbach eodem anno. Vide ſupra in his locorum nominibus. Sed & an. 1006 idem comes Spirigoviæ præfuit, ut in *Gliſenwilre* oſtenſum. Wolfram.

BURGHARDUS. Humbraht & Gumbertus fratres manſum in *Wachenheim*, in pago *Spirichgouue* & in comitatu Burghardi comitis, ad altare S. Petri Wormat. tradiderunt ſub Azzechone epiſcopo. Chartam hanc, quæ inter documenta infra comparet, cum notis chronologicis careat, ex alia, quam Schannatus dedit (*x*), ad an. 1033 referimus, quod idem Azzecho epiſcopus, idem Ruthardus præpoſitus, idem Oppo decanus, iidem denique Diezmannus & Erlewinus præpoſiti in utraque rei geſtæ præſentes commemorantur. Burghardus itaque comes ſub Conrado II imp. Salica ex gente oriundo, Spirigoviæ præfuit. Burghard. Append. diplom. n. VIII.

HUGO II. Sub Henrico III ejusque filii Henrici IV initia Spirigoviam rexit Hugo comes an. 1046, ut in *Nuſsdorf* & *Luoch* ſupra docuimus (*y*), nec non an. 1051 in *Vrekkenveld* (*z*). Sexennio poſt Henricus IV Wormatiæ hærens prædia *Diteneshein* & *Herigesheim* in pago *Spirigowe*, *in comitatu Hugonis comitis* eccleſiæ Spirenſi duplici inſtrumento donavit (*a*). Hugo

Kk 2 HEIN-

(*x*) *Hiſt. Wormat.* probat. n. LIV.

(*y*) Vide ſupra pag. 243.

(*z*) Supra pag. 249.

(*a*) Pag. 234 & pag. 245.

Heinrich HEINRICUS. Sub eodem Heinrico IV imp. pagi Spir. comitem Heinricum nobis offerunt instrumenta duo cæsarea, quibus abbatiæ *Lintburch* & *S. Lamberti* in pago *Spirgowe*, *in comitatu Heinrici comitis*, III Kal. Sept. an. 1065 Einhardo episcopo Spir. adscriptæ sunt Goslariæ. Hugonem & Henricum comites finitima Alsatia inf. habuit uno eodemque cum Spirigovia tempore (*b*).

Desinit hic comitum nostrorum series, quod brevi post Henricus IV imp. „ duos comitatus, unum in *Luitramesforste* situm „ in pago, qui dicitur *Spirichgowe*, alterum in episcopatu Spi„ rensi pertinentem ad locum nomine *Vorechheim* cum omni utili„ tate, quæ inde provenire potest „ episcopis Spirensibus donavit, „ ita ut in comitatibus illis tale jus & potestatem deinceps „ habeant, qualem hactenus illic laici comites habuerunt. „ Facta hæc insignis donatio Spiræ II idus Jan. an. 1086.

Comitatus Vorechheim pagum Ufgoviæ, hic autem marchionatus Badensis nobilissimam partem comprehendit. Idem Henricus IV imp. prædium *Rotenvels* in pago *Ufgowe* in comitatu *Vorcheim*, Hermanni scil. comitis, an. 1102 Spirensi ecclesiæ contulit; quo ipso comitatum hunc ad laicos comites mox rediisse addiscimus. Imo marchionatus Badensis incunabula hic latere nobis videntur; quum Hermannus ille post patrem, Hermannum Cluniacensem, marchionum horum sator certissime fuerit, a Bada, Ufgoviæ castro, circa an. 1130 ipse primum cognominatus (*c*).

Comitatum nostrum Lutramesforst quod attinet, in episcoporum Spirensium potestate remansisse, literæ fundationis abbatiæ *Sunnesheim* (Sinsheim) an. 1100 docent, in quibus sane tum Offenbach, tum Ugulenheim, tum etiam Steinwilre, uti supra jam annotavimus, in *pago Spirgowi*, *in comitatu Spirensis episcopi*, diserte

Append. diplom. n. XII.

(*b*) *Schoepfl. Alsat. illustr.* tom. II, pag. 517 sq.

(*c*) Ejusd. *hist. Zaringo-Bad.* tom. I, pag. 285. Ignorabat autem illustris auctor hoc diploma cæsareum, nondum editum, quod maximi in rebus Badensibus momenti.

diſerte collocantur. Paulo poſt Conradus de Merlenheim bona ſua in pago Spir. in *comitatu Luitramnesforſt*, in villa Scurheim & Genſen Hirſaugienſi monaſterio obtulit (*d*) ; ubi primus inter teſtes *Eggebertus comes Spirenſis*, civitatis puto, non pagi. Ab hoc tempore nulla porro comitatus pagenſis mentio. Surrexit mox pro comitatu advocatia provincialis (*Landvogtey*) Spirigoviæ, prudens regum Germaniæ, juribus & ſubditis ſuis ut proſpicerent, inſtitutum. Et advocatia hæc privilegio imperiali ad Palatinos electores pervenit, uti ad Spirenſem eccleſiam comitatus.

APPENDIX DIPLOMATICA.

I.

Sigebertus rex omnium proventuum ſuorum in pago Spirenſi decimam partem eccleſiae Spir. adſcribit circa an. DCL (*e*).

SIGIBERTUS rex Francorum vir illuſter. Quicquit in Dei nomine ſerenitas regia pro eccleſiarum compendia vel in ſtipendia clerum aut alimonia pauperum perpenſatur, vel hoc, quod juxta Dei mandata adimpletur aut confirmatur, illud & in præſenti ſeculi luce poteſt præſtare auxilium, & credimus, quod in eterni itineris per intervencionem domnorum ſanctorum ſive duce Domino preparet in futurum. Igitur dum & confidimus, quod Dei debeat manere voluntas, & ut taliter cunctus populus de omnibus fructibus terre, ad ſancta eccleſia catholica per unumquemque

(*d*) *Cruſ. annal. Suev.* part. II, pag. 314.

(*e*) Chartam hanc vidit *Bruſchius de epiſc. Germ.* pag. 78, poſt quem ejusdem meminere *Eiſengrein chronolog. rer. Spir* lib. VII, pag. 137, *Simonis hiſt. epiſcop. Spir.* pag. 6, *Lehmann chron. Spir.* lib. III, cap. XV, *Cointius annal. eccleſ.* tom. III, pag. 163 & 596, *Gallia Chriſt.* tom. V, pag. 715. At nullibi integra legitur. Sigebertus, qui dedit, regnavit in Auſtraſia ab an. 638 ad an. 656. Autographum periit. In apographo, quod ſupereſt, deſideratur annus & dies.

annum debentur inferre, adeo ita quod juxta ad anteriorum regum quondam parentum noſtrorum decrevit devocio, ita Chriſto propicio manet noſtra deliberacio, ut de omnes fructus terre infra *pago Spirenſe*, quantumcunque fiſcus noſter continet, tam de annona, quam de vino, mel ſive jumenta, de porcos, quam & de omni reliqua ſolucione ad nos aſpiciencia, ſic & homines fiſci faciant decimas porcorum, qui in foreſtis inſaginatur, aut omne genus pecodum, quantum in ipſo pago Spirenſe ad fiſcos noſtros pertinetur, annis ſingulis ad eccleſiam *Nemetenſe*, ubi apoſtolicus vir pater noſter domnus PRINCIPIUS epiſcopus preeſſe videtur, decimus caput debeatur offerre, & adimplere, quatinus dum ipſe decimus annis ſingulis idem in ſtipendia clerum vel alimonia pauperum preſentemur. Credimus, ut creator omnium noſtrorum, noſtris uſibus, hic & in futuro ſeptempliciter hoc jubeat remunerare. Agite ergo, qualiter hoc, quod ſemper noſtra continet devocio, vel Dei manet voluntas ſemper in omnibus procuretis adimplere, qualiter nobis Chriſti gratia vel domnorum ſanctorum, ut confidimus, debeat pertinere, & ut nobis, quod abſit, ad offenſa Dei, aut noſtra non debeat pervenire. Et ut cercius vobis juniores ſucceſſoreſque noſtros preſens auctoritas inconvulſo ordine obſervetur, vel in omnibus debeatur permanere, manus noſtre ſubſcriptionibus ſubter eam decrevimus roborari.

II.

Ludovicus Germ. eccleſiae Spirenſi confirmat res in Anglahgeuue et in pago Spir. acceptas an. DCCCLXIV (f).

Ex autographo

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis HLUDOUUICUS diuina fauente gracia-rex. Si petitiones fidelium noſtrorum auribus ſereni-

(f) Referendum hoc diploma eſſe ad an. 864, indictio XII docet, cum annis regni XXXIII collata, quippe qui neque prius, neque ſerius id datum eſſe ſinunt.

ſerenitatis noſtræ accomodaverimus, non ſolum regium morem decentcr implemus, verum eciam eos procul dubio fideliores ac devociores in noſtro efficimus ſeruicio & ad æternam vitam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum ſollertia qualiter GEBAHARDUS venerabilis epiſcopus deprecatus eſt celſitudinem noſtram. ut ob mercedis noſtræ augmentum res quas Theodoldus dedit ad *Specchaa* in *pago Anglahgeuue* ad *Spiracenſem* eccleſiam. quæ eſt conſtructa in honore ſanctæ Mariæ. et res quas frater ſuus HILDEBERTUS dedit ad *Haganbah* in *pago Spirenſe* ad præſcriptam eccleſiam. vel quicquid isdem prædictus venerabilis epiſcopus Gebahardus in proprium adquiſiuit in quocunque loco ſit. per noſtræ auctoritatis præceptum totum in uſus fratrum Domino famulantium in cœnobio Spirenſe perpetualiter deſeruire decreviſſemus. Cujus petitioni ob amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti libenti animo aſſenſum præbentes decrevimus ita fieri. et iuſſimus ei fieri hoc noſtræ auctoritatis præceptum per quod decernimus atque iubemus ut præſcriptæ res quas Theodoldus dedit ad prænominatam eccleſiam. et res quas frater prædicti venerabilis epiſcopi Hildebertus dedit ad præfatam eccleſiam. et omnem proprietatem quam ſepe nominatus epiſcopus adquiſivit in uſus fratrum Domino famulantium in cœnobio Spirenſe perpetualiter deſerviant abſque alicujus contradicentis obſtaculo. Et ut hæc auctoritas decretionis noſtræ firmior habeatur & per futura tempora a fidelibus noſtris verius credatur & diligentius obſeruetur. manu propria noſtra ſupter eam firmavimus & anuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus.

Signum domni Hludouuici ſereniſſimi regis. HEBARHARDUS notarius ad vicem GRIMALDI archicapellani recognovi & ſubſcripſi.

Data XIII Kalend. Julii anno XXXIII regni domni Hludouuici ſereniſſimi regis in orientali Francia regnante. Indictione XII. Actum *Franconofurt* palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

III. *Ejus-*

III.

Ejusdem regis diploma, quo commutationem bonorum inter Gebahardum episcopum et Christianum comitem in pago Spirensi factam approbat an. DCCCLXVIII.

Ex apographo

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis HLUDOUUICUS diuina fauente gratia rex. Notum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus. noſtrisque præſentibus ſcilicet & futuris. qualiter venerabilis epiſcopus GEBAHARDUS ac CHRISTIANUS *comes* quandam commutationem inter ſe fecerunt. Dedit namque præſcriptus venerabilis epiſcopus Gebehardus Chriſtiano comiti vineam in *pago Spirenſe* ad carata una colligenda. de vino in villa quæ dicitur *Uuachenheim.* E contra vero in recompenſatione earundem rerum dedit prædictus Chriſtianus comes in eodem pago in villa quæ dicitur *Sciffeſtad* de terra jornales III. Unde & duas commutationes per noſtram licentiam factas nobis innotuerunt. Sed pro integra firmitate ac ſecuritatis ſtudio deprecati ſunt celſitudinem noſtram. ut hoc eis noſtræ auctoritatis preceptum ſcribere juberemus per quod decernimus atque jubemus ut quicquid pars juſte & rationabiliter alteri contulit parti ita deinceps unusquisque habeat teneat atque poſſideat ſuisque poſteris ad poſſidendum derelinquat. Et ut hæc auctoritas iuſſionis noſtræ firmior habeatur & per futura tempora a fidelibus noſtris verius credatur & diligentius obſervetur anuli noſtri inpreſſione ſubter eam iuſſimus ſigillari.

HEBARHARDUS cancellarius ad vicem GRIMALDI archicapellani recognovi & ſ.

Data VIII Kalend. Junii anno Chriſto propitio XXXVI regni domni Hludouuici ſereniſſimi regis in orientali Francia regnante. indictione I. Actum *Uuormatia* in Dei nomine feliciter amen.

IV. *Con-*

IV.

Conradus dux, Wernharii com. filius, bona et jura sua in Spira ac in villa Luzheim ecclesiae Spir. tradit an. DCCCCXLVI.

Unusquisque etenim noſtrum ex relatione fidelium intelligendo cognoſcit, ſi aliquid de re propria ad lòca ſanctorum tradere cupimus, eterna nobis premia Deo remunerante non deeſſe, qui dicit, centuplum accipietis, & vitam eternam poſſidebitis. Quapropter celſitudo nobilium, aliorumque hominum mentis intelligentia comperiat, qualiter ego CHUONRADUS *dux Wernharii comitis filius* cogitans Deo propitiante pro remedio anime mee parentumque meorum, tradidi manu poteſtativa ad altare Ste Marie Dei genitricis, quod in urbe, que vocatur *Spira* vel *Nemeta*, in ejus nomine & honore conſtructum eſt atque dicatum, quicquid hereditatis & predii ex parentum meorum traditione in eadem civitate habebam, & quod mihi ad partem & in jus poſt finem vite eorum cum conſenſu & unanimitate fratrum meorum adveniendō ceciderat, mox inſtanti tempore firmiter ac perpetualiter nulla contradicente ſeu reſiſtente perſona tenendum. Et ut hoc ad notitiam multorum perveniat, ſpecialiter ea omnia nominare non differo. Inprimis enim tribui cuncta mancipia, quæ inibi cum eorum procreationibus habebam, niſi tantum unam feminam, que vocatur Virrela, quam ego ad *Wormatiam* poſcens ſancti Petri, principis apoſtolorum ſuffragia donaveram, ad hec etiam monetam, que tota mee ſuccubuit proprietati, addideram, medietatem thelonei, nam altera pars ſemper erat illius loci pontificum. Sed etiam unam aream, ſaliſque denarium, quem volgus vocat *Salzfenninc*, ac picis denarium, qui aliter dicitur *Steinfenninc*, atque pro re den. hoc eſt *Flichtifenninc*, aſt namque vini denarium, qui Teutonica locutione *Amfenninc*, que tamen non ex habitatoribus illius civitatis, ſed ab extraneis, & de aliena patria venientibus diligenter ſunt acquirenda. Sed ad hec in villa *Luzheim* vocata hobas IIII tribui, atque omnem

Ex veteri apographo

poteſtatem intra civitatem & extra, que parentibus meis cum rebus prefatis, ex regali traditione & donatione, atque michi usque ad hoc tempus in proprietatem hereditatis ſuccubuit, ad preſcriptum altare, & venerabili REGINBALDO epiſcopo, ceterisque poſt eum illius pontificalis ſedis ſucceſſoribus ad eternum donum cum hereditario jure donavi, hoc eſt fures comprehendere ac tenere, & quicquid furtive rapuerint, & apud eos inventum, hoc totum ſit ad epiſcopi dominationem ſub ejus miniſterialibus viris inferendum, ut quicquid negotiatores, qui aliunde ex diverſis locis fluctivagando advenerint, navesque ſuas cum vinifero pondere vel aliqua cauſa onerare voluerint, aut incole civitatis lucrandi gratia ſimiliter exire temptaverint, a nullo alio licentia eſt acquirenda, niſi a ſolo pontifice illiusque miniſtris. Hec vero omnia ad prenominatum altare a me firmiter tradita, quamvis etiam pro eterno munere ſint perpauca. Preſtitit michi econtra ſupradictus antiſtes tam ex meo rogatu, quam & conſulto prudentiſſimi Wormatienſis eccleſie pontificis RICHGOWONIS, qui omnibus hiis cum ſuis fidelibus intererat factis, locum usque ad finem vite mee, qui vocatur *Rathereshеim*, in beneficium cum omni rerum integritate, que inibi habebantur, hoc eſt ſervos, ancillas, boves, vaccas, hobas VIIII & X, atque eccleſiam & cunctam decimationem dominicam, quam ad fratrum alimenta Dei genitrici ſervientibus in civitate Spira ſuccedit. Inſuper in loco *Thuringeheim* vocato, omnia, que quondam ſuus vaſallus Nodinc & Widegowo in beneficium habebant. Idem hobas XI atque eccleſiam, tantum decimatione excepta, quoniam eadem ad fratres ſupra memoratos pertinet, michi donando ſubjunxit. Itemque ad hæc in villa *Erfolteshеim* hobas III & molinam conceſſit, ea ſcilicet ratione & conventione, ut poſt obitum meum, quem nequeo niſi Deo miſerante preſcire, cuncta hec, que ab ipſo ſanctiſſimo preſule in cauſam beneficii ſuſcepi, confeſtim ad altare, ad quod prius conſtanter pertinebant, nulla reſiſtente perſona revertant. Acta eſt autem hujus traditionis actio in urbe *Spira* vel

Nemeta

Nemeta vocata III idus Martii ſub die Veneris coram prediƈto preſule & clero, ac toto populo, qui preſens affuerat inibi & teſtibus ſubnotatis, Adelbrath, Ceizzolf & ceteris. Anno autem Dominice incarnat. DCCCCXLVI Indiƈt. IIII regnante rege OTDONE anno XII ſub *comite et duce* CHUONRADO *Wernharii comitis filio*, qui hanc traditionem fecerat, ac apoſtolice ſedis Reginboldum epiſcopum litteris eam confirmare rogabat.

V.

Concambium bonorum inter Godefridum epiſcopum Spir. et Rudolfum virum nobilem an. DCCCCLX.

In Dei nomine omnibus ſanƈte Dei eccleſie fidelibus notum eſſe volumus, qualiter uir quidam *nobilis nomine* RUODOLFUS, & venerabilis preſul GODEFRIDUS Spirenſis eccleſie, quasdam inter ſe commutaciones & tradiciones, ad augmentacionis ac melioracionis utilitatem eidem eccleſie, cui paſtor eſſe dinoſcitur, amicabiliter fieri decreverunt, & ita ut ſermocinati ſunt, operum confirmacionem perfecerunt. igitur prediƈtus Ruodolfus mox manu poteſtativa, & cum licencia inviƈtiſſimi regis OTTONIS tradidit ad fundamentum, domumque ſanƈte Marie ſemper virginis, que conſtruƈta eſt in civitate *Spira* uocata pro remedio anime ſue, parentumque ſuorum & contra illius tradicionis firmitatem quam ipſe caute eſtimando, a prenominato preſule poſtulaverat quicquid in villa *Leimeresheim* nominata ex parentum tradicione & hereditaria juſtificacione habuit ac poſſedit, hoc eſt in edificiis, & mancipiis, curtilibus, in terris arabilibus, cultis & incultis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis aquarumque decurſibus, piſcacionibus, exitibus ac reditibus, cum una decimali eccleſia, & cum omni ſeruitute ac utilitate ad hec cunƈta pertinentia. Inſuper in villa *Ruolechesheim* dedit ſalicam terram curtemque dominicalem, ſed nihil tamen cum edificiis procuratam hobam ſervilem 1 & dimidium jornalem vinearum II. molinam. I. in *Offingan* hobam I in

Ex veteri apographo

in *Fischelingen* hobas III & dimidium in villa *Lacha* vocata, curtem dominicalem cum terra falica, & VIII jornales vinearum in *Otinesheim* hobam I jornalesque vinearum VIIII in *Nuzdorf.* Jornalem viniferum I in *Damheim.* Similiter in *Vozacheim* hobe dimidium. Insuper & hec cum sermonum iteracionibus quicquid in pago *Spirihgowe* habuit nullis rebus vel locis exceptis, nisi tantum unum hominem, qui purgacionis gladiorum artem sciebat, firma tradicione verborum ac stipulationis consuetudine, & sicut supra memoratum est, cum regis OTTONIS licencia ad prefatum altare donauit & tradidit in presencia *filiorum suorum* RUDOLFI & CUNRADI. Econtra vero dominus ac venerabilis pontifex Godefridus statim ut hec ita se habebant, ex locis sancte Marie, que sue potestati & digno presulatus officio suberant, eidem Ruodolfo sicut inter eos prius uerbositalis adunacio conuenerat, per manus aduocati RUOTHARDI tradidit in villa *Weningen* dicta hobas XXII. ac dimidiam cum mancipiis ad easdem hobas pertinentibus & cum omnibus iuste seruitutis utilitatibus, in villa vero *Wineswilere* nuncupata XX & II. jornales vinearum, in villulis autem que nominantur *Matra* & *Ulich*, ecclesias decimales II. hobasque XVI cum mancipiis ad easdem subsequentibus, ea videlicet racione sicuti inprimis apud ipsos condictum fuerat, quod idem Rudolfus utriusque tradicionis actionem firmiter sine ullius commutacionis vel contradictionis causa cunctis diebus vite sue in jus & proprietatis utilitatem possideret, post obitum autem suum, qui omnibus hujus seculi filiis futurus habetur statim sine ulla temporis dilacione utriusque tradicionis confirmacio cum cunctis rerum integritatibus, que tunc in illis locis haberentur, ad hoc almificum altare sancte Marie modo supradicto, atque ejusdem episcopi potestatem, qui tunc inibi esse videretur, firmiter & perpetualiter tenenda rediret, nulla resistente aut contradicente persona. Acta est autem hec tradicio publice in ciuitate *Spira* & in domo Domini coram altare sancte Marie in nona Maji coram populo & clero testibusque subnotatis, anno autem Dominice incarnatio-

nis

nis D. CCCC. L. X. Indictione III. regnante vero rege inuictissimo Ottone anno XXVI. *sub comite qui vocatur* ALTDUON & antistite predicto. Ego igitur indignissimus presbiter Winibertus ex jussu Godefridi episcopi scripsi diemque notavi.

VI.

Henricus II rex predium Jansonis manumissi in Spirigovia ecclesiae Spir. tradit. an. MVI.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis HEINRICUS diuina fauente clementia rex. Notum sit omnibus sanctae Dei ecclesiae fidelibus praesentibus scilicet & futuris. qualiter nos tam pro animae nostrae remedio. quam etiam pro venerabilis UUALTHERI sanctae Spirensis ecclesiae episcopi pio interuentu tale praedium quale Janso manumissus tenuit atque possedit. in nosque iudiciario jure hereditavit. ejusdem ecclesiae fratribus sanctae Mariae inibi seruientibus. hac praeceptali pagina in proprium donauimus. Situm vero in pago *Spirihgouue* nuncupato & in comitatu WOLFRAMMI comitis. in uillis autem *Glizenuuilere* & *Hohenstat* ac *Wolmodesheim*. seu ubicunque uidetur situm esse cum omnibus eiusdem praedii utilitatibus & appendiciis. nominatim mancipiis utriusque sexus. areis. aedificiis. terris cultis & incultis. pratis. pascuis. siue compascuis. seu apium pascuis. uineis. uinetis. silvis. aquis. aquarumque decursibus. molendinis. piscationibus. quesitis & inquirendis. seu omnibus que dici uel scribi possunt quoquo libet modo utilitatibus. Precipientes igitur ut praefatus Uualtherus venerabilis episcopus suique successores liberam dehinc habeant potestatem idem praedium tenendi. possidendi. commutandi. precariandi. seu quicquid sibi libeat omnibus modis de eodem praedio ad usum fratrum faciendi. Et ut haec nostrae traditionis auctoritas stabilis & inconuulsa permaneat. hanc nostri prae- Ex autographo

 cepti

cepti paginam inde conſcriptam manu propria roborantes ſigilli noſtri inpreſſione inſigniri iuſſimus.

Signum domni Heinrici regis inuictiſſimi.

EBERHARTUS cancellarius vice UUILLIGISI archicapellani recognoui

Data Kalend. Januarii anno Dominicæ incarnationis. MVI. Indictione III. anno uero domni Heinrici ſecundi regnantis. V. Actum *Polide* feliciter amen.

VII.

Traditio Hunbrathi in Wachenheim ad eccleſiam Wormatienſem circ. an. MXXXIII.

Ex chartulario Wormat. ſec. XII in bibliotheca Hannover.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus fidelibus præſentibus atque futuris, qualiter Hunbraht cum conſenſu atque condicto fratris ſui Gumberti unum manſum in villa & in marca *Wachenheim*, in pago *Spirichgouue* & in comitatu BURGHARDI comitis, in agris, in vineis, in pratis, in areis & in omnibus appenditiis, ad altare ſancti Petri Wormatienſis eccleſiæ poteſtativa manu contradidit, ea conditione, ut Gerhildi ſorori Gerhardi militis ejusque filio Ruoberto una præbenda talis in omni utilitate in præcariam usque ad finem vitæ ſuæ daretur, qualis uni fratrum Domno & ſancto Petro ſervientium tribuitur, & ſi quis eorum alteri ſupervixerit, illa integre potiatur. Si vero prædictus Ruobertus caſu aliquo aufugerit aut tale aliquid commiſerit, ut ſua præbenda careat, iſtam præcariam nunquam amittat. Si quem autem vel epiſcopum aut præpoſitum juxta conditionem prædictam hanc præbendam illis dare prægravet, uter eorum tunc vixerit, vel mater aut filius, manſum eundem poteſtative recipiat & inde quidquid ſibi placuerit faciat. Et ut hujus

hujus præcarii conditio firma & inconvulsa perhenniter maneat, AZZECHO hujus sedis episcopus hanc paginam sigilli sui inpressione insignire & corroborare præcepit. Acta est vero hujus præcarii conditio cum Azzechone ejusd. sedis episcopo atque RUTHARDO præposito, coram testibus subnotatis clericis & laicis, Sigewart, Diezzeman præpositus, Berenger præpositus, Erlewin præpositus, Eppo custos, Oppo decanus, Wolzo magister scolarum, Sigebodo, Diedo, Diederich, Francko, Gezzmannus, Eberhart, Wolfram, Ezelin, Constantin.

VIII.

Henricus III ecclesiae Spir. praedia sua in villis Nusdorff, Spirgescheid, Luterbach, Salhunbach, in Spirigovia sitis donat an. MXLVI.

In nomine sancte & individue Trinitatis. HEINRICUS divina favente clementia rex. Magnum quidem premii meritum apud conditorem omnium Deum procul dubio promereri speramus, si venerabilia loca prediis, rebusque possessionis nostræ aliis ad divine laudis honorem, sanctorumque ob commemorationem concesso tempore amplificamus. Proinde omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse volumus, qualiter nos pro remedio anime patris nostri CUNRADI imperatoris augusti beatissime in evum recordationis & matris nostre GISELE imperatricis auguste, simul etiam dilectissime conjugis nostre regine CUNEGUNDIS pie memorie atque pro nostra perpetua salute, contectalisque nostre AGNETIS scilicet regine, sancte Spirensi ecclesie in honore sanctissime virginis Marie constructe, in qua corpora patris nostri matrisque consepulta remanent, fratribusque inibi Dei servitio assidue vacantibus, quedam predia in villis *Nusdorf*, *Spirgesceid*, *Lutderbah*, *Salhunbach*, in pago *Spiragowe*, in comitatu HUGONIS comitis sita, cum ceteris adjacentibus villis, quas

Ex chartul. antiquo Spirensi.

quas sepedictus genitor noster in eodem pago & comitatu ullo modo acquisivit, nobisque hereditario jure reliquit, cum appendiciis suis, cum mancipiis, areis, edificiis, agris, vineis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, viis & inviis, quesitis & inquirendis, cum omni utilitate, que ullo modo inde poterit provenire, in proprium tradidimus, eo nimirum tenore, ut ejusdem ecclesie prepositus, ejusque successores cum consilio & consensu fratrum de pretitulatis prediis liberam dehinc potestatem habeant tenendi, commutandi, precariandi, vel quicquid sibi placuerit, ad usum fratrum inde faciendi. Si autem, quod absit, aliquis ejusdem ecclesie episcoporum aut sibimetipsi usurpare, aut alicui in beneficium dare, vel quoquomodo a servitio fratrum presumpserit abalienare, bis aut ter ab herede nostro & fratribus monitus, ut emendet, & si renuerit, sibique in ammonitione obedire contempserit, idem noster proximus heres dimidiam libram auri in publico pondere ad altare sancte Marie persolvat, sibique supradicta predia hereditario jure possidenda redimat. Et ut hec nostre traditionis, constitutionis auctoritas stabilis & inconvulsa omni evo permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria corroborantes sigillo nostro jussimus insigniri.

Signum domini Heinrici tertii regis invictissimi.

THEODERICUS cancellarius vice BARDONIS
archicancellarii recognovi.

Dat. VII idus Sept. anno Dominice incarnat. MXLVI. Indict. XIIII. anno autem domni Heinrici III. ordinationis ejus XVIII. regni vero VIII. Actum *Auguste* feliciter amen.

IX. *Hen-*

IX.

Henricus III ecclesiae Spir. villas Pillungisbach et Luoch in Spirigovia confert an. MXLVI.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis HEINRICUS divina favente clementia rex. Si ecclesias Dei dignis & congruis honoribus exaltaverimus easque amplificando sublimaverimus, divinitatis misericordiam nobis promptiorem & clementiorem adesse & prodesse non dubitamus. Quapropter omnium Christi nostrique fidelium universitati notum volumus fieri. qualiter nos pro remedio animarum scilicet genitoris nostri CHUONRADI piissimæ memoriæ imperatoris augusti, ac amantissimæ matris nostræ GISILÆ augustæ, nec non dilectissimæ conjugis nostræ CHUNIGUNDIS reginæ beatæ memoriæ, atque pro nostra perpetua salute contectalisque nostræ AGNETIS reginæ, sanctæ Spirensi ecclesiæ in honore beatissimæ Dei genitricis constructæ, in qua corpora patris nostri matrisque consepulta remanent, fratribusque inibi Dei servitio assidue vacantibus, quasdam villas *Pillungisbach* & *Luoch* dictas in pago *Spirichgowe* in comitatu HUGONIS comitis sitas, quas ex avia nostra ADELHEID dicta jure hereditario suscepimus, cum omnibus appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, agris, terris, cultis & incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, exitibus & reditibus, viis & inviis, quesitis & inquirendis, seu cum omni utilitate, que aut scribi potest, aut dici, in proprium tradidimus, eo nimirum tenore, ut ejusdem æcclesie prepositus ejusque successores cum consilio & consensu fratrum de eisdem villis liberam deinceps habeant potestatem tenendi, commutandi, precariandi, vel quicquid sibi placuerit, ad usum fratrum inde faciendi. Si autem, quod absit, aliquis ejusdem ecclesiæ episcoporum, aut sibimet ipsi usurpare, aut alicui in beneficium dare, vel quoquo modo a servitio fratrum abalienare præsumpserit, bis aut ter ab herede nostro & fratribus monitus, Ex autographo

ut emendet, & si renuerit, sibique in ammonitione obedire contempserit, idem noster proximus heres dimidiam libram auri in publico pondere ad altare sanctæ Mariæ persolvat, sibique supradictas villas hereditario jure possidendas redimat. Et ut hæc nostræ traditionis & constitutionis auctoritas stabilis & inconvulsa omni ævo permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domni Heinrici tertii regis invictissimi.

THEODERICUS cancellarius vice BARDONIS archicancellarii recognovi.

Data VII idus Sept. anno Dominicæ incarn. MXLVI. Indict. XIIII. anno autem domni Heinrici tertii ordinationis ejus XVIII. regni vero VIII. Actum *Auguste*.

X.

Heinricus IV praedium Herigesheim in Spirigovia ad altare S. Mariae ecclesiae Spir. tradit. an. MLVII.

Ex autographo

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis HEINRICUS divina favente clementia rex. Quicquid de temporali nostra substantia in Dominicum agrum seminamus, hoc messis tempore centuplicatum nos recepturos esse speramus. Proinde omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse volumus, qualiter nos pro remedio animæ patris nostri beatæ memoriæ HEINRICI scilicet imperatoris augusti ob interventum dilectæ matris nostræ AGNETIS imperatricis & ob devotum servitium fidelis nostri CHUONRADI sanctæ Spirensis æcclesiæ venerabilis episcopi quoddam predium *Herigesheim* nominatum in pago *Spirigouue* in comitatu HUGONIS comitis situm ad altare in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ in præfata æcclesia dedicatum cum omni-

omnibus appendiciis ſuis, areis ſcilicet, ædificiis, utriusque ſexus mancipiis, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, queſitis & inquirendis, paſcuis, compaſcuis, aquis aquarumve decurſibus, molis, molendinis, piſcationibus, ſilvis, venationibus, & cum omni utilitate, quæ ullo modo inde poterit provenire, donavimus, atque in proprium tradidimus, eo videlicet tenore, ut præfatus epiſcopus, ſuique ſucceſſores deinceps liberam habeant poteſtatem, prediƈtum predium obtinendi, commutandi, precariandi, vel quicquid ſibi collibuerit, quod ad utilitatem æccleſiæ pertineat, inde faciendi. Et ut hæc traditio ſtabilis & inconvulſa omni ævo permaneat, hanc kartam inde conſcriptam manu propria confirmantes, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Signum domni Heinrici quarti regis inviƈtiſſimi.

Uuinitherius cancellarius vice Liutpaldi
archicancellarii recognovi.

Data nonas April. anno Dominicæ incarnationis MLVII. Indiƈtione X. anno autem domni Heinrici regis ordinationis ejus tertio, regni vero primo. Aƈtum *Wormatie* in nomine Domini feliciter amen.

XI.

Henricus IV paternam donationem foreſti Luzhard confirmat et amplificat an. MLXIII.

In nomine ſanƈtæ & Individuæ Trinitatis Heinricus divina favente clementia rex. Si loca ab anteceſſoribus & parentibus noſtris divinis cultibus & officiis mancipata aliquibus bonis augemus aut confirmamus, id nobis & in preſenti & in futuro ſeculo prodeſſe non dubitamus. Quapropter notum eſſe volumus omnibus Chriſti noſtrique fidelibus tam futuris quam preſentibus, qualiter nos pro remedio animæ patris noſtri piæ memoriæ Heinrici Ex autographo

 impe-

imperatoris, nec non ob petitionem fidelis noſtri EINHARDI ſanctae Spirenſis eccleſiæ epiſcopi, ceterorumque regni noſtri principum, epiſcoporum, ducum, comitum, conſilio atque interventione quoddam *foreſtum Luizhard* nuncupatum, a prædicto genitore noſtro H. imperatore ad monaſterium ſanctæ Mariæ in Spira quondam traditum & confirmatum, locis infra ſubnotatos terminos ſitis adauximus ac melioravimus, ſcilicet de prænominato foreſto *Luizhard* usque in *Waldorf*, & inde in *Oſteresheim*, inde autem in fluvium *Suuarzaha*, & per decurſum ejusdem fluvii usque in *Renum*, deinde ex ulteriori ripa Reni in *Lancwadum flumen*, ac ſic per aſcenſum hujus fluminis usque ad aliud antiquum foreſtum *Reckholz* nomine; ex altera autem parte ab eo loco, ubi *Horebach* Renum intrat, per aſcenſum ejusdem amnis Horebach usque in *Lengenueld*, de Lengenueld vero in *Suuebengheim*, ubi curtis eſt *Widegouuen*, inde autem ad flumen *Spira* dictum, & juxta Spira ſurſum usque in *Vogeſum*. Hæc ejusdem foreſti aucmenta cum banno etiam noſtro prædictæ ſanctæ Spirenſi æccleſiæ donavimus & confirmavimus, ea videlicet ratione, ut præfatus epiſcopus ſuique ſucceſſores tali deinceps lege ac proprietate his additamentis noſtris utantur, quali idem epiſcopus illo antiquo foreſto *Luizhard* hactenus eſt uſus. Ut ergo hæc noſtra regalis traditio firma & inconvulſa omni permaneat ævo, hanc cartam inde conſcribi, manuque propria, ut inferius cernitur, corroborantes ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Signum domni Heinrici quarti regis.

FRIDERICUS cancellarius vice SIGEFRIDI archicancellarii recognovi.

Data eſt II kal. Febr. anno Dominicæ incarnationis MLXIII. Ind. I. anno autem ordinat. domni Heinrici quarti regis VIII. regni vero VI. Actum *Wormatie* in Dei nomine feliciter amen.

XII. *Jo-*

XII.

Johannis episcopi Spir. literae de fundatione abbatiae Sunnesheim an. MC.

Ex chartul. antiquo Spir.

Notum sit omnibus tam futuri quam presentis temporis fidelibus. quoniam ego JOHANNES ex divina clementia Spirensis ecclesie presul licet indignus construxi abbatiam in proprio allodio meo in pago *Elezenzgowi* in comitatu comitis BRUNONIS *Sunnesheim* dicto a parentibus meis michi hereditario jure relicto, ob mee meorumque patris & matris aliorumque meorum ibidem sepultorum anime remedium in honore sancte & individue Trinitatis & sancte Dei genitricis Marie & sancti Michaelis archangeli & omnium sanctorum, & precipue illorum, quorum ibidem reliquie continentur. Dotavi autem eandem ecclesiam diversis meis prædiis consentiente & laudante herede mea, filia videlicet fratris mei comitis CEIZZOLFI ibidem sepulti, dicta ADELHEID, que etiam sua predia eidem ecclesie devotissime tradidit. dotavi igitur Deo & sancto Michaëli aliisque sanctis, quorum ibidem patrocinia celebrantur, ad usum fratrum ibidem famulantium, quicquid ibi predii & decime & alicujus juris habui, & preterea *Steinvort*, *Asbach*, *Richardeshusen*, in pago *Elezenzgowi*. *Mencingon*, *Ensilinheim*, in pago *Cregowi*. *Zeizolfeswilre*, *Lenzingon*, *Durminzi*, *Cussilbrunnin*, in pago *Enzgowi*, in comitatu comitis BRUNONIS. *Buelon* in pago *Hedenegowe*, in comitatu comitis GODEFRIDI. *Offenbach*, *Bebingon*, *Servilingan* in pago *Spirgowi*, in comitatu Spirensis episcopi. *Alezenzi* in pago *Nachowi* in comitatu comitis EMECHONIS. *Guntramesheim* in pago *Wormesfelt* in comitatu comitis EMECHONIS. Cognata quoque mea sua predia eidem ecclesiæ donavit, videlicet *Ugulenheim* in pago *Spirgowi* in comitatu Spirensis episcopi, *Immeleshusin* in pago *Elezenzegowi*. *Enzeberch*, *Dagelvingon* in pago *Enzegowi*, in comitatu comitis BRUNONIS. Has omnes curtes cum omnibus ad easdem curtes pertinentibus, cultis & incultis, silvis, pratis, molendinis, aquis,

aquarumque decursibus, venationibus, piscationibus, exitibus & reditibus, & omnibus justitiis, quibus nobis servierunt, & omnibus familiis, exceptis ministerialibus, eorumque prediis & beneficiis, ecclesie *Sunnischeim* & fratribus ibidem Deo servientibus in proprium dedimus. Quoniam autem cetera predia nostra Spirensi ecclesie tradidimus, ad usum quidem episcopi *castrum* nostrum *Meisterfele* cum silva & villa circa castrum sita, nec non omnes ministeriales nostros cum ipsorum prediis & beneficiis; ad usum vero Spirensium fratrum curtem nostram *Steinwilre*, idcirco cum eadem abbatia predictis prediis dotata ad sanctam Spiren. ecclesiam confugimus, eamque Spirensi ecclesie in proprium delegavimus, ea videlicet ratione, ut Spirensis episcopus & ecclesie & abbati & fratribus, & omni familie clemens & benignus in omnibus patronus assit, & ab eadem abbatia utpote a nobis libertate donata nihil omnino servitii exigat, defunctoque ejusdem loci abbate fratribus alium sibi patrem de suo cenobio libere permittat eligere, eundemque, quem eligant, & non alium eis patrem proponat. Omnes autem parochianas ecclesias ad eandem abbatiam pertinentes ab omni episcopali servitio absolvi, ut sicut Spirenses fratrum ecclesie ab omni census exactione sunt libere, ita & ab hiis nichil tributi ab episcopo queratur. Preter hec parochiane ecclesie, que est in Sunnescheim, singulare dedi privilegium, ut nullus ibi ab episcopo choriepiscopus, sed abbas cum presbitero omnem ibi rem ecclesiasticam tractet, & si quid ei obsistat, ipse ante episcopum deferat. Jus etiam advocati michi placuit subscribi, ut videlicet nullum ibi episcopus constituat, sed abbas per se ipsum, quemcunque voluerit, eligat, qui nullum sibi exactorem substituat, sed ipse ter in anno *Sunnescheim*, & non sepius, nisi ab abbate rogatus, item ter in anno *Durminzi*, & non sepius, nisi ab abbate rogatus, ad placitum veniet, & abbatem in causis necessariis strenue juvet, libere placitante & banniente villico abbatis. Ad ipsum autem advocatum tam de furtis & violentiis, & de prediis familiarum ecclesie pertineat agere, & quicquid in hujus-

hujusmodi placitationibus acquirat, ipſe tertiam partem, abbas vero duas accipiat. In hiis ſingulis ſex placitis det ei abbas ad ſervitium unum malderum panis & friſſingum, qui valeat xxx nummos & v pullos & ſex caſeos, & xx ova, & unam ſitulam vini, & duas cerviſie & vi maldera avene. Curtem autem *Steinwilre*, ut predictum eſt, in pago *Spirgowi*, in comitatu Spirenſis epiſcopi, cum omnibus utilitatibus ad eandem curtem pertinentibus, fratribus in ecclesia ſancte Marie Deo famulantibus donavi, exceptis miniſterialibus, eorumque prediis & beneficiis, & exceptis tribus libris, quas Wolfdrigel de eadem curte a me accepit, ut eis, quamdiu vivat, libere utatur. Eo obeunte eedem libre ſine omni contradictione in poteſtatem fratrum redeant, & exceptis ſex hobis, quarum duas fratribus de ſancto Germano, duas vero fratribus de ſancto Widone, duas fratribus de ſancta Trinitate, ut eis libere ad ſuos uſus utantur, delegavi, ut videlicet ſingulis annis in anniverſario meo, quicquid inde utilitatis exquirere poſſunt, inter ſe diſtribuant. Conſtitui etiam, ut de eadem curte VIII diebus quotannis fratribus de ſancta Maria & de ſancto Germano, & de ſancto Widone, & de ſancta Trinitate ad ecclesiam ſancte Marie ad vigilias in nocte & miſſas in die celebrandas convenientibus communiter ſerviatur, videlicet in anniverſario conſanguineorum meorum, HERMANNI colonienſis archiepiſcopi, nec non WOLFRAMMI patris mei, AZELE matris mee, ZEIZOLFI fratris mei, ADELHEDIS & JUDDE filiarum predicti fratris mei. In ſingulis autem anniverſariis fratribus ad ſervitium dabuntur II maldera & dimidium de tritico & II hame vini, & quatuor porci, & IIII porcelli, duo majores & II minores, & xv pulli galli & xv caſei & LXX ova. Sin autem anniverſarius, qua caro non comeditur, evenerit, piſces xxx ſolidorum dabuntur, & in dominico quoque ſervitio libra piperis, & quacunque die anniverſarius contigerit, in eadem die ſervicium vel caro vel piſces dabuntur. Hoſpites vero ſcolares cum fratribus in refectorio refectionem ſuſcipient, in ſingulis vero anniverſariis c pauperibus

bus c panes dabuntur, qui parabuntur de duobus malderis ſiliginis, & due hame cerviſie & unus bacho, in anniverſario autem imperatoris, item in meo pauperibus in elemoſinam dabuntur IIII maldera ſiliginis & IIII hame cerviſie & III bachones. Definitum eſt etiam, ut neque ullus epiſcopus meus ſucceſſor, neque aliquis advocatus in eadem curte & in hiis, que ad eandem curtem pertinent, ullum omnino jus habeant, ſed libera omnia poteſtate fratrum ad ſervitia ſuperius expoſita conſiſtant. Recepit autem predicta comitiſſa Adelheid cognata mea a me pro parte ſui predii in precariam curtem eccleſiæ *Veningon*, ab abbate *Ugelenheim*, *in Beleshuſin*, *Enzeberch*, *Dagelvingun*, hiis quamdiu vivat, libere utetur, ea obeunte epiſcopus *Weningon*, reliquas curtes abbas recipiat. Huic traditioni teſtes interfuerunt ipſe imperator HEINRICUS & complures principes illius, FRIDERICUS videlicet Colonienſis archiepiſcopus, LIEMARUS Premenſis archiepiſcopus, BURCHARDUS Baſilienſis epiſcopus, OTTO Argentinenſis epiſcopus, CUONO Wormatienſis epiſcopus, HEINRICUS Podelbrunnenſis epiſcopus, WIDELO Mindenſis epiſcopus, *dux* FRIDERICUS, *marchio* BURCHARDUS & alii quam plures. Ad majorem autem noſtre traditionis corroborationem preſentem cartam meo ſigillo ſigillari precepi. Facta VIII idus Januarii anno ab incarnatione Domini MC. Indict. VIII. regnante Heinrico tertio imperatore auguſto anno XLVI. imperante autem XV. Johanne vero epiſcopo anno decimo Spiren. eccleſie preſidente. Acta *Spire* in nomine Domini feliciter amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO

de duellis et ordaliis veteris Franciae Rhenensis.

Auctor
Jo. Daniel Schoepflinus.

WORMATIA & Moguntia, veteris Franciæ Rhenensis civitates regiæ, decimo & undecimo seculis, portentosa judiciorum Dei, ut vocabantur, repræsentarunt spectacula. Wormatiæ comitia totius Germaniæ regni an. 950 indixerat Otto M. tum nondum imperator. Turbulentus Italiæ status, mortuo rege Lothario, invitaverat Ottonem, regnum illud Germanico ut regno conjungeret. De expeditione hac deliberatum est Wormatiæ in magno omnium ordinum Germanici & Lotharingici regnorum conventu. Inter deliberationes has Conradus quidam, Eberhardi comitis filius (g), thrasonicæ audaciæ juvenis, eo usque temeritatis progressus est, ut sermones, famam & castimoniam regiæ neptis lædentes, Wormatiæ & ubique locorum disseminarit. Ignotum est regiæ virginis nomen. Reprimenda calumnia. In re tam gravi maluit rex more majorum judicem solum intervenire Deum. Res decidenda duello. Prodiit Saxonici sanguinis juvenis herôs, Burcardus comes, regiæ virginis innocentiæ vindex. Calumniatorem provocat, aggreditur, prosternit, occidit; redintegrata regiæ principis fama. Res gesta Februario mense, ut Reginonis continuator observat.

Nn Bar-

(g) Decimi ejusdem seculi initio Adelbertus Bambergensis comes ab Eberhardo quodam comite apud Francos orientales duello peremptus est, ut ad an. 902. docet Regino. Eberhardus filium reliquit Cunonem, qui idem cum Cunrado nostro, quem Burcardus prostravit, extitisse videtur. Reginonis continuator an. 948.

Barbarum hunc lites dirimendi morem *morem Francorum* appellat vitæ Ludovici Pii anonymus, ſed coætaneus auctor. Mos ex Germania cum Francis in Galliam; cum Anglo-Saxonibus in Britanniam; cum Gothis in Italiam Hiſpaniamque tranſivit. Burgundiones (*h*), Alemanni (*i*), Ripuarii (*k*), Saxones (*l*), Longobardi (*m*), ſuis omnes legibus publica hæc duella probarunt.

Octennio ante noſtrum Wormatienſe duellum idem Otto rex in Saxonicis comitiis Strelæ (*n*) juridicam queſtionem, in hereditate avita nepos patrem repræſentare num poſſit, duello decidi curavit. Nepotibus favit duellum.

Alphonſus VI Caſtiliæ & Legionis ſec. XI rex, dubius, Mozarabica liturgia aboleri num debeat & introduci Gallicana, propoſuit duellum. Mozarabica vicit, ut Toletanus archiepiſcopus Rodericus teſtatur (*o*).

Barbaræ nationes, Romanum quæ deſtruxerant imperium, ferox ſuum juris dicendi genus non mutarunt, ad ſacra quoque chriſtiana progreſſæ; res dubias, Deo ipſo judice, decidi debere credentes. Vocata hinc *judicia Dei, ordalia, urdellae*, quæ tanta cum ſuperſtitione invaluerant, ut imperatores, reges, reginæ, omnis hierarchicus ordo ſe iisdem ſubmitteret. Neque vero res modo peracta duellis. Adhibitus ignis, ferrum candens, aqua ſervida

(*h*) *Lex Burgund.* tit. 45.

(*i*) *Lex Alemann.* tit. 44. 56. 84.

(*k*) *Lex Ripuar.* tit. 5.

(*l*) *Specul. Saxon.* lib. I art. 63. lib. II art. 16.

(*m*) *Lex Longobard.* lib. I tit. 10 & 15.

(*n*) *Witichind.* lib. II. *Strela* ad Albim ſita, Miſenam inter & Torgaviam.

(*o*) *De rebus Hiſpaniae* lib. VI cap. 26.

fervida, frigida, offa judicialis, caseus execratus, ut innocentia probaretur (*p*).

Centum annis post Wormatiense, quod exposui, duellum, sub cæsare Henrico III, Leone IX papa præsente, memorabile ordalium vidit Moguntia. Pontifex, Dagsburgicis Alsatiæ comitibus ortus, ecclesiarum Germaniæ statum compositurus, Moguntiam advenerat Roma. Synodus magna celebrata Moguntiæ, imperatore præsidente, ut Lambertus Schafnaburgensis, illo tempore vivens, diserte testatur. Sigeboth, Spirensis episcopus, multorum criminum Romæ & in Germania accusatus, post varias deliberationes sacra tandem communione, coram cæsare & papa, se solenniter purgavit. Declaratus est innocens (*q*).

Lotharingiæ duces inter antiqua & singularia domus suæ jura reputarunt privilegium, solennibus præsidendi duellis, Mosam inter & Rhenum; jus hoc sibi, ut *Marchisiis* Lotharingiæ, competere credentes. Id Lotharingicæ domui repetitis diplomatibus cæsares firmarunt (*r*). Nullum tamen singularis juris hujus, in Francicis Rheni partibus exerciti, mihi exemplum occurrit.

Duellicis judiciis longe crudeliora fuerunt celebrata illa Westphaliæ judicia, quæ *secreta* vocabantur. In his reus inscius, accusatus, non vocatus, non auditus, non visus, a judicibus occultis damnatus; ubicunque prehensus, suspensus est furca,

 accu-

(*p*) Probationes has Agobardus, seculo nono Lugdunensis antistes, libro, qui hodieque extat, damnaverat, sed barbara consuetudo prævaluit.

(*q*) Lambertus Schaffnab. ad an. 1050, in *Pistor. scriptor. rer. Germ.* tom. I, pag. 119.

(*r*) Alphonsi electi Germaniæ regis literas investituræ Friderico II duci Lotharingiæ datas an. 1258 vide apud *Leibnit. cod. jur. gent. diplom.* pag. 18 & apud Calmet *dissert. sur le titre de marchis*, quæ extat tom. V *histoire de Lorraine* pag. 2.

accusatorem & supplicii sui causam ignorans. Inhumanum hunc Germaniæ morem Maximilianus cæsar, pacis publicæ stator, aboluit. Populi Europæ, post tot secula ad sanam mentem redeuntes, publica duella & reliqua ordalia aboluerunt. Iis uti justitia Dei vindex præsidere credebatur, ita torneamentis sola gloria præsedit. Sed & hæc certantibus cum funesta haud raro essent, breviter post cessarunt.

Vom

COMITATU NEMORIS

als einem kurpfälzischen lehen der herzoge von Gülch (s)

von

Christoph Jacob Kremer.

Eum in finem Eduardus III Antverpiæ & Lovanii constituerat sedem, Belgicos proceres ut in suas partes pertraheret, illisque comitatus bellum Galliæ regi ex Belgio inferret. Guilielmo nostro id datum negotii, ut in fœdus regis & societatem armorum, quoscunque posset, ex proceribus pelliceret (*n*). Brabantus, Hannonius, Geldrus, Artesius, Flandriæ civitates, Artevellii, cerevisiarii Gandavenses, persuasione ad rebellionem contra comitem suum, Galliæ vasallum, concitatæ Eduardo promiserant opem; omnia se facturos professi, si consentiat cæsar (*o*).

Tum vero Britannus arctiori fœdere Guilielmum nostrum sibi devinxit, & annuos mille quadringentarum librarum Anglicarum reditus illi promisit, si bona materna a Gallis fisco fuerint addicta (*p*). Bona hæc in Biturigibus potissimum sita, Virsionensi dynastia aliisque ditionibus constabant, quæ Johanna Virsionensis (*q*), Guilielmi avia, ad Brabantinos, & per filiam Elisabetham ad Juliacenses transtulerat (*r*). Guilielmum paulo post Eduar-

(*m*) *Walsingham* in *ypodigmate Neustriae* pag. 512 jam an. 1336 inter Ludovicum Bavarum & Eduardum coaluisse fœdus perhibet.

(*n*) *Rymer* tom. 2 part. 3 p. 157.

(*o*) *Froissart* vol. I, cap. 33 & 36.

(*p*) *Rymer* tom. 2 part. 3, p. 170, 179. Publicatio illa bonorum paulo post locum habuit. Unde Eduardus 3 Angliæ rex an. 1366 Guilielmo, Guilielmi nostri filio, annuas mille quadragintas sterling. libras in compensationem bonorum aviæ attribuit. *Rymer* tom. 3 part. 2 p. 112.

(*q*) *Jeanne dame de Vierzon en Berry, de Mesieres en Brenne, de Liurays & autres belles terres.* Johanna hæc filia unica fuerat & heres Hervei domini Virsionensis postremi. *Anselme histoire genealogique* tom. 2 p. 794.

(*r*) *Butkens trophées de Brabant* pag. 577.

Eduardus ad cæſarem miſit legatum, atque ex Britannica nobilitate plures legationis ſocios illi adjunxit.

Britannus quod petebat, Guilielmus obtinuit, redux circa kal. Novembres (*s*). Obtinuit fœdus, ineundum inter cæſarem & regem præſentes, quod an. 1338 evenit (*t*). Ex comitiis Francofurto Confluentiam (*u*) ſe contulit cæſar menſe Septembri, Eduardum excepturus venientem ex Belgio. Plerique procerum, archiepiſcopi tres, epiſcopi ſex, duces quatuor, comites 37, milites 17000, ſocii fuerunt itineris. In conventu hoc imperii vicarius per Galliam Belgicam conſtitutus eſt Eduardus (*x*). Confluentia cæſar cum Eduardo deſcendit Coloniam (*y*), ubi in eccleſia majore fœdus ſeptennale jurejurando firmatum eſt. Agebatur de mutuo auxilio adverſus Gallum præſtando. Cæſar Belgis injunxit, ut præſto eſſent Eduardo, imperii vicario, quotiescunque eos ad expeditionem adverſus Gallos evocaverit (*z*). Cæſari quater centum millia florenorum majorum promiſſa magnamque partem præſenti ſoluta ſunt (*a*). Eduardus, imperii

(*s*) *Froiſſartus* cap. 33 ait: „Le marquis de Juliers & ſa compaignie trou„ verent l'empereur à Florebech. Adde cap. 35.

(*t*) *Rymer* T. II P. 3 p. 191 & T. II P. 4 p. 26. *Froiſſart* vol. 1 cap. 33.

(*u*) Extat charta Eduardi data Confluentiæ 6 Sept. ap. *Rymer* loco alleg. pag. 35.

(*x*) *Albertus Argent.* ad an. 1336 ſcribit, cæſarem & Eduardum in villa *Rens* conveniſſe. Factum id eſſe Francofurti, ſcriptores anonymi vitæ Benedicti XII apud *Baluzium* in *vitis pap. Avenion.* T. I p. 201, 228 tradunt. Eduardus in literis ad comitem Hannoniæ an. 1339 ſcriptis ſe vocat: *Vicaire de S. Empire de Rome* ap. *Rymer* T. II P. 4 pag. 50, *Froiſſart* l. c.

(*y*) Colonienſis, non Confluentini, conventus meminit *Walſinghamus* in *ypodigmate Neuſtriae* p. 513.

(*z*) *Knyghton de eventibus Angliae* inter *Twysdeni ſcriptores* p. 2571 ſq. *Pontanus hiſt. Gelricae* lib. VII pag. 225.

(*a*) *Rebdorf* ad an. 1339.

rii vicarius, Guilielmum nostrum marchionem, Johannem Brabantiæ ducem, ut & Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ comites ipsius jus in Franciæ regnum prosequi jussit; eosdem per totum hoc regnum *locumtenentes*, capitaneos & vicarios generales constituens (*b*). Supersunt literæ, quibus Guilielmo, pro opera & studio impensis, speciatim gratias agit Eduardus (*c*). Sunt & aliæ, quibus eundem Guilielmum ad pacem cum Philippo Valesio ineundam eodem anno nominavit legatum (*d*); sed ruptis paulo post tractatibus, Anglus revocavit mandatum (*e*).

Sed & mille libræ Britannicæ ei quotannis sunt assignatæ. Assignatæ præterea singulis diebus, quibus in Germania negotia pro Anglo geret, octo libræ, non comprehensis extraordinariis impensis, quas pro arbitrio marchionis se persoluturum Eduardus promisit.

Syngrapha hæc duo Antverpiæ dedit Eduardus an. 1339 die 28 Novembris (*f*), præsente Guilielmo marchione. Decimo post die (8 Decemb.) in eadem urbe rex nova beneficia addidit, marchio damna, in Gallicis expeditionibus accepta, cum ipsi exposuisset (*g*).

In chartis his Anglus marchionem appellat: *Noble prince, Williame markis de Julers, nostre chier amé et féal frere, pur l'amur et la grant affection et faveur, qu'il nous porte.* Impositæ tum Wilhelmo partes, ut de gravissimis rebus coram ageret cum Ludo-

(*b*) *Rymer* T. II P. 3 p. 182. Notat Albertus Argent. cæsarem scripsisse ad Gallum, ut a terris ab imperio pendentibus abstineat, quod feuda illa non recognoverit, addens recognita fuisse ab Eduardo.

(*c*) *Rymer* ibid. pag. 17.

(*d*) Ibid. pag. 24.

(*e*) Ibid. pag. 28.

(*f*) Extant apud *Rymerum* T. II Part. 4 pag. 57.

(*g*) Ibid. pag. 58.

Ludovico imp. & responsum ejus in Angliam ad regem deferret. Præmio laborum promissa *Comitis Angliae* dignitas, quæ cum certis reditibus in heredes transiret.

Accessit anno sequenti *Angliae Paris & Comitis Cantabrigiae* honor cum mille libratis terræ (*h*), tumque inducias inter Eduardum & Philippum Valesium Guilielmus conciliavit, firmavit (*i*). De continuandis his induciis cum Valesio tractandi potestatem ei deinceps largitus est Eduardus (*k*), ac vicecomiti Cantabrigiæ injuxit, ut Guilielmo nostro, Cantabrigiæ comiti, de reditibus comitatus viginti libras annuatim exsolveret (*l*).

Illustre hoc Guilielmi quinquennium nos docent Britannorum annales & acta, in quibus memoria ejus florebit ad posteros. Ludovicus cæsar vicariatum imperii Eduardo regi commissum quum a. 1341 aboluisset (*m*), Guilielmus tamen affini suo constanter adhæsit. Nam quadrienno post cum aliis Angliæ proceribus ad Ludovicum cæsarem profectus est, ut de novo foedere cum ipso conveniret (n); uti mox cum Galliæ rege ejusdem Eduardi regis nomine iterum tractavit (*o*). An. 1347 Rainaldo III Gelriæ duci ætate minori tutorem præfecit & sum-

(*h*) *Rymer* T. II. P. IV, pag. 74. & tom. III, P. I. pag. 88. Comitis dignitas apud Anglos tum viguit. Eduardus III titulum *ducis* in regno suo introduxit, quum filium suum primogenitum Eduardum creasset Cornvalliæ vel Cronubiæ ducem, per sertum, annulum & virgam auream. Primum hoc *ducis* medio ævo apud Anglos exemplum. Vid. *Camdenus* in *Britannia*, pag. 118, *Spelmannus* in *glossario* pag 192. *Seldenus* de *titulis honorum* exhibet diploma creationis pag. 506.

(*i*) *Rymer* pag. 83.

(*k*) An. 1341. Ibid. pag. 100.

(*l*) Ibidem pag. 111.

(*m*) *Rymer* T. II. P. 4, pag. 104. *Walsinghamus hist. Angliae* pag. 160

(*n*) Ibidem pag. 190.

(*o*) An. 1346. Ibidem pag. 206.

summo id Eduardus cum studio egit, ut Elisabetham, marchionis filiam, conjugem duceret Rainaldus, repudiata Maria Brabantina, cum qua plures ante annos sponsalia contraxerat. Eduardus rex & Guilielmus marchio indemnem se praestituros esse Rainaldum professi sunt, si ob rupta sponsalia vim intulerit Brabantinus. Sed in alia omnia discessit Rainaldus; qui spreta Juliacensi, cum Maria Brabantina matrimonium complevit (p). Ludovicus imperator his ipsis temporibus diem supremum obiit. Successit Carolus IV gloriae & dignitatis Guilielmi strenuus pariter novusque promotor.

Caroli IV imp. beneficia

Vetus Bataviae, Zelandiae, Frisiae & Hannoniae comitum prosapia a. 1345 interiit. Postremi comitis soror, Margaretha, Ludovici imp. uxor, comitatus hos transtulit ad Bavaricam domum. Quartam tamen eorum partem uxoris suae nomine Guilielmus a Carolo IV in feudum obtinuit. Literae investiturae datae sunt Moguntiae an. 1348 (q). Infelix hic ille annus est, quo Juliacum oppidum gravi terrae motu subversum est (r), & ipse Guilielmus custodiae mancipatus a filio Gerardo; Balduini Trevirensis aliorumque procerum ope libertatem mox recuperaturus (s).

Caesar mox consiliarium intimioris sui consilii ipsum creavit, addito singulari privilegio, ut simili vestitu quotidie uteretur

(p) *Pontanus hist. Gelricae* Lib. VII, pag. 257. *Rymer* T. III. Part. I, pag. 10.

(q) Eodem anno Balduinus Trevirensis archiep. castrum *Wermich* in Juliacensi ditione coëmit atque Wilhelmo nostro in feudum perpetuum contulit. *Gesta Balduini* in *Baluz. miscel.* T. I, p. 154. De praefectura Aquensi, Kaiserswerda, aliisque imperii pignoribus, a Carolo IV acceptis, vid. *Teschenmacher annal. Cliviae, Jul. Mont.* pag. 398.

(r) *Magnum chronicon Belgicum* pag. 328.

(s) *Gesta Balduini* lib. III, cap. 9. Auctor horum gestorum captivitatem Guilielmi marchionis in annum 1348 refert. *Pontanus hist. Gelricae* annum 1360 indicat; at Balduinus, cujus interventu libertatem recepisse scribitur Guilielmus, jam a. 1354 e vivis excessit; unde praeferenda est anonymi narratio.

retur, quo utitur cæſar; promiſſa porro inveſtitura primi, quod vacaturum ſit ubicunque, feudi cæſarei, Auſtria, Bavaria, Miſnia, Brandeburgico marchionatu, Saxonia & Tiroli exceptis. Chartam hanc Carolus dedit Agrippinæ Coloniæ an. 1349, d. x Febr. Diplom. num. VI

Tot beneficiis colophonem denique impoſuit cæſar, *Ducem* quum creaſſet Guilielmum in iisdem comitiis Metenſibus an. 1357, in quibus Auream Bullam imperii publicavit. Ita Trithemius (*t*). Diploma cæſareum hujus rei deperditum, nobis ſaltem inquirentibus nullibi proditum eſt. Anno ſequenti literæ Ruperto ſeniori, electori Palatino datæ Trajecti ad Moſam, quibus Wilhelmus declarat, quod licet Carolus imp. ipſum „ tunc „ marchionem Juliacenſem, ad altioris principatus gradum, „ videlicet ducem & principem Juliacenſem, provexerit gratioſe, „ ac dominatum in Falckenberg in verum comitatum de novo.... „ converterit... prout hæc & alia in literis imperialibus ſuper „ eo .. traditis plenius ſunt expreſſa„ ſua hac ſublimatione nihil deceſſurum eſſe vinculo feudali, quo Palatinis electoribus fuerit atque manere velit cum ſuis ſucceſſoribus adſtrictus (*u*). Idem Rupertus ſenior cum ſuo ex Adolpho fratre nepote, Ruperto II, comitatum Nuvenarienſem Wilhelmo noſtro contulerat in feudum an. 1343, augmentum inſigne beneficiorum veterum, quæ Juliacenſes Palatinis accepta referebant & adhuc referunt (*x*). Dux

Obiit Guilielmus VII an. 1361, princeps cum majores ſuos tum ſucceſſores longe præcellens virtutibus. Trithemius (*y*) eum ita de- Mors

(*t*) *Chron. Hirſaug.* ad an. 1356. Aventinus, Trithemii coætaneus, lib. VII *annal. Bojor.* cap. 18 epocham marchiæ cum ducali confundit.

(*u*) Literæ hæ in codice diplom. *Teſchenmacheri annal.* num. 144.

(*x*) Inſtrumentum Rupertinum in calce hujus diſſertationis exhibetur ex autographo, num. V.

(*y*) *Chron. Hirſaug.* ad an. 1339. Guilielmi elogium extat quoque in literis Eduardi III regis ad Guilielmum filium datis an. 1366, apud *Rymer* T. III, P. II, pag. 112.

defcribit: „ In marchionem fublimatus fuit propter merita & „ fidem, quibus & imperatori gratus & cunctis principibus habebatur honore dignus. Erat enim vir prudens, juftus & pius, „ domi confilio circumfpectus & in rebus bellicis longo exer- „ citio expertus.

Guilielmi uxor fuit Johanna, Guilielmi III Hollandiæ comitis filia, cujus foror Philippa Eduardo III regi Angliæ nupfit; altera Margaretha Ludovici Bavari imp. fuit uxor. Mater earum fuerat Johanna, Philippi Valefii, regis Galliarum foror. Affinitates hæ profperos Guilielmi noftri fucceffus multum promoverunt. Flios habuit tres, Gerardum, Guilielmum atque Reinoldum, & filiam Johannam. Gerardus atque Guilielmus in aulam Anglicam anno 1351 iter inftituerunt. In literis, quibus fecuritatem itineris rex Angliæ præftitit, Gerardus vocatur *marchionis Juliacenfis primogenitus, comes de Mountz & de Ravensberg* (z). Enimvero Gerardus conjugem duxerat Margaretham, Bergenfis & Ravensbergenfis comitatuum heredem, ex qua filium fuscepit Guilielmum, qui primus Bergenfium dux a Wenceslao imp. creatus eft. Juliacenfis autem ducatus poft obitum Guilielmi VII, qui filio natu majori Gerardo fuerat fuperftes (a), in filium poftgenitum Guilielmum tranfivit, poft fexaginta demum annos ad Bergenfes duces, Gerardi fobolem, rediturus (b).

AP-

(z) *Rymer* T. III. part. I, pag. 66. Gerardus hic an. 1345 fubfcripfit literis, quibus Guilielmus pater marchio Juliacenfis caftrum Lutzheim Johanni de Vorft in beneficium conceffit. *Gudeni cod. diplom.* T. II, pag. 1100.

(a) Gerardus anno 1360 in fingulari certamine periit, ab Arnulpho Blanckenheimenfi dynafta cæfus *Butkens Trophées de Brabant* pag. 584.

(b) Gerardi nepos, Adolphus, Bergenfis dux, Guilielmi VIII Juliacenfis filio Rainaldo in ducatu Juliacenfi fucceffit an. 1423.

APPENDIX DIPLOMATICA.

I.

Maria Brabantina, Philippi III Audacis, Galliae regis, vidua, Godefridi Brabantini fratris hereditatem inter filias ejus dividit an. MCCCV.

MARIE par la grace de Dieu royne de France. A tous ceus qui orront & verront ces presentes lettres salut. Sachent tuit, que en partage & en la diuision des successions nostre treschier frere Monsieur GODEFFROY de *Brabant* iadis segneur d'*Arscot*, & JEHAN de *Brabant* son filz jadis segneur de *Virson*, faite ordenee & prononcee par nous entre MARIE Contesse de *Julers*, YSABEL fame GIRART de *Julers*, AALIS fame JEHAN de *Harecourt*, & BLANCHE fame BERTAUT de *Malines* filles & hoirs du dit Monf. Godefroy, & suers & hoirs du dit Jehan de Brabant, les queles ou l'auctorité de leur mariz, & leur mariz meismes sen estoient mis de haut & de bas en nous. Quant au deniers que le dit Monf. Godefroy prenoit par an au *Louure* sur nostre segneur le roy deismes pronunciames & ordenamas que les diz deniers se partiront entre elles chief a chief. Item que la dite Marie Contesse de Julers aura la terre de *saint Truc* tout enterinnement sans ce que ses dites soeurs ne leurs mariz, ne leurs hoirs, ne ceus qui cause auront de eus ou de aucun de eus y puissent ne ne doiuent auoir ou demander partie a heritage ou a vie, & aussi li demourront enterinnement les trois cens liures de rente que Monf. Godefroy auoit sur le conte de *Hennaut*, gicele maniere que la charge de siscenz & cinquante liures, que Henry de *Serruc* cheualier prent a sa vie sur les deniers de rente que le dit Monf. Godefroy auoit au Louure a *Paris*, cherra sur la dite Marie Contesse de Julers tant comme la partie de la dite rente se estent, & du remanant elle deliurera ses autres partoniers. Item ordenames

que pour la reſon du chaſtel de *Mazieres* & de un fix qui eſtoient deu a la dite Marie conteſſe de Julers pour reſon de amneeſte, vint & cinc liures que Yſabel fame Girart de Julers deuoit prendre ſur ſa partie des deniers du Louure pour reſon de la monnoie de *Virſon* ſi comme ci deſſor eſt dit li demourront. Item ordenames que le droit & le proufit de faire la monnoie a Virſon demourra à la dite Marie Conteſſe de Julers enterinnement, & pour reſon de ce chascune de ſes ſuers prendra chaſcun an vint & cinc liures tor, ſur ſa portion des deniers quelle prent au Louure a Paris, exceptée la part que la fame au dit Girart de Julers y deuoit prendre, la quelle partie pour le chaſtel & le fix de Mazieres demouront a la dite Marie conteſſe de Julers ſi comme deſſus eſt dit. Item ordenames que la dite Yſabel fame Girart de Julers aura les vint & cinc liures que Blanche fame Bertaut de Malines deuoit prendre au Louure pour la reſon de la monnoie de Virſon. Item ordenames que Marguerite fille iadis du dit Monſ. Godefroy ſeur de Legliſe de *Lonchamp* aura & tentra cent liures de rente que le dit Monſ. Godefroy li donna a ſa vie, & auecques ce ordenames, que Jehanne ſa ſuer fille au dit Monſ. Godefroy aura trois cens liure de terre pour reſon de ſa partie des dites auenues & eſcheoites, les queles cent liures dune part & trois cens dautre les dites Marguerite & Jehanne tendront toute leur vie & les prendront tous les ans des deniers du Louure, & celle qui ſuruiura lautre les tendra tout enterinnement tout le cours de ſa vie, & quant elles ſeront mortes toutes deus les cent liures demourront a heritage a la dite Egliſe de Lonchamp, & les autres trois cens liures reuendront entre les dites parties & ſeront parties egaulement. Et ce nous feſons ſcauoir a tous ceus aus quiex il put appartenir par ces preſentes lettres ſcellees de noſtre ſcel. Donné a *Paris* lan de grace Mil. CCC & cinc le mardi feſte S. Mahy (*c*) lapoſtre.

II.

(*c*) Id eſt, S. Matthæi apoſtoli, cujus feſtum an. 1305 incidit in diem Martis, XXI Sept.

II.

Ludovicus IV imp. Wilhelmum ex comite creat marchionem Juliacensem, & jus praeferendi sceptrum caesari cum quatuor officialibus, moneta & silva illi concedit an. MCCCXXXVI.

LUDOVICUS quartus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus. Universis sacri Romani imperii fidelibus presentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum. Augustalis sublimitas que ex potestate desuper sibi tradita potens est rerum ordinem immutare, si hos quos sanguinis generositas, morum honestas, actuum probitas dignos demonstrant, amplis dotat honoribus, eos videlicet in suos & sacri imperii principes procreando, per hec ipsius gloria & serenitas per cuncta mundi climata longé latéque claret clarius & refulget. Sane cum illustris WILHELMUS, qui cuiusque progenitores usi sunt hactenus & gauisi comitatus titulo & honore, ex multis suis progenitoribus & cognatis de regali stirpe, & principum sanguine processerit & sit ortus. notum esse volumus universis tam presentis etatis hominibus quam future, quod eundem Wilhelmum, quem propter genealogie sue, fidelitatis indefesse constantiam, grata servitia & accepta per eum nobis & imperio prestita, & que adhuc prestare poterit in futurum, merito fauore prosequimur singulari, de plenitudine nostre imperatorie potestatis adhibitis solemnitatibus debitis & consuetis in *Principem & Marchionem Juliacensem, ac ipsius Comitatum in Marchionatum* fecimus & facimus, creamus & creauimus ipsum suosque posteros & heredes ex eo legitime descendentes, in signum sui principatus hoc officio honorantes & hac prerogatiua specialis honoris omnibus aliis nostris & imperii principibus preferentes, ut videlicet cum nos vel successores nostros parlamenta solemnia vel curias publicas habere, ad que vel quas nostros & imperii principes ac fideles alios pro quacunque imperii necessitate vel utilitate duxerimus convocandos, seu

cum

cum pro exercendis actibus solemnibus, puta infeodatione principum vel eorum creatione de nouo & aliis consimilibus, indumentis-regalibus vel imperialibus indui nos continget, cumque successores nostri in Romanos reges electi in opido *Aquisgrani*, in civitate *Mediolani* & in urbe *Rome* coronari debebunt, ipse vel sui heredes regie vel imperiali majestati assistere, & *sceptrum regale vel imperiale* pro augustalis culminis obsequio portare debeant & tenere. Preterea pro Marchionatus & principatus eorum obsequio atque usu ad instar aliorum principum nostrorum *quatuor officiatos* infra scriptos & eorum heredes, videlicet strenuos viros Theodoricum Schimman de *Aldenhouen* pro dapifero, Nyriconem de *Birgel* pro marscalco, Henricum primogenitum Henrici Pincernæ de *Froitzheim* pro pincerna, & Gerardum de Pomerio pro camerario. monetam etiam quam cudi & monetari facere poterunt & debebunt. cujus quidem monetæ maior denarius duodecim, minor vero denarius sex hallenses debet soluere & valere. nemus vulgariter dictum *der Reichs-Waldt* à nobis & imperio in feodum descendens, quod incipit apud monasterium sancti Cornelii, & protenditur usque ad castrum *Monioye*, sepedicto Wilhelmo marchioni suisque heredibus damus, assignamus, & de potestate imperialis celsitudinis deputamus. Volumus insuper ut omni iure, libertate & honore, quibus alii marchiones nostri & imperii principes quicunque usi sunt hactenus & gauisi, vel adhuc uti poterunt in futurum, sepedictus Wilhelmus marchio Juliacensis, suaque posteritas ex eo legitime descendens modo & forma similibus cunctis temporibus futuris sine quovis impedimento uti libere debeant pariter & gaudere. In cuius rei testimonium & robur perpetuum atque firmum presentes conscribi, & nostra bulla aurea, signoque nostro consueto iussimus communiri. Actum & datum in castris prope *Landowe* feria quarta post assumptionem beate Marie anno Dominice incarnationis millesimo CCC tricesimo sexto, regni nostri anno vicesimo secundo, imperii vero nono.

III.

III.

Rudolphus comes Palat. Rheni dignitatem Principis & marchionis, Wilhelmo Juliacensi comiti collatam probat an. MCCCXXXIX.

Nos RUDOLFUS dei gratia comes Palatinus Rheni dux Bavariæ sacrique imperii archdapifer. notum esse volumus uniuersis quod sublimationi & creationi illustris domini domini WILHELMI *comitis Juliacensis in principem & marchionem*, ac aliis gratiis & libertatibus eidem per serenissimum dominum nostrum dominum LUDOVICUM Romanorum imperatorem factis & concessis, prout in litteris suis super hoc traditis suis bullis aureis roboratis plenius continetur, ex certa scientia nostra prebemus assensum beneuolum pariter & fauorem harum nostrarum testimonio litterarum. Actum & datum in *Franckenfurt* anno Domini M. CCC. XXXIX feria secunda proxima qua cantatur Judica. (*d*)

IV.

Carolus IV imp. Wilhelmo marchioni Juliacensi quartam partem provinciarum Hannoniae, Hollandiae, Frisiae atque Selandiae, Wilhelmi Hollandiae comitis morte apertam, in feudum hereditarium confert an. MCCCXLVIII.

Wir KARL von Gots gnaden Romischer Kunig zu allen ziten merer des Riches vnd kunig zu Beheim. Veriehen vnd tun kundt offentlich mit diesem brieff allen den die in sehent hörent oder lesent, das wir angesehen haben magschaft fruntschaft vnd rechte

(*d*) Eodem modo consenserunt Heinricus archiep. Mogunt. literis datis Francofurti die beati Gregorii 1339, Baldewinus archiepisc. Trevirensis, Johannes rex Bohemiae, Rudolfus dux Saxoniae, Ludovicus marchio Brandenb. omnes eodem die, id est, XII Mart. cum quo tum quoque convenit feria II ante Judica, in Rudolfi Palatini literis notata.

liebe die wir zu dem hochgebornen Wilhelm Markgrafen von *Gülich* vnſerem furſten vnd vnſerem lieben neuen ingetragen haben vnd noch lieplich vnd fruntlichen tragen, vnd leihen im zu einem ewigen erblehen das vierteil der lande *Henigouwe*, *Hollant*, *Frieslant* vnd *Zelant*, die gehabt hat ſeliger gedechtnuſse Wilhelm etwan Graf von *Hollant* vnſer lieber Nefe als verre als es an in vnd an ſein weip vervallen iſt, vnd vber das alle recht die wir haben zu dem viertheil die an vns von des Richs wegen vervallen ſin, die geben vnd verliehen wir im von ſunderlichen gnaden. Mit vrkund dis brieffs verſiegelt mit vnſſerm Kuniglichen inſiegel, der geben iſt zu *Meintze* nach Chriſtus geburt dreizehenhundert vnd in dem achten vnd viertzigſten Jar an der mitwochen vor ſant Agneſen tag, in dem anderen iar vnſſerer Riche.

V.

Rupertus ſenior & Rupertus jun. comites Palatini Rheni, Wilhelmo marchioni Juliac. comitatum Nuwenar concedunt in feudum an. MCCCXLIII.

Ex autographo

Wir Ruprecht der Elter -- vnd Wir Ruprecht der Junger Herzoge Adolfz ſeligen ſun von Gotz gnaden *Pfallantzgraven uf dem Rine vnd Hertzogen zu Beygern*. Verjehen offenbar an diſem briefe: daz wir umbe ſunderlichen gunſt vnd fruntſchaft die wir han zu dem hochgeborn fürſten hern Wilhelm Marggraven ze *Gülich*.. So haben Wir für vnz vnd unſer erben mit gutem vorrate unſer mage, ratz frunde vnd man, im vnd ſinen erben in hermeniſche ſeiner lehen. die er von vnz ze lehen hat laſs vnd lidig ze rehtem lehen gegeben vnd geben die Graveſchaft von *Nuwenar* ſo wie die gelegen iſt, mit allem irm zu gehörende niht vſsgeſcheiden.. So wie man die ſelb Graveſchaft von vnz, von unſern altern ze lehen gehalten hat. vnd

noch

noch heltet. vnd alle die reht die an vnz oder unſer erben von der vorgenanten Graveſchaft von Nuwenar in waz . . . wiſe daz ſi oder wer kommen. oder vallen möhte. . Vnd ſol der vorgenante Marggraue vnd ſine erben dieſelbe Graueſchaft von Nüwenar von vnz vnd unſern erben mit andern ſinen lehen halten vnd haben. . Vort ſo bekennen wir daz wir uf die vorgenannte Graveſchaft von Nuwenar vnd die lehenſchaft davon vnd alle die reht die an vnz vnd unſer erben erfallen mögen in vrber (*q*) dez vorgenanten Marggrauen vnd ſiner erben verzigen han vnd verzihen . . alſo daz wir wellen, daz man dieſelbe Graveſchaft ſo wie ez vorgeſchriben iſt von dem Marggraven vnd ſinen erben vorgenante ze rehten lehen enphahen vnd halten ſol zu eweclichen dagen. Vnd geben des zu eime waren vrkunde diſen brief beſigelt mit unſern groſſen ingeſigeln. . Der geben iſt ze *Cobelencie*, dez Jars da zalte nach Cryſtus geburde druzehen hundert Jar vnd darnach in dem driu vnd vierzigeſten Jaren an ſante Johannes abent Baptiſten dez heiligen zwelfbotten.

VI.

Carolus IV imp. Wilhelmum march. Juliacenſem in amicum & conſiliarium intimum ſuſcipit, & ut eodem, quo caeſar, veſtitu utatur, largitur an. MCCCXLIX.

Wir Carll von Goitz genaden Romiſcher Kunig zu allen zyten merer des Richs vnd Konig zu Behem, veriehen und thun kunt offentlich mit dieſem brieue allen den die in ſehen horen oder leſen, dat wir hauen angeſien die ſtede luiter truw, ind den getruwen willigen dienſt des hogeboren Wilhelms Marcgraven zu *Gülich* vnſers lieben neuen vnd furſten damit er vns von liebe vnd ſonderlicher fruntſchafft geehret hat, in der berichtegunge

(*q*) Hoc eſt, in utilitatem, commodum aut emoluenmtum.

gunge ind fruntlicher vereinigunge die zwischen vns ind dem durchleuchtigsten fursten dem Konige von *Engellandt* vnssern lieben frunde geschehen ist, ind ouch in allen anderen sachen die er mit fleissigen truwen mit grosser last ind arbeit gen vnseren ind des Richs Fürsten, Graven, Freien, Heren ind Stetten zu vnsern ehren geworben hat, die von synen wegen in vnseren gehorsam bracht ind komen syn ind noch sich erbeut mit voller bereitigkeit zu allen vnsern sachen vorderlicher ind fruntlicher wan iemandt anders gethan hat vnder allen vnsern frunden ind getruwen. ind darumb nemen ind empfahen wir in zo eyme *besonderen Frunde* ind zo eyme vnseren sonderlichen *heymelichen ind innewendigen Rhate*, ind willen von vnsern kuniglichen genaden das er *vnser kleider in glycher gestalt als wir sy haben zo vnserem lybe mit vns tragen ind haben solle*, deweile wir leben, ind vnser geselle syn ind heischen solle, zu vrkunt ind verbuntenis rechter liebe ind warhafter fruntschafft damit wir in begriffen haben ind stedeclich meinen wollen durch syner vesten truwen ind steter dienste willen. Ind vber das globen wir festiglich mit vnseren kuniglichen truwen, mit den wir dem heiligen Ryche verbunden syn ohne geferdt, das wir in widder allermenniglich die in selber syne landt ind lute verheren, verunrechtigen, oder sust in eynige wyss beschuldigen wolten als offt als im des noit geschiet, mit guten truwen bygestendig ind geholffen syn wollen, glicher wyse als vns selber, vnd des nit lassen durch iemantz wille wie er genent sy. Were ouch das vns ind dem Rych einigerlei Furstenthumb landt ind herrschafft van doitswegen oder sust in andere wege verviele, so globen wir das wir in damit vor allen anderen luiten niemantz vissznehmen verlehnen ind begaben wollen, ind in der geweldig machen mit vnser kuniglicher gewalt, ohngeferdt, vissgenomen den landen ind herrschaften *Oesterreich*, *Steyirn*, *Kernthen*, *Bayeren*, *Meissen*, *Brandenburg*, *Sachsen ind Tyrol*. Auch geloben wir im gutlich zu doen sonderlich mit gaab, hilff ind rhat, ind mit allen anderen gnaden vor

aller-

allermenniglich vmb das er vns mehr truwen ind dienſtes erzeigt ind bewieſen hat wen iemantz anders. Darnach globen wir mit den vurgenanten vnſeren kuniglichen truwen das wir keine groſſe merkliche ſache in geynen dingen immer angreiffen vollenziehen oder enden wollen ind ſullen: den mit ſynem beſunderlichen rhat. Ind darumb gebieten wir allen vnſern frunden ind getruwen die zu dieſemmahl durch vnſern willen thun ind laiſſen, oder in kunfftigen zyten thun ind laiſſen werden das ſie dem vurgenanten vnſerem lieben neuen ind Fürſten als vnſern lieben geſellen ind beſonderen heimlichen Rhate ehre ind wirde in aller ſtat ind zu allen ſtunden erbieten ſollen, ind im beigeſtendig geholffen ind furderig ſyn widder allermenniglich niemantz vſſzunemen, zu allen ſynen ſachen als offt des noit geſchiet, ind wen ſie des ermant werden gelicher wys als vns ſelber, wen alles das ſie gen im thun oder thun werden, achten wir ind meinen das es vnſeren koniglichen wirden geſchehen ſy vmb ſonderliche fruntſchafft ind ſtede liebe die wir zu im tragen, ind vmb getruwen ſteten dienſt ind fruntliche meinunge die er vns offentlichen ind alleweg erzeiget ind beweiſſet hat mit groſſen ſteden fleiſse. Jnd des zu vrkunt ind zu gedechtnis geben wir dieſen brieff mit vnſerem kuniglichen inſiegel. Der gegeben iſt do men zalte nach Chriſti geburt dreuzienhundert ind in dem nuin ind viertzigſten Jair, in der ſtatt zo *Collen* an St. Scholaſtice tag der heiliger Jungfrauwen, im dritten Jair vnſer Ryche.

DISSERTATIO

de Evangelii D. Marci codice apud Venetos. (e)

Auctor

Jo. Daniel Schoepflinus.

Historia codicis.

Veneta divi Marci ecclesia, a patriarchali distincta, in thesauro suo codicem evangelii Marciani custodit, quem evangelistæ autographum esse vetus traditio est (*f*). Marcus Roma profectus Aquilejam ut redderet Christianam, Codicem hunc vel attulisse, vel Aquilejæ exarasse perhibetur. Andreas Dandulus, Venetorum dux an. 1338 electus in chronico suo (*g*) traditionem hanc refert, vetustioris chronici Gradensis ecclesiæ auctoritate innixus, cum quo chronicon Aquilejense consentit (*h*). Seculo quintodecimo Forojuliensis provincia cum Marciano codice pervenit ad Venetos.

Peregrinatores rerum curiosi eum avide quærunt, sed conglutinatum & in massam redactum inveniunt. Grandius Venetus, vir solide doctus, qui publico jussu inspexerat codicem, Gilberto Burneto, erudito Brittanno, an. 1685 professus est, non potuisse se divinare, græca an latina lingua scriptus sit codex (*i*). Maxi-

(e) Lecta Mannhemii d. 24. Maii 1769, in solenni academiæ Palatinæ panegyri.

(f) *Acta Sanctor. Bollandi* mensis April. tom. III. pag. 347.

(g) Lib. IV. cap. I. apud *Murator.* tom XII, pag. 13. Corpus D. Marci an. 828 Alexandria Venetias translatum, sub Justiniano duce. *Dandulus* Lib. IV, cap. 2. Lib. V, cap. 5. Lib. IX, cap. 9.

(h) *Bernhard. de Rubeis* in *monumentis ecclesiae Aquilejensis*, append. num. 2.

(i) *Burnet voyage* de *France et d'Italie* pag. 25. Burnetus his a Grandio intellectis codicem neglexit.

Vol. III. ad pag. 326.

SPECI PRAGENSIS
EVMARCI

p 21.

etsecundusac
eametmortuu
etnecisterelio
semen
ettertiussimi
rexerint
cuiusdehiseri
uxorseptem
habuerunt
uxorem

respondensihs
ntillis
nneideoerratis
nonscientes
scribturas
nonlegistisinli
bromoysisuper
rubum
quomododixerit
illidsinquiens

Weis sc.

Maximil. Missonius græca scriptum fuisse credidit (*k*). Bernard. Montefalconius (*l*) & Scipio Maffejus codicem latina lingua exaratum fuisse recte statuerunt, at male conjectati sunt, chartam ejus fuisse vel philyram, vel Nilo - Aegyptiacam, papyrus quæ proprie vocabatur, non Pergamenam membranam.

Equidem fragmentum hoc sollicite examinans ab utroque dissensi, sed judicium distuli, donec fragmentum, Pragæ quod servatum sciebam, inspiciendi mihi fieret copia. Undecim post annos (1738) illud tandem inspexi, primamque ejus paginam ad amussim delinenavi. Delineationem dissertationi sub jungo. Post aliquot lustra serenissimus Palatino - Bipontinus princeps, Fridericus, Rei militari apud Bohemos præfectus, apographum totius fragmenti a capitulo metropolitanæ Pragensis ecclesiæ dono accepit; qui illud Galeano principi, Galeanus augusto nostro Electori donavit. Fragmenti Pragensis ope materiam, formam, omnemque indolem Veneti codicis corrupti cognoscimus, qualis fuerat ante corruptionem. Conservationem illius Carolo IV imp. debemus, qui Romanam petiturus coronam ex Bohemia appulit Utinum mense Octobri an 1354 (*m*).

Fragmentum Pragense.

Urbs hæc carnorum Foro - Juliensis provinciæ, ab eo tempore, quo Aequileja ab Hunnis eversa, patriarcham accepit; hanc-

(*k*) *Voyage d' Italie* Tom. I, pag. 212.

(*l*) *Diarii Italici* Cap. V, pag. 55. ait. „ Codex confectus ex philyra „ seu papyro Aegyptiaca multo tenuiore, quam codex Josephi Medi- „ olanensis. „ Intelligit codicem Mſ. Josephi, qui in bibliotheca Ambrosiana servatur. Philyra tenuissima membrana est tiliæ inter corticem & lignum; ex qua veteres composuerunt chartæ speciem, a papyro vel Niliaca charta distinctam. Mabillonius in *Itinere Italico* tom. I, pag. 31, evangelium St. Marci vidisse se scribit, sed indolem ejus non describit.

(*m*) *Matthaeus Villani* Lib. IV, cap. 27, & *Cortusiorum historia* L. XI, cap. 1. Villanius apud *Muratorium rer. Ital.* T. XIV. Cornusii ibid. tom. XII, pag. 943.

hancque dignitatem Nicolaus, cæſaris frater naturalis, tum occupabat. Cæſar theſaurum patriarchalis eccleſiæ inſpiciens, precibus ſuis facile obtinuit, ut quaterniones poſtremi duo diſtraherentur à codice, ſibique dono traderentur. Carolus Erneſto, eccleſiæ Pragenſis antiſtiti, literis, Feltriæ in marchia Tarviſina ſcriptis, donum annuntiavit his verbis: „ Invenimus librum „ evangelii S. Marci latinis literis in ſeptem quaternis propria „ ejusdem S. Evangeliſtæ manu conſcriptum; cujus duos „ quaternos ultimos inſtantia magnarum precum obtinuimus „ &c. (*n*).

Subjungit cæſar, Ludovicum de Hohenloh quaterniones propediem allaturum eſſe Pragam. Jubet, ut archiepiſcopus cum univerſo Pragenſi clero ad recipiendos eos procedat ex urbe. Recepti ſunt ſolennibus ceremoniis ac in altari majore cathedralis eccleſiæ reconditi, ubi hodieque ſervantur (*o*).

In fine fragmenti evangelii Carolus hæc manu ſua ſcripſit (*q*): „ Ego Karolus quartus Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus & Boemie rex vidi librum euuangeliorum ſancti „ Marci de ſua propria manu ſcriptum integrum ab inicio usque „ ad finem, in ſeptem quaternis in poteſtate patriarche & eccleſie „ Aquilegienſis qui liber in dicta eccleſia fuit ſervatus a beato „ Her-

(*n*) Extant hæ literæ in *Bollandi actis ſanctorum*, tomo III. menſis Aprilis ad diem XXV, pag. 355. Error eſt in anno. Scriptæ enim non anno 1355, ſed 1354, in vigilia omnium ſanctorum anno nono regnorum. Nec recte hæc ordinat Bernhardus de Rubeis, in *monumentis eccleſiae Aquilej.* pag. 18. Solemnitas deſcripta in epiſtola ipſius Nicolai patriarchæ, de qua infra.

(*o*) Petrus Ludewigius credidit, Bohemicis bellis Pragenſe fragmentum periiſſe. Vide *Reliquias manuſcriptorum*, ab eo editas, tom. V, pag. 574.

(*p*) Notitiam hanc dedit, ſed non exacte, Montefalconius in *Diario Ital.* pag. 57. Ex autographo eam ipſo deſcripſi.

„ Hermacora & ab ecclesia Aquilegiensi predicta usque in ho-
„ diernum diem, qui videlicet beatus Hermacoras de manu be-
„ ati Marci eundem librum accepit, & a beato Petro per resig-
„ nationem & intercessionem sancti Marci recepit presulatum
„ predicte Aquilgiensis ecclesie optinui istos duos quaternos ul-
„ timos libri predicti, & alii quinque precedentes remanserunt
„ in ecclesia supradicta & hec scripsi manu mea propria anno
„ ab incarnato verbo millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto
„ in vigilia omnium sanctorum regnorum meorum anno nono.

„ Et Ego Marquardus Dei gratia episcopus Augustensis in
„ testimonium veritatis premissorum omnium manu mea propria
„ me subscripsi.

„ Et ego frater Egidius Dei gratia episcopus Vincentinus & co-
„ mes in testimonium veritatis premissorum omnium manu mea
„ propria me subscripsi.

„ Et ego Johannes gratia Dei Luthomischliensis episcopus in
„ testimonium veritatis premissorum omnium manu mea pro-
„ pria me subscripsi.

Idem cæsar pro theca aurea, margarithis ornanda, bis mille destinavit florenos. Reliqui quaterniones quinque in ecclesiæ patriarchalis thesauro remanserunt, donec Forojuliensis provincia, Aquilejensis ecclesiæ tum subjecta ditioni, sub Ludovico patriarcha una cum Aquileja, Foro Julio, Utino an. 1415 jure belli transierit ad Venetos, qui omnem fere Dalmatiam suo tum quoque subjecerunt imperio (*q*). Quinquennio post Marcianus codex Foro Julio ad Venetos translatus est. Docent hæc literæ, quas Thomas Mocenicus Venetorum dux, mense Majo an. 1420 ad proceres Forojuliensium civitatis perscripsit (*r*); in quibus petit Fragmentum Venetianum.

Tt

(*q*) Marinus Sanutus in vitis ducum Venetorum, Italice scriptis, apud *Murator.* tom. XXII. *Sabellicus hist. rerum Venetarum* decad. II. Lib. IX, pag. 466. *Justiniani hist. Veneta* pag. 105.

(*r*) Literas has a Justo Fontaninio Montefalconius accepit, atque *diario*

petit, ut corpori D. Marci, quod Veneta respublica possidet, evangelium manu ejus propria scriptum, quod Forojuliensis ecclesiæ decanus tum temporis custodiebat, jungatur (*s*). A decano hoc illud accepit Petrus Maceta (*t*), atque Venetias attulit. Injunxerat ei dux: „ ut codicem subito, bene, secure, „ cum bona & diligenti advertentia portaret ad præsentiam suam, „ ponendo diligentem curam, ne modo aliquo devastetur, nec „ sinistrum recipiat. „ Addit porro: „ Deliberavimus, quod dictum „ librum portare debeas usque Muranum prope Venetias, per „ unum milliare; & cum ibi eris, debeas librum prædictum nostro „ potestati Murani consignare, & nobis significare adventum „ tuum, ut possimus providere &c. Ordinavimus etiam, quod „ barca una, per quam mittimus tibi has literas, te expectare „ debeat in Latisana. „ Literæ hæ datæ sunt ex palatio ducali die XIII Junii an. 1420. Omnis clerus & optimates Venetiis Muranum usque obviam iverunt codici, eumque inter sonitus campanarum intulerunt in D. Marci basilicam (*u*).

Theca, in qua codex servatur, deaurata est. Turris cum liliis, ut & civitatis Aquilegiensis insignia, ei insculpta sunt. Unde nata opinio, a Patriarcha quodam ex Turrianorum gente codicem Venetis fuisse donatum (*x*). Sed illo tempore, quo codex ad

Italico inseruit pag. 60. Benedictus de Capite ferreo, Romanus origine, patricius & conservator urbis Forojuliensis tum erat.

(*s*) Cornelius à Lapide codicem an. 1472 ad Venetos pervenisse, Missonius tum Aquilejæ in monialium S. Benedicti parthenone depositum fuisse, falso crediderunt.

(*t*) Petrum hunc D. Barnabæ apud Venetos plebanum nonnulli perhibent. Vide *Bernardi de Rubeis monumenta ecclesiae Aquilejensis*, Cap. II, pag. 9.

(*u*) Literas has Thomæ Mocenigi ad Petrum Macctam dedit Bernardus de Rubeis l. c. Macetam dux vocat prudentem & circumspectum virum, fidelem nostrum in civitate Austriæ.

(*x*) Franciscus a Turre ex comitibus Vallis Saxiæ, Forojuliensis dynasta, cæsareus ad venetos legatus, in epistola ad Ferdinandum archiducem

ad eos pervenit, patriarcha fuit ex Teccæ Wirtenbergicæ ducibus Ludovicus, perpetuus Venetorum hoſtis, patriarchatu ſuo expulſus (y).

Præcedentibus ſeculis plures Turriani patriarchatum Aquilejæ rexerunt. Ludovicus Turrianus, Nicolai ſucceſſor, diſſipati a deceſſore patriarchatus inſtaurator, magni animi princeps, reliquos mutilati codicis Marciani quaterniones ut inviolatos ſervaret, theca, ſuis inſignibus notata, eos muniviſſe videtur (z), quæ cum codice tranſivit ad Venetos. Ferdinandus archidux, Tirolenſium & anterioris Auſtriæ regens, an. 1564 ad cæſareum apud Venetos legatum, Franciſcum Turrianum, ſcripſit Praga, ut ex Veneto codice folium deſignari curaret. Legatus, in reſponſoria epiſtola de putredine ejus conqueſtus, nonniſi ſyllabas quasdam reſiduas archiduci deſignatas tuansmiſit. Hic legato reſcripſit, operam omnem impendat, codex ipſe a Venetis ut Pragam mittatur. Sed tulit repulſam (a).

Pragenſis Fragmenti formam ſi ſpectemus, quadrata eſt, ſimilis codici evangeliorum, quem Simeoniana Trevirenſium collegiata conſervat; ſimilis Theodoſiano apud Herbipolenſes codici, ut & codici Pſalmorum Coislinianæ bibliothecæ, quæ extat Lutetiæ (b); ſimilis Virgilio, quem Aſterius Apronianus anno 494 correxit, & Laurentiana Florentiæ bibliotheca oſtentat (c). Nec diſſimilis a Pandectarum Florentinorum codice, ex quo ſpecimem Forma

Tt 2 edi-

anno 1564 ſcripta Venetiis die XVIII. Junii apud *Montfaucon Diar. Ital.* pag. 58.

(y) Patriarchatum Ludovicus tenuit ab an. 1411. ad 1434.

(z) Præfuit hic Ludovicus Turrianus patriarcha ab an. 1358 usque ad 1364. *Ughelli Italia ſacra*, tom. V, pag. 110.

(a) Epiſtola apud *Montefalcon.* l. c. pag. 58.

(b) *Bibliotheca Coisliniana* à Montefalconio deſcripta pag. 242 ſq. ubi codicis utriusque ſcriptura expreſſa.

(c) Aeri inciſus cura Franciſci Fogginii an. 1741.

edidit Brencmanus (*d*). Codices hos omnes in itineribus meis evolvi. Codex nofter ante diftractionem feptem quaternionibus conftitit, tefte Carolo IV, qui eum integrum & duas in partes vidit diffectum. Duo quaterniones, quos ipfe cæfar accepit, fedecim foliis conftant. Fragmentum Venetum ergo quinque quaterniones, adeoque quadraginta folia conficiunt. Octo folia quaternionem componunt.

Omnis ergo notitia codicis Veneti ad quinque hæc momenta reducitur. I. Membranaceus fuit opiftographus codex, utraque folii pagina fcriptus. Singulæ paginæ duas continent literarum columnas. II. Literæ ejus femiunciales funt; formæ feculi fexti. III. Idioma latinum ex verfione Hieronymi, quarto qui feculo floruit. IV. Forma codicis fere quadrata; longitudinis x pollicum, latitudinis IX. V. Codex nonnifi mutilus pervenit Venetias, locoque illatus humido, fimulac ibi fuit repofitus, putrescere coepit. Murus, in cujus apfide codex quiefcit, fluctibus Hadriatici maris femper lavatur. Beffarionis cardinalis bibliotheca, multis voluminibus græcis mfs. conftans, quam ille moriens anno 1472 Venetis reliquit, cameræ quoque humidæ illata, fimile experta eft fatum.

CodexMarcianus ab ipfo evangelifta fi exaratus fuiffet, evangelium a tribus reliquis diftinctum & feparatum fcripfiffet. Sed Venetum & Pragenfe exempla conjunctim nonnifi partem evangeliarii, feu unius codicis quatuor evangeliorum Forojulienfis compofuerant, ex quo Marcianum detractum eft. Codicem hunc in patria fuo Forojulii Fontaninius vidit, viditque lacunam, ex qua detractum fuit evangelium Marci. Sed popularium fuorum evitaturus invidiam, maluit exteri ut hoc argumentum pertractent, quod ille ipfe mihi non femel aperuit Romæ. Unde cum Montefalconio quoque communicavit ea, quæ in diario ejus Italico reperimus.

RE-

(*d*) *Hiftoria Pandectarum* pag. 155.

RESPONSUM

AD QUAESTIONEM:

an & qualis fuerit Franciae ducatus,

Rhenensis praecipue, à Carolingicae stirpis in Germania regnantis interitu usque ad Suevicam sive Hohenstauf. regum Germaniae periodum.

Auctor

Georgius Christianus Crollius.

Pars I.

An fuerit peculiaris in Germaniæ regno Franciæ Rhenensis provincia.

§. I.

Cum quæritur, an in Germaniæ regno inde ab ipsius incunabulis terræ Rhenanæ, quatenus eas in Germania superiori sive prima maxime Francorum populus, huiusque nobilis propago, Francos dico Salios, insedit, separatam constituerint provinciam, quodammodo supervacanea opera videri potest, quam quis in historia populi victoris inde a primis ejus originibus diligentius repetenda, diversis ejus ramis, agris, quos occuparunt, horumque variis finibus & accessionibus ceterisque vicissitudinibue describendis consumere velit. Scilicet in disputatione tam singulari multa jam pro cognitis habere licet, quæ ad uniuersam populi istius notitiam faciunt, atque a viris eruditissimis, ex quibus Cluverium, Leibnitium, Gundlingium (e), Hertium, Eccardum(f),

 Jac.

(e) Gundlingii præclaras adversus Leibnitium disputationes vide in *Gundlingian* P. I, VI & IX.

(f) In *Comm. de rebus Franc. Orient.* tom I. Lib. I, & II.

Jac. Car. Spenerum (*g*), Mascovium (*h*) & Bunavium comitem (*i*) nominasse sufficit, satis, quamvis varie, illustrata videntur.

§. II.

Guidonis Ravennat. testimonium

Ex auctoribus tamen veteribus, qui res seculum nonum, regni Germanici natale, antegressas prodiderunt, vel unicus Geographus Ravennas, quem hodie haud amplius cum Eccardo (*k*) seculi VII scriptorem existimamus, sed Muratorio docente (*l*) seculo VIII vel VIIII sua compilasse & Guidonem fuisse vocatum nouimus, prae ceteris excitari meretur, quod is L. IIII, sect. II oram cis & trans Rhenanam Francis habitatam diserte *Franciam Rhinensem* appellauit. Hæc autem, si Guidonem (*m*) audimus, Frisiorum & Alemannorum agris interjecta fuit, urbesque & loca Rheno vicina complexa est, e quibus ille tantum ea memorat, quæ in citeriori ora inde a superioribus Moguntiæ partibus ad ostia usque Rheni pariterque ad Mosam & Mosellam sita fuerunt. Eodem auctore fluvii nobiliores Franciæ Rhinensis præter ipsum Rhenum fuerunt *Logna*, *Nida*, *Dubra*, *Mouit*, *Rura*, *Inda*, *Arnesa*. Quis vero his vocabulis Loganam sive Lanum, Nidam Wetteravicam, Tubarim, Moenum & Ruram, fluuios transrhenanos, atque cis Rhenum Indam, quæ hodie Dente vocatur, & Arnesam patrio sermone Erff dictam, in pro-

(*g*) In præstanti libro: *Notitia Germaniae antiquae L. IV, cap. V.*

(*h*) In historia Germanorum vernaculo sermone scripta.

(*i*) Histor. Cæsarum & imperii German. P. IIII, L. II, segm. XII.

(*k*) L. c. T. I, p. 902 - 912.

(*l*) Diss. chorogr. de Italia medii æui sect. II, pag. 9. in *Scriptt. rer. Ital.* tom. X.

(*m*) Ita Guido: „ Iterum ad frontem eiusdem Frigonum patriæ -- ponitur „ patria, quæ dicitur *Francia Rhinensis.* In qua patria plurimas „ fuisse civitates legimus - id est juxta fluuium Rhenum Magutua cet.

prouincia Ripuariorum celebres notari neget (*n*)? Unde quidem patet, Guidonem Geographum non modo Franciam, quæ in tabula Peutingeriana a ſuperioribus Coloniæ partibus ad oram usque maritimam expreſſa videtur (*o*), ſiue quod Beſſelius abbas contendit (*p*), regnum Ripuariorum a Chlodovæo M. ſuo imperio adjunctum, ſed magnam quoque terrarum, quas Alemannis ab eodem rege ereptos & forte alias ſequiori ætate factas acceſſiones *Franciae Rhenenſis* nomine notaſſe, cum ejus fines vel ſupra Moguntiam porrectos fuiſſe dicat, Alemannos autem a Ripuariis Moſella ſiue Obringa diſterminatos fuiſſe inter omnes conſtet. Parum autem diligenter Guido Francorum ciuitates, quæ ipſo teſte ſupra Moguntiam ad Rhenum fuerunt multæ, ut Wormatia, Alta ripa, Spira, Alemannorum patriæ ſiue regioni adſcripſit, ratione ductus, quod Rhenus ipſe per Alemannorum fines defluat (*q*). Quamvis enim in hac ora ſuperiori poſt devictos Alemannos Francici juris facta quamplurimi Alemanni Francis mixti remanſiſſent, novos dominos, Saliorum coloniam, re-

ve-

(n) Clar. *Bouquetus* in *ſcriptt. rer. Gall.* & *Franc.* T. I, pag. 119 not (*k*) nomina iſta fluviorum fluvios Loignon & Dubim in comitatu Burgundiæ, Nedam Gallicam, le Doux & Moſam ſignificare contendens, magnos ſine dubio errores erravit. Rectius conjecerat *Hertius* in *notitia regni Franc. vet.* Cap. I. §. V. ſed Dubra quæ fuerit, ipſum latet. Nos Tubarim eſſe credimus, niſi forte Rubra legi debeat, adeo ut per hanc fluvius Roer, qui prope Duysburgum Rheno miſcetur, quemadmodum per Ruram, fluvius homonymus in Moſam influens intelligendus ſit.

(*o*) Vide tabulam ab illuſtri Scheybio Viennæ 1753 editam ſegm. I & II.

(*p*) *Prodr. chron. Gottwic.* L. IV. art. *Ripuaria.*

(*q*) En verba Guidonis ſect. 24: „ Sunt & aliæ multæ civitates ante præ„ fatam Moguntiam, iuxta ipſum fluvium Rhenum ſitæ: ſed dum ipſe „ Rhenus per Almanorum venit terram, ideo non Francorum patrias „ nominaui. „ Quibuscum conferas, quæ ſect. 26. perhibet: „ In qua „ patria (Alemannorum) plurimas fuiſſe civitates legimus. Item iuxta „ ſupra ſcriptum Rhenum ſunt civitates, id eſt, Gormetia, quæ con„ finalis cum prænominata Maguntia civitate Francorum, item civitate „ Altripe, Sphira cet.

vereri edocti, rectius tamen veritati consuluisset Guido, si quibus agri novi Francorum ab agris Alemanorum inde a seculo VI angustatis distincti fuerint limitibus, pro juris Francici & Alemannici finibus distincte notasset. Neque igitur cum ob hanc caussam, tum ob alia negligentius scripta, consultum videtur, testimonio scriptoris illius neque satis claro neque certo, in finibus, quibus & antiquior & recentior Francia Rhinensis circumscripta fuit, dignoscendis abuti. Nimirum hoc certe patet, Guidonem Franciam Rhinensem inferiorem sive antiquam cum superiori sive nova exalemannica in unum confudisse.

§. III.

Brevior notitia primorum populi Francici fatorum.

Itaque altius quaedam, licet brevissimis, repetamus, quae cum in vulgus quidem pleraque nota sint, ad intelligentiam eorum, quae deinceps dicentur, faciliorem memorari merentur. Franci, populus ex pluribus gentibus minoribus, quae iam inde a seculo III medio foederari coeperant, progressu temporis varie concretus, ex veteribus sedibus ad Salam Francicam, quas dein vacuas Thuringi occuparunt, Rhenum versus progressi, hoc flumine etiam paullatim superato partes Germaniae inferioris non solum, quae inter Rhenum & Visurgim, Frisiorum fines & Loganam fluvium, Alemannicae regionis transrhenanae terminum sitae videntur, tenebant, sed etiam finibus suis in Galliam Belgicam, maxime Germaniam secundam, prolatis cis Rhenum Mosella fere disiungebantur ab Alemannis, per seculum V in Germania prima dominantibus. Divisi id temporis erant in duos maxime ramos, quorum alter cis Rhenum ad Mosam & Mosellam usque propagatus atque trans Rhenum etiam potens Ripuariorum nomen a veteribus Rheni olim praesidiariis relictum reperit, ex quo regnum peculiare in ista regione circa an. CCCCLXV condidisse videtur; alter vero nobilitate numerosa magnisque facinoribus clarior, Salios puto, quorum nobilissimi teste Ottone Frisingensi dicebantur Salici, ab Isala in Batavorum fines,

fines, Romanis primum amicus dein infeſtus, pedetentim verſus Camaracum ſeſe protulit, tandem Chlodovæo duce Romani imperii in Gallia reliquias delevit, regnumque Francorum & fundauit & mirabiliter auxit. Quo frequentius autem Franci ex ora Rheni inferioris transrhenana migraverant vel etiam digredi coacti erant, hoc facilius contigit Saxonum populo, ut illis ſuccederet, bonamque partem agrorum Francicorum inter Rhenum & Viſurgim occuparet, cum præſertim Angrivarii aliique a fœdere Francico ad ſocietatem Saxonum deſciuiſſent, certe in eorum nomen tranſiuiſſent, adeo ut quam Franci Ripuarii trans Rhenum tenebant regionem, inter Luppiam & Segam, de ea haud mediocris pars Saxonibus accederet.

Sed quam Franci trans Rhenum inferiorem paſſi erant deminutionem, eam poſt celebratiſſimam illam victoriam de Alemannis apud Tolbiacum reportatam abunde compenſarunt. Quum nimirum Alemanni, qui et in Germania ſuperiore ſive prima et jam ante trans Rhenum, quatenus certe limes Romani imperii transrhenanus extenſus fuerat, inde a Danubio inter Rhenum et Tubarim ſupra Mœnum usque ad Loganam per ſeculum V dominati erant (*r*), Francorum fortunæ in dies magis victricis invidentia ducti Ripuarios aggreſſi eſſent, hisque Chlodovæus cum Saliis ſuis auxilio veniſſet, contigit Francis, ut celeberrima illa victoria ad Tolbiacum de Alemannis reportata

 hos

(*r*) Cf. *Hertii notit. vet. Germ. pop.* P. III, cap. I, §. III in opuſc. vol. II, p. 64 ſq. *Brechenmacheri notit. Sueviae antiquae* §. CXVIII in *Wegelini theſ. rer. Suev.* T. I, p. 206 - 215 et *Schoepflini Alſat. illuſtr.* T. I, p. 248, 376 et 628. Alemanniam vero trans Rhenum Loganæ affinem fuiſſe, maxime confirmat *Ammianus Marcellinus hiſt.* lib. XVII, cap. I, qui munimentum Traiani *in Alemannorum ſolo conditum*, pro ſuæ ætatis rationibus dicit. Munimentum vero iſtud ſive vallum tranſibat Taunum montem, quem hodie Heyrich ſ. Einrich vocari harum rerum prudentes exiſtimant, atque ſic per Longaviam et Vederoviam ad Mœnum usque porrigebatur. Cf. *Beſſelium* l. c. L. IV, art. *Einriche,* & tabulam geogr. ducatus Auſtraſiorum.

hos repente ex Germania prima, et quæ huic trans Rhenum adversa erat, regione repellerent, suæque ditioni agros olim Alemannici juris, quos Spirensis, Wormatiensis et Moguntinæ sacrarum diœcesium finibus ab utraque Rheni ripa, si ab Hassia Ripuariæ parte discedas, disterminatos sequiori ætate videre licuit, subjicerent. Quo ex tempore hæc Francia adjecta exstitit pars Franciæ Austrasicæ, eaque provincia fuit a Saxonum, Thuringorum, Alemannorum coarctatis terris, quin & Ripuariorum transrhenanis regionibus distincta. Unde jam discernenda venit Francia Rhinensis antiqua, ad Rhenum inferiorem ab utroque latere patens jurisque Ripuarii, a Francia Rhenana nova ad Rhenum superiorem, Alemannici ante juris, nunc Salici. Quamvis autem sic provinciam hanc ex Alemannico Francicam cum Gundlingio (*s*) appellemus novam Franciam, eandem tamen jam olim, cum pars Thuringiæ australis cis Werram, a Carolo M. in Francorum provinciam commutata, Franciæ novæ nomine distingueretur, Franciam antiquam dictam fuisse, docet Notkerus Balbulus (*t*); adeo ut quæ prius ad Rhenum inferiorem dicenda fuit Francia antiqua, jam antiquior dici mereatur. Ceterum, quæ modo disseruimus, vel pleraque in vulgus nota sunt, neque probatione nostra egent, vel deinde diligentius a nobis dicentur.

§. IV.

Divisio populi Francorum in sex tribus.

Parum autem diligenter animadverterunt recentiores historici diversos Francorum ramos, quos tribus vocare nobis liceat, a scriptoribus veteribus distincte notatos. Scilicet hi discernunt Francos Ripuarios, inferiores, maritimos, Neustrasios, supe-

(*s*) Cf. egregiam responsionem ad Leibnitii responsum, de origine Francorum §. XLVIII - L in *Gundlingian.* partic. IX.

(*t*) *De gestis Caroli M.* L. I, cap. XIX & XXI & L. II, cap. IX, in *Hahnii collect. monum.* T. II, p. 552, 555, 580.

ſuperiores & Auſtraſios. Atque jam hæc partitio tempore Chlodovæi M. obtinuiſſe videtur. Quemadmodum enim id temporis Franci Ripuarii inter Rhenum, Moſam & Moſellam, inſederant atque ſimul trans Rhenum in Haſſiam usque ſive Buchoniam (*u*) regnarunt, ita & Franci maritimi, qui in Morinorum regionem ſucceſſerant (*x*), ſuo gaudebant rege ſive principe, quem Charaicum fuiſſe novimus. Inter hos & Ripuarios a Scaldi ad Moſam usque habitabant Franci inferiores, unde Brabantiam a Cosmographis dictam fuiſſe Auſtraſiam inferiorem tradit ſeculi XI ſcriptor, Nizo, abbas Mediolacenſis, qui quamvis ſubleſtæ alias fidei habeatur, in hoc tamen credendus eſt (*y*). Atque idem ſcriptor Lotharingiam provinciam olim Auſtriam ſuperiorem dictam fuiſſe teſtatur. Quod quidem hoc certius exiſtimari debet, quod & alii ſcriptores pervetuſti Francos ſuperiores in hac Auſtriæ parte habitaſſe confirmant (*z*), atque *Chronicon S. Dionyſii* (*a*) etiam fines ejus ita diſterminat, ut a Remorum urbe ad Metim

Uu 2 usque

(*u*) *Gregor. Tur. hiſt. Franc.* L. II, c. 40.

(*x*) Cf. *Maſcovii hiſtoriam Germ.* P. II, p. 38. Francia autem maritima protendebatur a Scaldi verſus mare ad Sequanam usque; teſtantibus *Chronico Centulenſi* ad an. 787, in *Acherii ſpicil.* T. IV, p. 455 & *Anſcheri vita S. Angilberti*, in *act. Ss. ord. S. Bened.* P. I, ſec. IV.

(*y*) Is quidem in vita Baſini, archiep. Trevir. n. I, in *actis Ss. Bollandianis* d. IV Martii hanc notitiam quamvis mancam pandit: *Lotharengiam provinciam primum Auſtraſiam vel Auſteriam ſ. Auſtriam* ſuperiorem. *Brabantiam vero Auſtraſiam vel Auſteriam ſ. Auſtriam* inferiorem *nuncupatam tradunt coſmographi*; cf. eundem n. III. Cum Chlotarius II monarcha Dagobertum filium regni conſortem feciſſet, eique Auſtraſiæ regnum tradidiſſet, retinuit tamen ſibi *quod Ardenna et Voſagus verſus Neuſtriam et Burgundiam excludebant.* Cf. app. ad *Greg. Tur.* L. XI *hiſt. Franc.* Itaque ſilva Arduenna & Carbonaria limes auſtralis Francorum inferiorum fuiſſe videtur.

(*z*) *Aimoinus* mon. Floriac. in *geſtis Franc.* L. III, cap. LXVII, *Geſta regum Franc.* usque ad Theodoricum II cap. XXVII ad an. 547, *Geſta Dagoberti I regis*, cap. XIV. *Bouquet ſcrippt.* T. II & III in indice geogr. ſub voce *Franci.*

(*a*) L. III, cap. 25, apud *Bouquetium* T. III, p. 246.

usque patuerint. Rorico tandem monachus (*b*) Rachnacharium regem, Chlodovæi M. cognatum sociumque victoriæ de Romanis reportatæ, Francis superioribus imperasse dicit. Ab his superioribus autem Francis versus occidentem distincti erant Franci Neustrasii, quorum rex Regnomir, frater Rachnacharii apud Cenomanniam (*c*) a Chlodovæo interfectus est; & versus orientem sive Rhenum Franci, qui Austrasiorum appellationem arctiori sensu consecuti sunt, colonia Saliorum in veterem Alemanniam a Chlodovæo transducta. Salii igitur omnes quinquepertiti fuere, Franci inferiores, quorum ductor Chlodovæus ceteros principes gentis suæ oppressit, maritimi, Neustrasii, superiores & Austrasii sive orientales (*d*). Postquam vero Chlodovæus M. universos Francos imperio suo subjunxerat, Francorum regnum ab ejus obitu inter filios divisum in duas partes primarias, Austriam & Neustriam, distingui cœpit. Sive igitur hæ appellationes ad ordinem & tempus acquisitionis, adeo ut Austrasia regionem prius possessam, Neustria vero, sive Niustria regnum novum notet (*e*), sive ad plagas respiciant, quæ utraque sententia facile conciliari potest, hoc certum est, utroque nomine & regna, ex quibus constabat Francorum monarchia, & provincias arctioribus limi-

(*b*) *Gest. Franc.* ad an. 509 ap. *Bouquet.* T. III, p. 19.

(*c*) *Neustriam, quo nomine,* (inquit auctor gestor. consulum Andegav. cap. IV in *Bouquetii scriptt.* T. IX, p. 29) *continetur, quicquid a Parisiis et Aurelianis interiacet inter Ligerim et Sequanam inferius usque in Oceanum.* Postea etiam ducatus Cenomanici nomine venisse, constat inter omnes.

(*d*) Vide *chron. S. Dionysii* L. VI, cap. 14 apud *Bouquet* T. III, p. 281. *Et li Francois Austrasiens, qui habitent vers le Rhin es souveraines parties de Gales &c.* Auctor incertus fragm. hist. Alberti arg. chronico præfixi apud *Urstis. scriptt.* T. II, pag. 74. ad an. 631 curate discernit Austrasios a Francis superioribus; adde gesta regum Franc. cap. XXXVI ad an. 593, apud *Bouquet* T. II, p. 564.

(*e*) Albericus certe ad an. 644 *Neustriam* explicat per *novam Franciam.*

limitibus circumscriptas venire. Quemadmodum igitur Neustriæ nomen denotabat tum regnum tripertitum, quod a Mosa flumine versus occidentem per Francos inferiores, maritimos & Neustrasios pertingebat, tum provinciam inter Ligerim & Sequanam a Parisiis & Aurelianis usque ad mare sitam, eamque ipsam, a qua Neustrasiorum regnum nomen invenit (*f*); ita & Austrasia dicebatur vel regnum, quod a Mosa per Francos superiores, Ripuarios & Austrasios trans Rhenum usque patebat, vel provincia a Francorum superiorum & Ripuariorum regionibus distincta, eademque fere, quæ olim Germania prima vocata fuit (*g*); atque sequiori ævo & *Franciae Teutonicae*, & *Franciae antiquae*, ratione Franconiæ habita, & *terrae Rhenanae* & *ducatus Austrasiorum* nominibus varie insignita legitur (*h*). Ceterum hic non curamus varietatem finium, quibus Neustrasii ab Austrasiis fuerint disterminati.

Uu 3 §. V.

(*f*) Chron. S. Dionysii Lib. I in *Bouquetii scriptt.* Tom. III, p. 159. „ *Quant li Francois orent conquis toutes ces provinces ; il les deviserent* „ *en dui parties tant seulement. Cele partie qui est devers septentrion,* „ *qui est enclose entre Muese et le Rin, apellerent Austrie, cele qui est* „ *entre le Muese et Loire appellerent Neustrie*, & par ce non fu jadiz „ apelée Normendie, avant que Normant la preissent. *Cele partie de-* „ *vers Lyons, que li Borgoignon pristrent, retint le non d'eulz; pour* „ *ce fu apelée Borgoigne.* Cf. Albericus monachus ad an. 513.

(*g*) Vid. paulo ante notam (*d*). Pergit autem chronographus S. Dionysii de regno Austrasiæ, cujus sedes erat Metis, his verbis: *Dient aucunes croniques, que celle terre fu aucune foiz apelée Loerainne, et que elle comprent toute avanterre* (superiorem Franciam) *et toute celle premiere Alemaigne jusques au Rhin d'une part et d'autre,* (Franciam Rhenanam s. Austrasiam stricto sensu) *et une partie de Hongrie jusques aux marches d'Osterice.*

(*h*) Quare *annales Nazariani* ad an. 788 Ingelhemium collocant in Francia. *Annalista Fuldensis* ad an. 719 tres diversos in Germania populos memorant, Thuringos, Hassos & Austrasios, a Bonifacio archiepiscopo conversos. *Annales Loiseliani* ponunt ad an. 779 Wormatiam in Francia,

§. V.

Franciæ antiquæ f. Rhenanæ Austrasiorum a Francia nova f. Franconia diversitas.

Itaque cum *Valesio* (*i*) adfirmo, & regnum Austrasiæ, & quæ ejus pars fuit orientalis ad Rhenum superiorem, Austrasiam sive Franciam Teutonicam etiam Rhenum superasse, & quidem quatenus vetus Alemannorum regio seculo V patuerat, hoc est ad septentrionem versus Loganam certe & ad orientem usque ad Tubarim aut certe silvæ Ottonicæ cacumina. Ab occidente autem hæc ipsa Austrasiæ Rhenanæ provincia a Francia superiori, quæ pariter regni Austrasici pars fuit, per Vogesum disterminata fuit, quod egregio Ottonis Frisingensis (*k*) testimonio infra adducendo confirmari potest. Atque hanc provinciam, quam Alemannis ereptam a suis Francis haberi voluit Chlodovæus, Franciam novam sive adjectam dicere oportuit, uti sic distingueretur ab antiqua Francia ad Rhenum inferiorem. Utraque & antiqua & nova cum Guidone Rauennate dicenda est, donec tandem terræ Rhenanæ nomen provinciæ ad Rhenum superiorem adjectæ propria mansit. Quæ autem nova sive adjecta sic fuit Francia a Chlodovæo M. usque ad Caroli M. tempora, ea tum *antiquae Franciae* nomen reperit, ita ut quam ad Rhenum inferiorem prius a Francis habitam vidimus regionem, Franciam antiquiorem appellare debeamus. Evenit enim Carolo M. imperante, ut ea Thuringiæ australis

cia, quemadmodum *Fuldenses* ad annos 840, 865, 866, 874, 879, 885 Moguntiam, Francofurtum & Wormatiam urbes Franciæ, & quidem orientalis sive australis celebrant. Eberhardus dux Francorum, Conradi I regis frater, in vita *Johannis* abbatis Gorziensis apud *Labbeum biblioth. msctt.* tom. I, p. 768 Franciæ Austrasiæ & quorundam trans Rhenum locorum ducatum tenuisse dicitur. Cuno vero Wormatiensis dux Francorum ab ipso Henrico II imp. vocatur *dux Austrasiorum*, in vita Adalberonis II episc. Metensis in *Labbei biblioth. msctt.* l. c. sect. V, p. 674. Cf. *Reihe der Pfalzgrafen zu Aachen &c.* p. 14. Plura loca deinde dabimus.

(*i*) *Notit. Galliar.* p. 68 sq.

(*k*) *De gestis Frid. I imp.* L. II cap. XXVIII.

lis pars quæ cis-Werrana dicitur, rebellione Hartrati comitis feliciter suppressa, atque veteribus ejus colonis, Thuringos dico, magnam partem transductis, Francis austrasiis novissime adjiceretur (*l*), unde novissima hæc evasit Francia, atque tum Franciæ novæ sive contracte Franconiæ (*m*), tum Nuistriæ (*n*), tum Franciæ orientalis (*o*) sive Austrasiæ (*p*) nomine strictissime sumendo vocari consuevit. Itaque Franconia, quæ si respicias ad Franciam

(*l*) Novi quidem, *Eccardum* in *comm. de rebus Franc. orient.* L. XXII, §. IX, tom. I pag. 376 sq. accessionem Thuringiæ cis-Werranæ ad jus Francorum jam an. 740 factam conjecisse. Verum scrupuli, quos *Gonnius* in *disq. de ducatu Franc. orient.* Erlangæ an. 1756 edita § VII sqq. adversus istam opinionem movit, tanti mihi videntur, ut probabiliori conjecturæ, qua Thuringiæ partem illam Francici juris an. 786 factam statuitur, testimonio fragmenti annalium Franc. ad h. a. in *Freheri corp. hist. Franc. vet.* maxime nixus, lubentius qualemcunque meum calculum adjiciam. Tum enim transportatis Thuringis possessiones vel agros eorum omnes infiscatos esse, diserte narrat annalista. Fiscus autem hic quærendus est in terris Austrasiæ Rhenanis.

(*m*) Cf. *Eccardum* l. c. p. 377.

(*n*) Nuistria sive Neustria enim, si Albericum supra ad §. III laudatum audiamus, notat novam regionem. Testamentum vero Caroli M. an. 706 scriptum omnino Franconiam hoc nomine significare videtur. Carolus enim filius natu major habere debebat primum Franciam Neustrasiam & mediam & Burgundiam, præter id quod Ludovicus inde acceperat, deinde Alemanniam, excepta ejus parte australi Pipino adscripta, Austriam, Nuistriam, Thuringiam, Saxoniam, Frisiam & partem Bawariæ, quæ dicitur Northgow. Cum in numerum provinciarum Germanicarum etiam referantur Austria & Nuistria, dubitare haud licet, quin his nominibus designentur Francia Rhenana antiqua & nova Francia sive Franconia. Hujus certe provinciæ marchionem Henricum *annalista Fuldensis* ad an. 886 Niustriam tenuisse refert, in *Freheri scriptt. Germ.* T. I, pag 60. edit. Struv.

(*o*) Hoc vocabulo sic restricto inter veteres scriptores potissimum utitur Ditmarus Merseburgensis, idem vero Francos Rhenanos vocat populum primarium, eorumque provinciam arcem regni. Vid. *Leibnitii scriptt.* T. I, p. 325.

(*p*) Cf. *Besselium* L. IV de pagis art. *Austriae pagus.*

ciam antiquam seu Ripuariorum ad Rhenum inferiorem, novissima est, in oppositione Franciæ Rhenanæ superioris, cui Notkerus Balbulus jam antiquæ Franciæ nomen tribuit, nova cum eodem recte vocatur. Fines Austrasiorum transrhenanorum versus orientem sic promoti sunt. Hinc Ludovico Pio imp. Eginhardus literis ad missum quendam regium sive comitem datis (*q*) huic mandare debuit, ut comites Austriæ, Hattonem, Popponem & Gebehardum cet. convocaret, atque cum iis de rebus, quæ in Bavaria agerentur, deliberaret. Hatto autem iste comes fuit Moguntinus & pagi Wormatiensis (*r*), Gebehardus provinciæ Loganensis (*s*) & forte etiam Hassiæ; Poppo, Henrici Francorum orientalium marchionis pater, comes pagorum Grabfeld, Tullifeld, Folckfeld, Gotzfeld & Weringau (*t*). Hinc etiam in partitione, quam idem imperator uxoris Judithæ consilio instituit, referentibus annalibus Bertinianis ad an. DCCCXXXIX, ducatus Austrasiorum cum Sualafelda, Nordgowe & Hessia (*u*) memoratur.

Hassia, Francorum provincia a Francia rhneana & Franconia diversa fuit.

§. VI.

Hassiam una cum affini Longavia & Buchonia Francici juris provinciam fuisse, haud amplius eget demonstratione, cum id ex

(*q*) Quas vide in *Bouquetii scriptt. R. Gall.* T. VI, *Egink.* epp. n. LVII, p. 384.

(*r*) Jam ex *traditt. Fuld.* n. XXXVI, p. 20 & CLVI, p. 77, *Eccardi comm. de R. F. O.* p. 356 &c. *Origg. Bip.* P. I, p. 96 & *actis acad. Pal.* vol. I, p. 289 constat, Hattonem comitem Moguntinum & Wormatiensem ab anno 772 ad annum usque 802 obvium esse. Habebat is successorem Robertum, a quo Robertus fortis, & ab hujus filio reges Francorum occidentalium orti sunt. Cf. *Eccardi* l. c tom. II, p. 235. Istius vero Hattonis filium quoque puto fuisse hunc Hattonem Austriæ comitem. Cf. *Bouquet.* T. VI, pag. 372.

(*s*) Vide *Joannis spicil. I tabb. vett.* p. 439 sq.

(*t*) Vid. *Gonne de duc. Fr. or.* §. 20, p. 439 - 440.

(*u*) Sic enim lectionem annalium Bertin. emendandam puto.

ex documentis fide digniſſimis ab aliis oſtenſum ſit (*x*). Sed nondum definire potuerunt hiſtoriarum ſcriptores, utrum illa ſeparata Francorum provincia fuerit, ſuamque peculiarem habuerit formulam, an vero pars Franciæ rhenanæ habenda ſit (*y*). Mihi vero prior ſententia magis cum veritate conſentire videtur. Regnum quidem Francorum Ripuariorum etiam trans Rhenum patuiſſe, apud omnes conſtat. Sed idem usque in Buchoniam, quo vocabulo maximam partem Haſſiæ comprehenſam fuiſſe obſervavit Beſſelius abbas, docet Gregorius Turonenſis (*z*). Haſſos etiam a Thuringis æque & Auſtraſiis rhenanis diſtinctos fuiſſe, innuit annaliſta Fuldenſis ad an. DCCXIX, atque poſtquam S. Bonifacii prædicatione converſi & Carolo M. de Saxonibus triumphante pariter a poteſtate paganorum circa annum DCCXXXX

Xx libe-

(*x*) Cf. *Beſſelius* l. c. L. IV, p. 627 ſq. *Eſtor de antiqua Haſſiae formula* in *Kuchenbeckeri annal. Haſſ.* coll. II, diſq. 3. p. 352 ſqq.

(*y*) Fuere, qui Haſſiam Thuringiæ accenſerunt; alii eandem Franconiæ attribuerunt, denique Franciæ rhenanæ partem eam maluerunt alii, inter quos princeps eſt Eſtor l. c. qui vero ſimul contendit habuiſſe Haſſiam proprios ſuos dominos inde a Conradi II regis temporibus. Pluribus Haſſiam a ſubjectione ducum ab antiquo liberam peculiari diſſertatione demonſtrare ſtuduit Kayſerus, inque ejus ſententiam ivit auctor libri eriſtici: *Beurkundete nachricht von der Commende Schiffenberg*, P. I, §. I, not. c. p. 3 ſqq. ubi perſuadere conatur, Haſſiam vetus patrimonium familiæ Salicæ fuiſſe, atque paribus juribus ad familiam Ludovici Barbati perveniſſe. Hos auctores ſequitur Malletus in hiſtoria Haſſiæ P. I, ſect. V. Sed vereor, ne ab iisdem multa ad opinionem præconceptam ſtabiliendam dicta præter verum ſint; prout infra aliquoties obſervabimus.

(*z*) *Hiſt. Franc.* L. II, c. 40: *Cumque ille* (Sigebertus rex) *egreſſus de Colonia civitate, transacto Rheno, per* Buconiam *ſylvam ambulare diſponeret -- filius -- eum ibidem interfecit &c.* Unde jam illuſtriſſimus comes *Bünavius* in *hiſt. Germ. caeſ. et imp.* P. I, L. III §. CCXIII, p. 922, regnum Sigeberti regis Ripuariorum ad Fuldam usque & fines Thuringorum pertinuiſſe obſervavit; atque geographus Ravennas aliquam lucem accipere videtur.

liberati fuissent, denuo Francis additos & lege Salica donatos conjicit haud improbabiliter Eccardus (*a*). Ex eo certe tempore quamvis Hassia Franciae Germanicae sive Austrasiorum pars fuerit, propriam tamen suam formulam, eamque a Franciae rhenanae conditione diversam, habuisse videtur; quae sententia cum viris harum rerum intelligentioribus probetur, nobis quoque prae ceteris arridet. Falsi enim sine dubio sunt, qui Hassiam vel Thuringiae vel Franconiae vel Francicae rhenanae partem extitisse contenderunt. His autem fere finibus provincia Hassorum circumscribenda est; ut primum ex fluviorum originibus & decursibus inter Dimolam & Adranam (*Eder*) atque post conjunctionem Adranae & Fuldae, Fulda deorsum ad Mundam sive confluentes Fuldae & Wirrahae fines Saxonum & Hassorum terminentur, deinde hos a Thuringis septentrionalibus & australibus Wirraha seu Visurgis disjungat; tum silva Speshard limes fuerit erga Franconiam, usque in Vederoviam pertinens, cujus partem mons Fugalesberg (*Vogelsberg*) Hassiae adjungit, ipseque ad Loganensem pagum superiorem porrigitur. Trans Loganam Loganensis pagi partem superiorem complexa Hassia ad silvam Westerwald, quae Longaviae inferiori adscribenda est, pertingit. Tandem silvae huic conterminus mons Rothauer atque fluviorum versus Rhenum & Visurgim decursus eo usque, unde coepimus, Hassos disjunxerunt a Saxonibus Westphalis. Quae quidem finium descriptio cum enumeratione locorum, Hassis attributorum (*b*) nitatur, facile longiori probatione supersedemus, ne nimium a proposito digrediamur. Verum Hassia a Ripuariis distracta, his tamen, quae trans Loganam ad Saxones & Rhenum usque pertinebat regio, quatenus dioecesеos Trevirensis fuit, remansisse videtur, usque quo veteri

(*a*) De *reb. Franc. O.* tom. I, p. 377.

(*b*) Quam vide in *prodr. chron. Gottwic.* L. IV, p. 627 sqq. & Estoris *origg. juris publ.* L. I de Hassiae antiquae formula, cap. I §. VII &c. p. 21-31.

veteri in regna Auſtraſiæ & Neuſtraſiæ diviſioni nova, quæ verſus ſeculum VIIII medium obtinere cœpit, derogatum eſt.

§. VII.

Diviſio regni nova inter Ludovici Pii filios.

Partitio enim Francorum monarchiæ, quam Ludovici Pii imperatoris filii tres inter ſe anno IↃCCCXXXXIII Viroduni inſtituerant, quodam modo provinciarum erga ſe fines rationesque immutavit. Tum enim natæ ſunt trium regnorum certis finibus diſtinctorum, quorum neutrum ex altero pendere debebat, appellationes, *Francia occidentalis*, *media* (*c*) & *orientalis*; quorum ultimum præter Bavaros, Suevos, Saxones & Francos Auſtraſios transrhenanos (*d*) etiam Francos cisrhenanos, Spirgoviæ &

(*c*) Franciæ mediæ appellatio jam occurrit in diviſione a Ludovico Pio an. 835 inſtituta, vid. *Bouquet.* T. VI, p. 414, vi cujus Carolo Calvo filio attribuuntur *de iſta media Francia Warenſis, Ungenſis, Caſtrenſis, Portiano, Remegenſis, Laudunenſis, Moſellis, Treveris* pagi, qui omnes in Francia ſuperiori, a Rhemis ad Vogeſum usque extenſa, comprehendebantur.

(*d*) Si ad regni deſcriptionem an. 839 factam, quam annales Bertiniani referunt, (cf. *Obrechti prodr. rer. Alſat.* cap. VI, p. 46-48) reſpiciamus, fere credendum eſt, pagum Wormatienſem & Spirenſem tum non comprehenſos fuiſſe ducatu Auſtraſiorum. Sic enim ibi recenſentur provinciæ: — *Ducatum Ribuariorum, Wormazfelda, Spirohgouwi, ducatum Heliſatiae, ducatum Alamanniae, Curiam, ducatum Auſtraſiorum, cum Sunalafelda et Norogo Wiecheſſi, ducatum Toringubae, cum marchis ſuis, regnum Saxoniae cum marchis ſuis* — Pari modo ſcriptores veteres iſtius ævi orientalem Franciam a regionibus rhenanis disjungunt. Sic Ludovicus Pius an. 823 teſtantibus annalibus regum Francorum (in *Reuberi ſcriptt.* edit. Joannis p. 71) conventum habuit „*in quo non univerſae Franciae primores, ſed de orientali Francia, Bajoaria, Alemannia, atque Alemanniae contermina Burgundia et regionibus Rheno adjacentibus adeſſe juſſi ſunt.*„ Hæ poſtremæ regiones fuere Wormazfelda & Spirenſis pagus ceterique Francorum rhenanorum pagi. Sed bene res ſe habet. Poſtquam enim Thuringia ciswerrana ducatui Auſtraſiorum adjecta fuiſſet, ſenſim diſtingui cœpit hæc Fran-

& Wormazfeldæ incolas complectebatur. Francia quidem cis- & transrhenana harum provinciarum erat primaria, quippe quam habebat populus primarius, ceterorum victor, recte ideo Ditmaro vocata *arx regni* (*e*) ; atque hujus provinciæ metropolis ecclesiastica

Francia nova a Francia antiqua fupra rhenum, ut quæ Auftrafiæ pars trans Rhenum & verfus orientem fita fuit, diceretur Francia orientalis f. ducatus Auftrafiorum ; quæ vero cis Rhenum & ab occidente erat nobilior, Francia fupra Rhenum f. rhenana vocaretur. Ita certe *Wippo* in *vita Conradi Salici* (in *Piftorii fcriptt. rer. Germ.* T. III, edit. Struv. p. 463) „ *Ibi dum conveniffent cuncti primates — cis et circa Rhenum* „ *caftra locabant. Qui dum Galliam a Germania dirimat, ex parte* „ *Germaniae Saxones — Franci orientales, Norici, Alemanni con-* „ *venere. De Gallia vero Franci, qui fupra Rhenum habitant, Ribua-* „ *rii, Lutharingi coadunati funt.* „ Neque tamen ideo Francis rhenanis nomen Auftrafiorum generalius omnino denegandum eft, quippe cum olim Rhenus Auftrafiam & Germaniam diremiffe dicatur (vid. *chron. Divion. S. Benigni* ad an. 656 in *Acherii fpicil.* T. I.) atque etiam fec. X Eberhardum ducem Franciæ Auftrafiæ & fec. XI ineunte Conradum Wormatienfem, ducem Auftrafiorum appellari, fupra jam a nobis obfervatum fit. Erant certe tefte eodem Wippone Cuno major Spirenfis, & Cuno minor Wormatienfis *ambo in Francia Teutonica nobiliffimi.* Hoc autem Franciæ Teutonicæ nomen proprium fuiffe feculo XI terræ rhenanæ, docent *Lambertus Schafnab.* ad an. 1076 in *Piftorii fcriptt.* T. I, ed. *Struv.* p. 412 & *Bertholdus Conftantienfis* ad an. 1094 in *Urftifii fcriptt.* T. I. Quemadmodum certe ille Franciam Teutonicam a Suevia, Bajoaria, Saxonia & Lotharingia clare difcernit, ita hic etiam clarius Franciam Teutonicam, cui juncta tum erat Alfatia, diftinguens ab Alemannia rhenanas Francorum partes innuit.

(*e*) Vide *Ditmarum reftit.* Lib. I in *Leibnitii fcriptt.* T. I, p. 325 : „ *Ea* „ *tempeftate Conradus Francorum quondam dux egregius, et tunc Lu-* „ *dovici fucceffor pueri, arcem tenebat regni.* „ Quæ verba chronographus Laurishamenfis in *cod. Laurish. dipl.* Manhemii edito T. I, p. 109 fic interpretatur: „ *Cunradus vero, frater Eberhardi marchio-* „ *nis, orientalis regni partem circa Renum tenuit.* Ditmarus deinde l. c. „ Interea Conradus — fratri fuo Eberhardo, populoque primario in „ unum collecto, confilium hoc dedit &c. „ Otto autem Frifingenfis in *Geftis Frid. I imp.* Lib. I, cap. XII de Friderico Coclite loquens cum Ditmaro & Wippone fatis pulchre convenit: „ Ipfe de Alemannia in „ Galliam, transmiffo Rheno, fe recipiens totam provinciam a Bafilea usque

ſtica æque & caput regni erat Moguntia (*f*), palatium vero primarium, Francofurtum, ſuburbanum Moguntiæ metropolis (*g*), ex quo Germaniæ ſive Franciæ orientalis regnum extitit ſeparatum, atque primus rex, Ludovicus Germanicus, palatium Francofurtenſe præ ceteris adamavit, in quo ſedem figeret; qui quidem honos ipſi ſub regibus inſequentibus manſit atque prærogativam electionis regiæ conciliavit.

 §. VIII.

„ usque Moguntiam, ubi maxima vis regni eſſe noſcitur, paulatim ad „ ſuam inclinavit voluntatem. „ Quemadmodum dubitari nequit, Alſatas quoque nomine Francorum, qui ſupra Rhenum habitant, a Wippone deſignari, ita nec improbabile videtur, Alſatiam Ottonis Friſing. ætate cum Francia rhenana conjunctam fuiſſe, quod illuſtris *Schoepflinus Alſat. illuſtr.* T. II, p. 8. haud optimo negat jure.

(*f*) *Regino* ad an. 953: „ Tunc rex audiens Moguntiam metropolim Fran„ ciæ regiamque civitatem inimicis ſuis deditam &c. „ Acta ſynodi an. 1071 Moguntiæ habitæ in cod Udalr. Babenberg. n. CXXIII apud *Eccardum corp. hiſt.* T. II, p. 112 ſq. ſic ordiuntur: — „Celebrata eſt „ ſancta ſynodus apud Moguntiam metropolim orientalis Franciæ, prin„ cipalem vero pontificii ſedem totius Germaniæ & Galliæ cisalpinæ; „ hanc vero clauſulam habent: „ Acta ſunt autem hæc apud Moguntiam „ metropolim orientalis Franciæ. „ Acta denique S. Albani martyris cap. 26 in *Caniſii lect. antiq.* vol. IV edit. Basnagii p. 103, de Moguntia hæc habent: „ Caput effecta regni orientalium Francorum ac me„ tropolis Galliæ Germaniæque cunctarum urbium cisalpinarum. „

(*g*) *Annal. Metenſ.* ad an. 876, *Marianus Scotus* ad an. 875, *Regino* ad an. 876 vocant Francofurtum *principalem ſedem totius regni.* Palatium vero Francofurtenſe, cujus demum ab anno 794 mentio fit, poſt exuſtionem palatii primarii Wormacienſis an. 791 factam, (vide *annal. Fuld.* ad h a.) a Carolo M. primum fuiſſe exſtructum conjicio; unde Hugoni Flaviacenſi in chron. Virdun. ad an. 823 in *Labbei bibl. nova mſct.* T. I, p. 119 vocatur *palatium novum.* Carolus M. primum ibi degebat hieme anni ineuntis 794, ſynodum celebrabat, & diplomata dabat, quorum unum vide apud *Mabillonium* de *re diplom.* p. 503: *Actum Franconofurd palatio.* Antiquiora ejus veſtigia haud reperiuntur. Sed *Nodkerus Balbulus* L. II de *rebus bellicis Caroli M.* cap XVI, de Carolo M. refert: *Oratoria nova ad Frankenoſurd et Regeneſpurg admirabili opere con-*

§. VIII.

Franconiæ nomen advenit Franciæ orientalis proprium; & ejus respectu rhenana provincia dicta est occidentalis.

Franci orientales sive Teutonici, populus Germaniæ primarius, tres quod supra demonstravimus, insedere provincias, quarum prima fuit antiqua sive Austrasia rhenana, altera nova sive Franconia, tertia Hassia. Ex hisce cum rhenana provincia ex adverso esset Franconiæ, illa quidem Francia occidentalis, hæc strictius orientalis sive australis dicta fuit. Ita quidem utramque distincte appellat Otto M. rex in tabulis, quibus bona quædam monasterii Hersfeldensis per cambium accepta Magdeburgensi ecclesiæ attribuit, anno DCCCCXXXXVIII a. d. III kal. Aprilis datis (*h*). Bona autem ista fuere: in orientali Francia in villis Buochweride, Rizzestat, Karoldesbach, Swarzaha, Stillaha nominatis: et in occidentali Francia Erlibach, Bommaresheim, Suliburg, Furbach, Hurnaffa &c. Quemadmodum Rizzestat in pago Gotzfeld, Karagoldesbach sive Karoldesbach in pago Ascfeld; Schwarzach in pago Ipsgau & Stillaha in Grabfeldia orientali ad rivulum cognominem haud procul a Smalcalda reperiuntur: ita Erlenbacum sive superius sive inferius, Bomersheim, Seulberg in pago Nitehe in vicinia Homburgi ad montes & Fridbergæ, Fauerbacum & Hurnaffa sive Hurloff in Vederovia, adeoque in pagis Franciæ rhenanæ sita fuerunt (*i*). Qui vero pagi olim

---

construxit. Quando igitur *annal. Lauresh.* ad an. 823 memorant, Ludovicum Pium hiemasse *in eodem loco constructis ad hoc necessariis aedificiis novis*, hoc de amplificato palatio intelligendum est. Ceterum palatium Francofurtense primarium Franciæ Teutonicæ, æque & totius regni extitisse, ex quo Germania regnum evasit peculiare, pridem ostendit summus *Gundlingius* in *Gundlingian.* partic. XVIII diss. I. Conf. ill. *Olenschlageri neue Erläuterung der G. B.* §. IX, p. 22 sqq.

(*h*) Publicaverat eas *Leuberus* in *stapul. Saxon.* num. 1594; anno tamen 947 minus recte adscripto, quem *Casp. Sagittarius* in *antiq. Magdeb.* §. LVII, p. 28 ex inductione & anno regni Ottonis I docet, fuisse 948.

(*i*) Cf. *Besselium* L. IV, p. 709 art. *Nitehe.* Putat autem Hurnaffa eundem

olim conſtituerint Franciam orientalem arctiſſime ſic dictam ſive Franconiam, Arnulfus rex in privilegio an. DCCCLXXXIX dato eccleſiæ Wirceburgenſi de decima tributi ex Francia orientali (*k*), ipſe prodidit. Cum enim Franci hi orientales, Thuringis, veteribus regionis incolis, mixti (*l*), æque & Slavi inter Mœnum & Radantiam habitantes tributum pendere tenerentur, facile patet, Franciæ orientalis incolas, ſerius ad Francorum provinciam relatos, libertate nativa & egregia haud fruitos eſſe, in qua Franci Salii, Rheni accolæ, a Chlodovæo in terras ante Alemannicas transducti gaudebant. Pagi vero, quorum incolæ dictum tributum pendere debebant, nominantur Waltſazzi, Tubargovia, Wingarteiba, Jaxtgovia, Mulachgovia, Neckergovia & Kochergovia, Rangovia, Ipſgovia, Haſagovia, Grabfeldia (orientalis) Tullifeld, Salgovia, Weringovia, Gozfeld & Badengovia (*m*).

§. IX.

Regulæ in deſcribendis provinciarum Germaniæ finibus.

Quemadmodum Romanis in more erat, ut ubi fluviis non terminabantur regiones, easdem munimentorum ſive vallorum lineis

dem vicum eſſe cum Hornau prope Kœnigſtein. Idem tamen art. *Wetereiba* obſervat ex traditt. Laureſham. & Fuldenſ. vicum *Hurloff* ad rivum cognominem dictum olim fuiſſe Hnrneſſa ſive Hornaſſa.

(*k*) In *Eccardi comm.* de *R. F. O.* Tom. II, append. dipl. n. XXI, p. 495.

(*l*) Cum enim ſec. V medio Thuringi primum in hanc regionem, quam Franci deſeruerant, immigraverint, probabile eſt, reliquias Francorum in eadem ſenſim cum Thuringis coaluiſſe. Neqne igitur, poſtqnam ſeculo VIII hæc Thnringiæ pars addita fuit Franciæ auſtraſiæ, illius incolæ ad æqualem cum Francis rhenanis libertatem adſpirare audebant.

(*m*) *Eccardus* l. c. Lib. XXXI, §. CCCLXXIV, p. 712, eosdem pagos diœceſin Wirceburgenſem conſtituiſſe tradit, ac ſimul autumat Franciam hanc orientalem ſic dictam fuiſſe reſpectu Franciæ rhenanæ, quæ nunc media fuerit, cum Lotharingia Francia occidentalis vocaretur. Sed modo demonſtravimus, Franciam rhenanam reſpectu Franciæ novæ orientalis dictam quoque fuiſſe occidentalem; hæc vero fuit Teutonica; & Lotharingia dicitur occidentalis reſpectu totius regni orientalis Francorum.

lineis sepirent (*n*), ita nec Germanis hæc prudentiæ ratio defuit, quam ipsa regionum natura situsque suadebat (*o*). Fluvios, montes, silvarumque tractus natura ipsis præscribere videbatur agrorum fines. Sic Rhenus satis longo tempore terminus Galliæ & Germaniæ habebatur. Sed postquam Romanorum arma fines imperii, cui pridem subjecta erat Gallia, etiam trans Rhenum protulissent, atque præsertim Germaniæ superiori sive primæ trans Rhenum facta esset accessio, limite transrhenano opus erat, qui a Rheno paullo super confluentes Lanæ, per Taunum montem cis-Loganensem, hodie Heyrich dictum, atque Vederoviam Mœnum versus dirigebat. Appellabatur ille munimentum Trajani, ejusque vestigia in Longavia maxime inferiori & Vederovia hodie superesse videntur; unde clar. Eccardus quicquid intra hoc vallum jacebat terrarum, ad Moguntiacum pertinuisse statuit (*p*). Pari instituto fines imperii Romani ultra Danubium promoti vallo obducebantur, ita ut agri decumates ab incursionibus barbarorum tutiores existerent; atque hoc quidem vallum ex descriptione Dœderlini (*q*) a Pferingia ad Danubium supra Ratisbonam ad oppidum usque Dinckelsbuhl, indeque partim inter Cocharum & Jagestam fluvios ad Nicrum ex adverso Wimpinæ, partim supra Halam & Heilbrunnam ad Nicrum ducebat. Tum vero inter Nicrum & Mœnum media interjacens silva Odenwald limes a natura constitu-

(*n*) *Ælius Spartianus* in *Hadriano* cap. XII hoc confirmat: „Per ea tempora & alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis, in modum muralis sepis, funditus jactis atque connexis, barbaros separavit.„

(*o*) Cf. *Mascovius* in libro: *Geschichte der Teutschen*, Lib. V, §. IX, p. 145. *Grupenius orig. Germ.* Germanis adscribit, quicquid Romanis deberi primitus credunt alii, cap. II, §. III, p. 277.

(*p*) Diss. *de Apolline Granno Mogouno &c.* §. IX, p. 15.

(*q*) *Vorstellung des alten Römischen Valli und Landwehre &c. so P. Æl. Hadrianus und M. Aur. Probus errichten lassen &c.* 1731.

ſtitutus videri poterat. Mœno ſuperato incipiebat vallum ſive munimentum Trajani, quod ad Rhenum pertinuiſſe ante diximus. Sic etiam cis Rhenum Vogeſus Germaniæ primæ incolas a Mediomatricis & Treviris diviſit, uti dein Rhenanam provinciam a regno Lotharienſi & Weſtraſia. Quare Otto Friſingenſis epiſcopus (*r*) provinciam Rhenanam deſcribens convenienter ſatis id feciſſe putandus eſt. Sic enim ille ad an. CIƆCLVI: „ Inde ad „ partes Rheni ſe conferens (Fridericus I imperator) proximum „ natale Domini Wormatiæ celebravit. Ea namque regio, quam „ Rhenus nobiliſſimus fluvius — interſecat, ex una ripa Galliæ, „ ex altera Germaniæ limes — habet — ex parte Galliæ vicinum Voſagum & Ardennam, ex parte Germaniæ ſylvas non „ mediocres, barbara adhuc nomina retinentes &c. „ Ego quidem hæc ſilvarum barbara nomina haud alia eſſe arbitror, quam quæ olim dicuntur Odenwald, Spechteshart, Fugalesberg, Weſterwald, Rothauer ceteraque. Quantumvis autem in latitudinem vergat montoſa regio, ſunt tamen ſumma ejus juga ab utroque latere ſic declivia, ut & torrentes, maxime qui liquatis nivibus turgent, & fluvii perennes utrobique decurrant; quas quidem ſummitates & natura limites fere ſtatuit, & populorum conſuetudo tales eſſe voluit. Hanc certe regulam ſervatam videmus in finibus deſcribendis, intra quos pacem publicam componere & munire conſueverant olim provinciarum Germanicarum proceres civitatesque (*s*). Tum diœceſium ſacrarum fines plerumque aptiſſimi videntur ad provinciarum & pagorum fines illuſtrandos,

(*r*) *De geſtis Frid. I imp.* L. I, cap. XIII.

(*s*) Exemplum ſuppeditet inſtrumentum pacis publicæ an. 1343 ab Alſatiæ inferioris dynaſtis & civitatibus initæ: „ Und ſoll der Landfrieden an„ gehn, obwendig Mülhauſen, hie diſer ſeits Rheins, die Schlicht „ (*locus, unde aquae in contrarias partes decurrunt*) herab auf die „ Selſe, vnd von Kentzigen jenſeit Rheins auch die Schlicht herab vntz „ auf die Olſe, vnnd jeder weder ſeits des gebürgs, als die fluſslauft „ gehen, gegen dem Rhein.

cum illæ ad vetustiores horum rationes accommodatæ primitus fuerint (*t*). Accidit tamen nonnunquam, ut insequentibus temporum vicissitudinibus finium diœcesanorum fierent immutationes (*u*), quas quo magis ex historiarum litterarumque monumentis cognoverimus, hoc facilius obvias in ista obscuritate, qua fines provinciarum antiqui teguntur, difficultates superare contingit. Adsint tandem scriptorum mediæ ætatis veterumque chartarum testimonia, quæ de regionum & locorum confiniis loquuntur.

§. X.

Fines Franciæ rhenanæ versus Alemanniam & Sueviam.

Hisce ex regulis cursim quidem, neque tamen precaria valde ratione fines provinciæ Francorum Rhenanæ sive Teutonicæ ita obire animus est, uti appareat, qui illam constituerint pagi; cum sic disputatio nostra dein facilius & clarius institui queat. Itaque incipio a latere Germanico sive finibus, quibus a ceteris Germaniæ transrhenanæ partibus fuit disterminata, & quidem primum ab Alemannia versus meridiem. Atque in his designandis illustris Schœpflinus (*x*) hoc integrior testis habendus, quod non tam conjecturis quam veritatis documentis fines Alemanniæ boreales, qui iidem Franciam a meridie terminarunt, illustrare aggressus est. Is vero Osam rivum, quo Murga fluvius auctior in Rhe-

(*t*) Docet sic summe venerabilis *Honthemius* de Trevirorum populo & diœcesi in *prodr. hist. Trev.* T. I.

(*u*) Sic Grevenstein castrum cum vico Rotalben ante an. 1381 Metensis diœcesis fuit, hoc ipso autem anno Wormatiensi ecclesiæ adjecta est, quod tamen effectu caruisse videtur; cum illa etiamnum ad diœcesin Metensem referri consueverint. Quemadmodum Amorbacum ad silvam Odonicam ex Wirceburgensi diœcesi in Moguntinam transierit, vide apud *Groppium* in *hist. monast. Amorb.* cap. II, §. I, p. 14 & 15. Quod ad diœcesin Moguntinam attinet, tantum illi accessit, quantum de Wormatiensi decessit, observante clar. *Lameio* in *descr. pagi Worm. act. acad.* T. I, p. 287.

(*x*) *Alsat. illustr.* T. I, p. 630. Cf. p. 675 &c.

Rhenum ex adverso Suræ, fluvii finitoris, influit, terminum Alemanniæ & Franciæ rhenanæ indubitatum fuisse docet. Disterminat idem fluviolus diœcesin Argentoratensem cum Ortenavia a diœcesi Spirensi. Progrediendo autem deorsum ad confluentes Osæ & Murgæ, hæc ipsa Rhenum versus limes fit pagi Auciacensis, Germanis *Uffgow* (y), qui Francicus est, ab Ortenavia. A fontibus Osæ Schœpflinus quidem nos ad Enzam fluvium, tanquam limitem, ejusque ostia ducit. Sed cum Hirsaugia ad Nagoldam, adeoque trans Enzam, teste Henrico IV imperatore „ in „ provincia, quæ dicitur Theutonica Francia, in episcopatu Nemetensi, in pago Wiringowe dicto, in comitatu Ingiresheim „ sita fuerit (z); atque *Heimbogesheim*, in finibus pagi Wirmgau & a dextro latere fluvii Wirm situm, hodie *Heimsen*, in confinio Franciæ & Alemanniæ esse a continuatore Reginonis & annalista Saxone (a) dicatur, denique pagus Glemsgow, in quo villa Dicingon reperitur, ducatui Francorum attributus fuerit (b); fines Francorum Enzam longe transiisse atque pagos Wirmgove & Glemsgove comprehendisse, statuimus. Excipit Glemsgoviam pagus Murachgow, ab utroque Nicri latere, maxime dextro, secus

(y) *Besselium* ex uno pago Auciacensi duplicem fecisse, varia ejus notatione Germanica deceptum, jam observavit *Schoepflinus* l. c. p. 675 sq.

(z) Vid. *Besoldi monum. Wurtemb.* p. 318.

(a) Videatur ille ad an. 965 in *scripti. Pistor.* edit. Struv. p. III; hic ad eundem annum in *Eccardi corp. hist.* tom. I, p. 307.

(b) Quam notitiam anno, postquam hæc lucubratus eram, repetere licuit ex *cod. diplom. Lauresham.* vol. III, num. 3614. „ Die XIIII kalendas „ Maji anno XXVI Karoli imperatoris ego Geroldus dono ad sanctum „ Nazarium &c. in ducatu Francorum in villa Ticingen, quidquid ha„ bere videor. „ Villam autem in pago Glemisgouue sitam fuisse docet traditio vol. I, n. 56. Neque mirum videri debet, quod sub Carolo M. ducatus Francorum memoratur, cum in ipsius tabulis etiam ducatus Moslinse occurrat, annales Bertiniani ad an. 839 ducatum Austrasiorum nominent, atque eodem tempore Adelbertus Austrasiorum ducatum gesserit. Vide *Nithardum de dissens.* L. II, p. 94 & 95 edit. Kulpis.

Muram utrimque extenſus, quem quidem Beſſelius abbas diœceſi Wirceburgenſi adeoque Franconiæ adſcribere cupit, nos vero de utraque eximendum atque Franciæ Rhenanæ adſcribendum putamus, cum olim Spirenſi epiſcopo ſubeſſe Murgoviam didicerimus. Itaque ubi Murgovia verſus orientem finitur, conveniunt fines Franciæ rhenanæ, cujus pars fuit Murgovia, Franciæ novæ ſive Franconiæ, cujus pagus, teſte Arnolfo imp. fuit Cochengovia, & Sueviæ, ad quam pagus Virgunda, in ſilva cognomine ſitus, ſpectabat. Quos autem fines Francorum & Suevorum fuiſſe novimus, iisdem quoque diœceſis Conſtantienſis ſeparata fuit a Spirenſi & Herbipolenſi, quod in diplomate Friderici I imp. (c) de limitibus Conſtantienſis diœceſis diſerte his verbis docetur: „ Inprimis diſtinguentes terminos parochiæ inter Con„ ſtantienſem epiſcopatum & cæteros adjacentes — verſus aqui„ lonem vero inter epiſcopatum Wirtzburgenſem & Spirenſem „ usque ad marcham Francorum & Alemannorum. „ Marca hæc ſive terminus Francorum & Alemannorum, Suevorumque per ſylvas Murrhartum & Virgundam ita tranſibat, ut pars Francorum legibus ſubjaceret, pars ad Alemanniam ſive Sueviam referretur; quod binis regum tabulis, alteris Conradi II regis, alteris Henrici II egregie illuſtratur (d). Verum ego iſta confinia Francorum orientalium ac Suevorum prætereo, atque fines Murgoviæ noſtræ circumeundo inter declivia fluviorum, verſus Cocharum & Muram decurrentium, ad Nicrum ſupra Lauſam revertor, veſtigiis valli Romani, a *Doederlinio* (e) deſcripti, a låtere dextro relictis.

§. XI.

(c) *Piſtorii ſcript.* T. III, p. 695.

(d) In *Cruſii annal. Suev.* P. II, p. 188 ſq. & *Lünigii ſpicil. eccl.* contin. T. III, p. 120.

(e) Cf. illius *antiquitt. in Nordgavia detectas &c.* p. 64 ſq.

§. XI.

Inde vero Nicer Franciam rhenanam & Franconiam ita separat, ut quæ a latere dextro visuntur, pars pagi Necchariensis cum pago minore Sulmanachgowe, & Wingarteiba cum pago suo minore Scaphlenzgowe Franconiæ, a sinistro pars pagi Necchariensis citerior cum pagis Zabernachgowe, Gardachgowe & Elsenzgowe ad Franciam rhenanam spectarent. Descendendo igitur Nicrum pervenimus ad fines pagi Lobodunensis (*f*). Quemadmodum hic diœcesi Wormatiensi continebatur, ita adfines illi Mœnum versus pagi Moynachgowe & Plumgowe diœcesi Moguntinæ suberant. Neque igitur dubium esse credo, quin quibus finibus olim diœcesis Herbipolensis a Wormatiensi separata fuit, iisdem Francia rhenana sive occidentalis ab orientali disterminanda sit, adeoque linea a Nicro inter Ebersbacum diœceseos Herbipolensis & Hirschhornium diœceseos Wormatiensis (*g*) juxta rivum Gaminesbach vel Vluina (*h*) versus fluviolum Mudt, qui prope Miltenbergam, Tubargoviæ initium, Mœno miscetur, sive certe Mumilingam fluvium (*i*), ducenda ad limitem quam proxime accedat. Tubargovia autem, quam supra ex diplomate Arnulfino inter pagos Franconiæ retulimus, serius, credo, ad diœ- — Fines Franciæ rhenanæ versus Franconiam.

Yy 3 cesin

(*f*) Convenienter profecto clar. *Lameius* in *act. acad. Pal.* vol. I, p. 235 de illis dicit: „Ad orientem montium, ex quibus Neccarus prope Hei- „delbergam erumpit, catena atque fastigia, quorum fontes in Rhenum „descendunt, Lobdengoviam terminarunt.

(*g*) Vide *Schannati hist. Worm.* p. 30. De Hedesbaco, villa cis rivulum Gaminesbach, vide ibid. p. 26.

(*h*) Præit nobis traditio Lauresh. 2893, vol. II, p. 601: *In pago Wingartheiba super fluvio Neckere inter Gaminesbach et Vlvina silvam &c.* Sed Hirschhornium trans Ulvinam situm est. Cf. Besselii mappam ducatus Austrasiorum.

(*i*) Fluviolum hunc posteriorem, monente postea clar. *Kremero,* emendationis causa addendum puto. Herbipolensis enim diœcesis fluviolum Mudt superasse videtur.

cesin Moguntinam (*k*) accessit. Quemadmodum vero omnis ista regio, in qua finis utriusque provinciae & dioeceseos conveniunt, silva Odonewald continetur, ita facile sumere licet, fines hosce etiam in summitatibus montium, a quibus utrimque diffluunt aquae, quaerendos esse; quam quidem operam nunc suscipere non audeo.

§. XII.

Fines versus Hassiam, Westfaliam & Ripuariam transrhenanam.

Trans Moenum fines Francorum occidentalium sive Rhenanorum, & orientalium fere e regione Miltenbergae incipientes inter Moingoviam nostram & Waldsatiam Franconicam per silvam Spechteshardt, hodie Spessart, limitem Francorum & Bavarorum, ad quos a seculo X Franconia spectabat tanquam marchia septentrionalis (*l*), & quidem inter fontes fluviorum utrimque decurrentium, procedunt, tum vero montem Fugalesberg sive praetereunt sive transeunt. Atque hosce fines, quibus Wetteravia & Longavia inferior a Grabfeldia occidentali & Longavia superiori, Hassorum regionibus, distinguitur, legendo ad Loganam pervenimus, prope Giessam (*m*). Flumine Logana superato a latere sinistro Dillae fluvii fines Longaviae superioris Hassiacae & inferioris, quam rhenanae Franciae adjectam putamus, sic inter rivos, qui hinc & illinc in Dillam vel Loganam illabuntur, persequimur, usque quo ad montem Rothauer perveniamus; qua in regione Loganae, Dillae & Segae fontes emanant. Tandem juxta Segam versus

(*k*) Vide vener. *Würdtweinii dioec. Mogunt.* comment. IV, cap. 11, p. 653 &c. quo decanatus in Tubargovia diligenter illustratur ex monumentis inde a seculo XIV repetitis.

(*l*) *Adelboldus* in *vita Henrici II imp.* apud *Leibnitium scriptt. Brunsw.* tom. I, p. 437. Cf. *Pfeffelii* disp. egregiam de finibus Nordgaviae Bavaricae in *commentt. acad. Boicae* §. IX &c. p. 162 &c.

(*m*) Eo usque enim pertinebat dioecesis Trevirensis, cui suberat tota provincia Loganensis inferior, olim Ripuariorum, sed ab incunabulis regni Germanici ad ducatum Franciae Teutonicae adjecta.

versus occidentem sive Rhenum progrediendo fere in ipsis terminis Franciæ rhenanæ, Westphaliæ & Ripuariæ versamur. Bessellius tamen abbas observat (*n*), propius ad Rhenum pagum Ripuariorum transrhenanum Segam austrum versus superasse, adeo ut fluvius Weda, quem pagi Engers terminum facit, Franciam quoque nostram a Ripuaria disterminasse videatur.

§. XIII.

Fines cisRhenum versus Lotharii regnum.

In Germania cisrhenana Mosella, vel potius Aara, Ptolemæi Obringa, utriusque Germaniæ, superioris & inferioris, primæ & secundæ limes fuit, sed nescio an fuerit Ripuarii regni & Alemanniæ cisrhenanæ, quæ post victoriam Tolbiacensem Salici juris facta est. Neque enim provincia Wormatiensis cum pago Navensi fines Moguntinæ diœcesis, quæ quidem cis Rhenum sensim a Wormatiensi abstracta, inter Heimbacum inferius & Baccharacum Trevirensi contermina fuit, superasse videtur (*o*). Postquam certe per pactum Virodunense ad regnum Franciæ orientalis tres pagi cis Rhenum, Spirensis, Wormatiensis & Nauensis, qui etiam marca Moguntina dici consueverat (*p*); accesserunt, pagus Trachgovia sive Trechira, qui angulum inter Rhenum & Mosel-

(*n*) L. IV art. *Ripuaria* & *Westfala.*

(*o*) Notitiam diœcesium, cum hæc primum scripsissem, maxime repetebam ex indice illo celebratissimo, quamvis pluribus nævis contaminato, quem vulgo vocant *Chamoisianum: Liste des lieux compris par la derniere clause du 4 article du Traité de Riswik.* Vide eum in *Cortreii corp. juris publ.* tom. I, part. III. Nunc vero curas secundas adhibenti opportunius auxilium adfert vener. *Würdtweinii dioec. Mogunt. in archidiaconatus distincta &c.* quam vide inprimis comment. I, §. II & III, p. 58 sqq.

(*p*) Cf. *Besselium* L. IV, p. 684, qui tamen marcæ Moguntinæ amplitudinem haud ad pagi Nauensis ambitum accommodavit.

Mosellam efficit (*q*), regno Franciæ mediæ relictus est. A dicto igitur limite dioecesium, atque Navensis pagi Trachgoviæque, exorsis fines dioecesium Moguntinæ & Trevirensis porro obeundi sunt, sic ut occidentem versus progredientes per silvam *Sane* inter Castelhunium Trevirensis, oppidaque Simeram & Kirchbergam, utraque Moguntinæ dioecesis, montium juga summa sive fontes fluviorum utrobique in Navam & Mosellam deproperantium lustremus, dein ubi fere eam silvæ dictæ partem, quæ Trevirensi dioecesi subdita appellatur Trevirensibus *Ider* (*r*) attingimus, inter hanc & judicium Rhunense, præfecturamque Rhingravicam Wildenburg, quæ Moguntinæ dioecesis sunt, pergamus ad Navam atque bannum curiæ in Ider (*s*), qui dioecesis Trevirensis est tanquam oram aliquam legendo, paullo infra Superiorem Lapidem,

(*q*) Ex locis a Besselio recensitis colligere licet, pagum Trigorium sive Trachari pertinuisse ad fluvium usque Deim, qui a Castelhunio versus Mosellam decurrit, eique prope arcem Treis miscetur. Fuit autem pars regionis montosæ & silvestris, quam Hundesruche dicunt, inde a Birkenfelda ad Confluentes usque inter Mosellam & Navam pertinentis. Pagus vero Hundsruche arctioribus finibus circumscriptus affinis fuit Trachgoviæ, pago Navensi & pago Trevirorum Mosellano.

(*r*) *Trithemius* in *chron. Hirsaug.* ad an. 1504, tom. II, p. 610, edit. 1690, silvam Sane a Rheno inter Bingium & Baccharacum initium sumsisse, & per comitatum Spanheimensem Cynonotosque Trevirenses & Lotharingos porrigi in fines Metensium notat, simulque observat eam nemoris partem, quæ sub Moguntina continetur dioecesi, Saonum, illam vero, quæ Trevericæ dioecesis est, *Hydorum* (Yder) vocari.

(*s*) Ad quem testantibus literis reversalibus Philippi de Duna, domini de Lapide, an. 1320 datis, spectabant villæ Yder, Hettelrod, Hezerten, Muckenrod, Alckenrod, Diffenbach & Kirswiler, in aliis vero an. 1349 datis ita circumscribitur: *Yder ban — wiht vnd lang als verre als herna geschrieben steit, anegans von der Nahe, do die Yder ingeit wider uf bis an die Singesbach vnd die Singesbach vf bit an den Borgberg uberal von dem Borgberge bit an den gehawen stein vf der Yder vnd die Yder wieder in bit uf die Nahe.*

dem, Navæ appositum, eundemque Trevirensis diœcesis ad ipsam Navam descendamus. Cis fluvium vero hunc diœcesium Moguntinæ ac Trevirensis, adeoque pagorum Navensis & Trevirensis limites, inde fere ex adverso Superioris Lapidis per silvam Winterhauch versus Baumholderam, quæ diœcesi Moguntinæ olim paruit æque & Lichtenberga, dirigunt; deinde a Baumholdera ad confinia diœcesium & pagorum Navensis, in quo sita fuere *Osterna inferior*, hodie Niederkirchen, & *Ouinbach*, hodie Ombach, ac Wormatiensis, ad quem referenda est præfectura Kibelbergensis (*t*) & Blesinse, cui oppidum S. Wandalini Breitenbacum, Mora Silvestris & Vogelbacum, vici diœceseos Metensis, attributi fuere. Linea igitur inter hæc loca producenda est per montium cacumina ad villam usque Bruchmuhlbach, in qua diœcesis Metensis & Wormatiensis convenere. Inde secundum rivorum ex montibus summis oriundorum fontes devenimus ad confinia pagi Blesensis & Spirensis. Hactenus ad fines pagorum cisrhenanorum, quos Franciæ Teutonicæ sive Rhenanæ partes ab incunabulis regni Germanici fuisse constat, disterminandos limitibus diœcesium, tanquam auxilio, usi sumus. Neque enim dubitari debet, quin pagus Navensis idem sit, quem Annalista Bertinianus, Regino ceterique ad annum DCCCXLIII pagum Maguntiæ adjacentem dixerunt. Quum ille alias pars Wormazfeldæ fuerit (*u*), haud mirari quisquam debet, quod in divisione regni an. DCCCXXXIX facta sigillatim haud memoretur. Referunt enim annales Bertiniani, quod ad has partes attinet, tantum *ducatum Ribuariorum, Wormazfelda, Spirohgouwi.* Eadem de causa pago-

(*t*) Vide *Schannati hist. Wormat.* p. 34.

(*u*) Cf. ampl. *Lameii descr. pagi Wormat.* §. X, XI & XVIII. Adde donationem Hererici viri illustris, abbatiæ Prumiensi an. 870 factam, in *Martenii & Durandi coll. ampl.* T. I, ubi: *Villa Wimundasheim infra pagum Naagao in confinio seu pago Wirmacense super fluvium Elera.* Villa vero hæc Winsheim prope Hüffelsheim haud procul a Sponhemio trans Navam sita est.

rum Trachgau & Hunsruche, quos Lotharienſis regni pagos minores ſub aliis majoribus latere exiſtimandum eſt, nulla mentio fit in diviſione regni Lotharingici an. DCCCLXX facta (x). Quemadmodum enim pagus minor Hundesruche comprehenſus fuit ſub comitatu ſeu pago Trevirorum Moſellano, quem ipſum partem ampliſſimi pagi Bedenſis fuiſſe arbitramur (y): ita Trachgovia, vel eodem referenda eſt, vel unus de quinque Ripuariorum comitatibus fuit. Vigebant certe Ripuariorum leges in Bopardia, Trachgoviæ oppido (z). Utrum vero univerſus pagus Navenſis cum Wormatienſi agro Ludovico Germanico attributus fuerit, necne, dubitari quodammodo poteſt. Anno enim DCCCLIII Lotharius I imperator fratre ſuo Ludovico deprecante, hujus ipſius vaſallo Hererico quatuor ſervos, quos antea Adelhardus comes Trevirorum in beneficium poſſederat, in dicta villa Wimundesheim donavit. Verum quicquid ejus ſit, pagus certe Navenſis, quatenus juri diœceſano Moguntini archiepiſcopi ſubditus fuit, haud ad Lotharienſe, ſed orientale regnum ſpectavit, docente quadam tabula an. DCCCCXVIII data, qua Ruothardus vir illuſtris villam Oſterna in pago Navenſi abbatiæ S. Remigii Cuſſelanæ tradidit. Data enim eſt *ſub die XVIII kal. Febr. an. VII regnante Domino Kuonrado in orientali Francia rege feliciter.*

§. XIV.

Fines verſus Weſtraſiam & Alſatiam

Weſtraſia, provincia Metenſis diœceſis, regni Lotharienſis olim portio, quam cum Alſatia retinuerat, ex mea quidem opinione,

(x) Quam vide apud *Calmetum hiſt. Loth.* tom. II probatt. p. CXL ſq. edit. nov. *Conringium de finibus imp. Germ.* lib. I, cap. VII, §. 2 aliosque.

(y) Conf. deſcriptiones horum pagorum apud ſumme ven. *Hontheminum* in *hiſt. Trev. diplom.* T. I, ſec. VII præmiſſas §. XIV - XVI p. 61 - 66.

(z) Vide clariſſimi *Patrickii* diſſ. de immediata vicinitate ducatus Ripuariorum & Wormazfeldæ &c. in collectionis, quæ inſcribitur: *Beiträge zur ſittenlehre &c. und geſchichte aus den weſtl. gegenden Teutſchlands,* faſc. I, p. 7, §. 2.

nione, Conradus I rex, oppofita fuit Auftrafiæ rhenanæ. Quibus igitur limitibus pagus Weftrafiæ Blefenfis a pago Auftrafiæ Spirenfi difterminatus fuit, eosdem inde a termino, quem fupra reliquimus, fecundum fontes fluviorum utrimque decurrentium & diœcefium confinia perfequamur. Linea nimirum a vico Bruchmuhlbach fic ducta, ut villas Quidersbach, Kirchenarmbach, caftrum Wilftein cum villa Tribftatt ad Wormazfeldam attinentia prætereamus, pervenimus ad confinia pagi Blefenfis & Spirenfis, quæ inter Grevenfteinium caftrum, Metenfis olim diœcefis, & Hochftett Spirenfis, deinde inter Rodalbam & Caldenbacum, tum Pirmafenfam inter & fontem Quifagæ, hinc inter Drulbam vicum, fonti Drualbæ vicinum, & Tan caftrum, tandem ad fontem Suræ fluvii prope Fifchbacum Silveftre ducunt. Suram autem, quæ e regione Murgæ & Ofæ Rheno mifcetur, limitem facere jubent rationes graviffimæ (*a*), quibus illuftris Schœpflini de ampliandis Alfatiæ finibus placita derogare nequeunt. Tantum enim abeft, ut Quifaga limes Alfatiæ borealis haberi queat, ut ne quidem Lutra, quem fluvium Herzogius (*b*) ftudio fuo chronographico haud vero Alfatiæ fecit finem, Nordgoviam Alfaticam determinaret, quod quidem fatis fuperque patet cum ex locorum inter Lutram & Selfam fitorum eorumque pago Spirenfi attributorum notitia (*c*), tum ex advocatiæ Spirgoviæ provincialis finibus, quos hic luftrare nimis longum foret. Sed adfunt breviora antiquitatis teftimonia. Scilicet a latere dextro & Alfatico Suræ porrigitur Silva Sancta five foreftum Hagenovienfe ad Motram usque. Atque in hac filva fitum erat monafterium S. Walpurgis,

Zz 2 quod

(*a*) Quas maximam partem explicavit jam pater quondam meus, *Jo. Phil. Crollius* in *orat. de Anvilla* p. 32-48.

(*b*) Ipfe enim in *chronico Alfatiae* lib. III, cap. II Selfam, Suræ vicinum rivulum, limitem Alfatiæ habendum effe innuit.

(*c*) Cui fupplementa fcripfit pater meus l. c. ex documentis Spirenfibus.

quod Otto Frisingensis (*d*) *in terminis Alsatiae* positum fuisse dicit. Consentit cum scriptore gravissimo Richerius chronici Senoniensis auctor (*e*), cum narrat: „B. Deodatus ad quendam locum per„ venit, qui Theutonico idiomate Helygevorst, Latine sancta silva „ vocitatur, juxta oppidum, quod Hagenowia dicitur, in finibus „ Alsatiæ situm. „ Neque nobis obstat Selsa, quam Adelboldus aliique scriptores, æque & vetustiora monumenta, in Alsatia ponunt; quum illam seculo XIV Rhenus absorpserit, adeoque nova Selsa a veteri bene distinguenda sit. Quodsi denique limites juris Wildfangiatus (*f*) & quos in privilegio Palatino de protectione fabrorum ahenariorum (*g*) diserte notatos legimus, cum hisce conferamus, non solum Franciæ rhenanæ erga Alsatiam, sed universæ provinciæ fines egregie, quod dicunt, a posteriori demonstratos videbimus. Verum commentationes hujus fines haud patiuntur, ut uberiores hac in materia simus, monentque ut ad alia festinemus.

§. XV.

Franciæ rhenanæ pagi

Itaque ex dictis patet, Franciæ rhenanæ accensendos esse pagos, qui sequuntur: I in Germania cisrhenana Spirigoviam, Wormazfeldam, pagumque Navensem. II in Germania transrhenana inter Rhenum, Segam & Mœnum, Rhingaviam inferiorem, pagum Einrich, Longaviam inferiorem cum pago minori Heygere, Vederoviam, Niedgoviam, Kunigessundra, & partem Moin-

(*d*) *De rebus gestis Frid. I imp.* lib. I, cap. XXXIX.

(*e*) Lib. I, cap. V in *Acherii spicil.* tom. II, p. 606.

(*f*) Cf. *acta comprom.* in *causa juris Wildfang.* quæ Manhemii an. 1738 denuo excusa sunt, inprimis p. 37.

(*g*) Vid. *Hertling de regal. Palat.* §. IX, regale IX, p. 44 sq. Cf. diss. de origine comitatuum Palatinorum provincialium sect. III, §. II in *actis acad. Boicae* vol. IV, p. 143 sq.

Moingoviæ a latere Mœni dextro. III inter Rhenum, Mœnum & Nicrum, ſilvamque Odonicam partem Moingoviæ cum Plumgovia, Bachgovia & Rottgovia, Rhenenſem ſuperiorem ac Lobodunenſem, qui etiam Nicrum ſuperat. IV inter Rhenum, Nicrum atque Alemanniam Sueviamque, partem Lobodunenſis, Craichgoviam cum parte Neckergoviæ a latere fluvii ſiniſtro ſita, Elſenzgoviam, Anglachgoviam, Salzgoviam, Pfunzingoviam, Albegoviam, Ufgoviam, Encingoviam, utramque Wiringoviam, Glemsgoviam, Zabernachgoviam & Gardachgoviam. V tandem trans Nicrum pagum Murachgowe, tanquam marcam aliquam inter Francos orientales & Alemannos.

Pars II

De forma et habitu provinciarum Germaniae Francicarum, maxime Franciae Rhenanae.

§. XVI.

Poſtquam Pipinus Nanus, ejusque filius Carolus M. reges, ducibus, qui populorum principes, quamvis regum ligii, eſſe videbantur, novæque familiæ regnatrici parere magno recuſaverant opere, abrogatis, per comites ſuos ac miſſos de palatio, dein procuratores cameræ, provincias Germaniæ regere inſtituiſſent: manſit hæc provinciarum formula, qua regibus nullo alio intermedio principe parebant, per ſeculum fere nonum, etiam poſt diviſionem monarchiæ in tria regna Viroduni factam. Atque horum trium regnorum, quorum neutrum alteri obnoxium eſſe debebat, principes ſummi a populo victore & primario, qui in varias tribus tanquam ramos diviſus victis populis dominabatur, reges Francorum dicebantur (*h*). Carolus quidem Calvus, rex

Imperium Francorum tripertitum inter filios Ludovici Pii

 Fran-

(*h*) Dicuntur tales ſcriptoribus veteribus. Ipſi vero in chartis ſuis regis titulum ſimpliciter adhibere conſueverunt, omiſſo Francorum nomine, quod

Francorum Neuſtraſiorum ſive occidentalium, præter Neuſtraſiam provinciam proprie ſic dictam, ſortitus erat Aquitaniam, partem Burgundiæ, Septimaniam & Marcam Hiſpanicam; atque Britanniæ duces clientelam apud eundem profiteri debebant. Neuſtria autem, quippe quam incolebant Franci liberi, provincia erat primaria, regni arx, toti regno occidentali nomen impertiens. Hujus æque & totius regni caput ſive palatium primarium Lutetia erat Pariſiorum, conſtituebat illa peculiarem ducatum, quem qui obtinebant, abbacomites, marchiones, denique duces Francorum vocari conſueverunt, atque præter comitatus plures, abbatias locupletiſſimas, maxime S. Martini, ſibi commendatas habebant; principes a rege primi, locumtenentes regum & tutores minorum, denique regni ipſius, exſtincta regnante familia, heredes, ſæpiusque æmuli.

Lotharius I fratrum natu maximus, etiam regnum Franciæ mediæ ſortitus, hoc ipſum ita inter filios diviſit, ut Carolus natu minimus provinciam haberet, Lotharius vero II Franciam, quæ dein dicta fuit *Lotharii regnum* (*i*) atque etiam, quod Lotharius I imperatoris Romanorum dignitatem una geſſerat, *Franciae Romanae*

quod quidem ita inter eos conventum fuiſſe videtur, ut ne quis eorum ſibi uni imperium in Francos præſumere velle videretur. At in ſubſcriptione annorum regni diligentius additum legimus: *in Francia, in Francia orientali.* Nolim vero omnia iſta diplomata regum noſtrorum, qualia maxime in *Miraei cod. piar. don.* occurrunt, ſuſpecta haberi, in quibus reges Francorum, Francigenum &c. vocantur. Suppetunt enim pariter in Francia occidentali nonnulla, quamvis rariora, in quibus Carolus Calvus dicitur rex Francorum (& Aquitanorum). Cf. *Bouquetii ſcript. rer. Gall.* T. VIII. Atque tabula pacti Bonnenſis an. 921 inter Henricum regem & Carolum Simplicem initi diſerte illum vocat regem Francorum orientalium, hunc occidentalium, in *Cheſnii ſcriptt.* tom. III, p. 587 & *Bouquetii* l. c. T. IX, p. 323. De Ottone I rege & imp. vide *prodr. chron. Gottwic.* L. II, cap. III, §. XIII, p. 165 - 167.

(*i*) Loquimur cum *annal. Bertin.* ad an. 855 & 856, Andrea presbytero, ſcriptore ſeculi IX Italo, quem primum edidit *Muratorius antiqq. Ital.* tom. I, p. 42.

manae (*k*) appellatione nonnunquam insignita est. Parebant igitur Lothario imperatori, Franciæ mediæ regi, maxima pars Francorum superiorum, inferiorum & Ripuariorum, prætereaque Burgundiæ pars maxima & Provincia. Ripuariæ autem summus honos fuit, quippe in qua sita erat palatium primarium Aquisgranense, quemadmodum antea Metis caput fuerat regni Austrasiæ; atque hujus dignitatis prærogativum fuisse videtur, quod Ripuarium erat natale solum familiæ Carolidarum, a Pipino Heristallio oriundorum (*l*).

Ludo-

(*k*) Hoc nomine insignitum fuisse regnum Lotharii, docet nos *Luitprandus* Ticinensis diac. in *hist.* cap. VI, ubi de Widone, Franciam Romanam h. e. Lotharingiam appetente præclara narrat. Unde fortassis defendi potest titulus, quem Conradus I diplomate Fuldensi sibi sumit regis *Romanorum* & *Francorum*, apud *Browerum antiqq. Fuld.* L. II, cap. VII, p. 128, & *Schannatum traditt. Fuld.* n. 558 p. 229. Non solum enim, quod pridem constat, Alsatiam a Lotharii regno avulsam, sed & Westraviam, regionem Alsatiæ, Franciæ rhenanæ & ducatui Mosellanico intermediam, a Saræ fontibus ad ejus cum Mosella confluentes usque porrectam, adeoque haud mediocrem partem Franciæ Romanæ sive Lotharingiæ tenuit.

(*l*) Pipinum de Landis Francos inferiores, *populum inter Carbonariam silvam & Mosam fluvium & usque ad Fresionum fines vastis limitibus habitantem* sub sua potestate habuisse, atque hunc ducatum per ipsius filiam heredem, Beggam, Ansigisi uxorem, ad Pipinum de Heristallio, Austrasiorum ducem & majorem domus transiisse, docent *annales Metenses* ad an. 687, aliique auctores, quos laudavit perillustris comes *Bunavius* in hist. Germ. cæs. & imperii T. II, L. I, p. 185. Hic ipse vero Pipinus Heristallius, ejusque filius Carolus Martellus ac nepos Pipinus Nanus avitum tenebant ducatum Austrasiorum, quo nomine id temporis etiam Ripuarii & cis & trans Rhenum habitantes comprehensi fuere. Cf. *chron. Moissiacense* sub Constantino, Constantini filio, & *annal. Metens.* ad an. 687. Unde *Francopolita* scriptor personatus, in libello egregio, Germanice scripto de veteri Austrasiæ regno §. VI, p. 35 principatum majorum Carolingorum in regione, quæ Mosam & Rhenum interjacet, tum in Germania transrhenana, in Hassia & Franconia probabiliter quæsiisse videtur. Idem enim scriptor gravissimus ostendit §. XV, etiam transrhenanas Germaniæ provincias Austrasiæ regno accenseri

Ludovicus tandem Germanicus sortitus erat regnum Francorum Austrasiorum cis & trans Rhenum, populi primarii, dein partem Ripuariæ Franciæ transrhenanam, cum Hassia, Franciam novam sive australem strictius dictam; tum Saxoniam, Bavariam, Alemanniam ceterasque regiones. Provincia autem, quam habebat Saliorum gens, Rhenana, omnium princeps, universo Germaniæ regno nomen Franciæ orientalis impertita est. In ea videbatur metropolis, æque & palatium primarium, uti provinciæ Rhenanæ, ita totius orientalis regni. Qui a rege proximi erant, populi principes dicebantur, procuratores, duces, marchiones, comites potentissimi Francorum; quemadmodum reges ipsi Francorum reges vocabantur. Sed hæc sigillatim disputanda sunt.

§. XVII.

Reges Germaniæ summi Francorum duces

Itaque reges nostri erant primi duces sive principes summi Francorum, a quibus ortum erat regnum; ita ut qui Francorum principatum tenerent, reges totius Germaniæ omniumque ejus populorum haberentur. Quamvis etiam post obitum Conradi I regis summa regni Teutonici, quæ hactenus penes Francos fuerat, ut verbis utar annalistæ Saxonis, ad Saxones transiisse videretur, constat tamen ex historia inaugurationis Henrici Aucupis ejusque filii Ottonis Magni, eos ab exercitu Francorum designatos fuisse reges, atque Ottonem, qui fuerat Saxonum dux, etiam a Francis salutatum novi ducis titulo imperium omnium Francorum accepisse, quemadmodum hæc diserte testatur Witichindus Corbejensis (*m*). Ipsis igitur e Saxonibus lectis regibus majestatem

censeri solitas fuisse. Denique multitudo fundationum sacrarum, quas principes regesque Carolidæ & cis & trans Rhenum in Austrasico solo de patrimonio suo instituerunt, clarissime demonstrat, illam regni Austrasiæ partem, quæ Francia antiqua & Ripuaria dicebatur, natalem horum principum fuisse.

(*m*) *Annalium* lib. II ab initio, in *Meibomii scriptt.* tom. I, p. 642 & *Annalista Saxo* ad an. 936 apud *Eccardum* tom. II, p. 258.

tem regiam conciliabat ducatus Francorum, isque ſummus (*n*); qua de re poſt Gundlingium (*o*) haud facile quisquam recentiorum ſcriptorum melius diſputavit perilluſtri Senckenbergio (*p*), adeo ut longiori diſputatione ipſe ſuperſedere queam. Regibus vero, tanquam Francorum ducibus, proprio jure devinctæ erant provinciæ Francorum, maxime Auſtraliorum ſive ſupra Rhenum habitantium. Fruebantur reges in omnibus ceterorum populorum provinciis, etiam cum in ducatus redactæ fuiſſent, fiſco regio prædiisque dominicis; Francorum vero provinciæ totæ juri regio ita addictæ erant, ut Franci ipſi, libertate egregia præ ceteris populis fruentes, nemini ſubeſſent, niſi regi. Neque tamen hæc Franciæ Teutonicæ formula usque omnino eadem fuit, quod dein diligentius diſputabimus. Denique hic opportunum videtur, celebratiſſimum Ekkehardi junioris, ſcriptoris ſub Henrico IV cæſare haud ignobilis (*q*) teſtimonium de formula Franciæ, quæ fuerit ſub finem ſeculi IX, Arnulfo regnante & ſequiori ævo, excitare: „ Nondum adhuc (illo tempore) Suevia in ducatum
„ erat redacta, ſed fiſco regio peculiariter parebat, ſicut hodie
„ & Francia. Procurabant ambas cameræ, quos ſic vocabant,
„ nuntii. Franciam Adalpertus & Werinhere, Sueviam autem
„ Pertolt & Erchinger fratres.

Aaa §. XVIII.

(*n*) Ne quis me *ſummi ducis* nomine abuti exiſtimet. Ipſe enim Ludovicus IV imp. in diplomate an. 1338 ſcripto, apud *Johannem* in *Spicil. I tabb. vett.* dipl. miſc. n. XXVI, p. 493 illo uſus eſt, cum Godfrido comiti Arnsbergenſi *jus primam pugnam habendi* tribuit, *quando regem vel imperatorem Romanorum, vel ſummum ducem Weſtphalie* infra terminos *Reni & Weſere pugnare vel bellare continget.*

(*o*) *Gundlingian.* P. XVIII Diſſ. I de Francofurto &c. §. I-IV, p. 205 ſqq.

(*p*) In libello, quem inſcripſit: *Gedanken von dem jederzeit lebhaften gebrauch des uralten deutſchen bürger- und ſtaatsrechts &c.* cap. III p. 105 ſq. & p. 169.

(*q*) *De caſibus mon. S. Galli*, in *Goldaſti ſcriptt. Alem.* edit. Senckenberg. tom. I, part. I, p. 15.

§. XVIII.

Francorum procuratores & præsides, regum vicarii

Quum vero reges in provincias, quibus haud præfecti erant duces, missos suos vel procuratores, præsidum sive marchionum nomine sepius insignitos, ablegare consueverant, qui vel ceteris comitibus præessent, vel jura sibi reservata administrarent, imperio Carolidarum versus seculi IX finem ac sub initium sequentis attenuato, potestas illa major sive missatica marchionum sensim in ducatum mutata est. Qua de causa dein reges potestati ducum, auctoritatis regiæ æmulorum, circumscribendæ suisque juribus melius tuendis comites de palatio sive palatinos, tanquam præsides regios universales, præterque eos etiam præsides particulares instituerunt (*r*), in quorum locum succedente tempore & fisco regum imminuto advocatos provinciales & civitatum suffectos videmus. Quæ cum ita sint, dubitari nequit, quin provincia Franciæ Teutonicæ ceteræque regiones fisco regio addictæ etiam suos præsides olim veneratæ sint, regum nempe locum tenentes sive legatos, qui regibus absentibus imperium exercuere vicarium, præsentibus autem adfuerunt judices supremi, Palatino honore præ ceteris ducibus tandem illustres. Testatur hoc ipsum laudatus ante Ekkehardus junior, ipsosque etiam Franciæ præsides sive cameræ nuntios nominat, Adelbertum Austrasiæ orientalis marchionem, & Werinherum Austrasiæ occidentalis sive Rhenanæ procuratorem. Illius quidem, Adelberti marchionis, pater Henricus eandem præfecturam administraverat, marchionis titulo illustris, æque ac filius, qui an. DCCCCVII violenta morte occubuit (*s*).

§. XIX.

(*r*) Vid. differt. *de origine et officio comitum Palatinorum provincialium*, in commentt. acad. Boicæ tom. IV, sect. III, p. 102.

(*s*) Cf. nostram seriem comitum Palat. Aquisgranensium illustratam, partic. II, p. 75-77.

§. XIX.

Formula Franconiæ antiquior

Francia nova, poſt Adelberti marchionis occaſum, aliam induit formam. Tum enim bona ejus fiſco regio addicebantur (t), tum præfectura ſive marchia Franconiæ adjecta Bavariæ eſt, cum Ludovicus Infans eam Luitboldo marchioni, cognato familiæ regiæ, ducique id temporis fortiſſimo, tradidiſſet (u), atque eandem Luitboldi filius, Arnulfus Boiorum dux, tenuerit; quo ex tempore Franconiam ſive Franciam orientalem Bavaria, ſigillatim Nordgovia, cujus fines ſic ampliores extiterunt, ſuo ambitu & nomine comprehendere cœpit; quod quidem tam ſolide more ſuo probavit illuſtris Pfeffelius (x), ut nulli ſcrupuli ſupereſſe queant; idemque evicit, Norgoviam cum Franconia poteſtati marchionum ſtirpis Babenbergicæ a ſeculo X medio ad medium usque ſeculum XI ſubditam, atque hos Bojorum ducibus obſtrictos fuiſſe (y). Ultimus eorum Otto Suinfurtenſis, an. MXLVII, ab Henrico III cæſare ducatum Sueviæ adire juſſus, decem poſt annis vita exceſſit absque heredibus maſculis. Quamvis autem ejus filiæ hereditatem patris diviſiſſent, atque primum natu maxima titulum marchionis cum parte hereditaria marito ſuo

(t) *Annal. Metenſ.* ad an. 907: *Facultates et poſſeſſiones ejus in fiſcum redactae ſunt, et dona regis inter nobiliores quosque diſtributa.*

(u) *Hermannus contr.* ad an. 907 tradit, non Hattonem ſolum, ſed & Luitbaldum, regi auctores fuiſſe Adalberti ſeverius puniendi; in *Piſtorii ſcriptt. R. G.* tom. I, p. 255. Eundem Luitboldum Bojorum præſidem ſive marchionem ad annum ſequentem Lambertus Schafnaburgenſis vocat *ducem Thuringorum*, quæ quidem appellatio ſcrupulum movit eruditis, ſed, credo, referri poteſt ad præfecturam Franciæ olim Thuringicæ ſive Franconiæ, quæ ipſi ante annum conceſſa fuerat. Sub ejus filio Arnulfo duce nexus Bavariæ & Franconiæ clarior exiſtit.

(x) In comment. acad. Boicæ vol. I §. X & XI, p. 163 ſqq. & vol. II, præſertim §. VI & XV ſq. p. 207.

(y) Vide præter diſſ. modo laudatas ejusdem auctoris præſtantes commentarios de veteribus marchionibus Nordgoviæ.

Hermanno de Abenberg attulisset, dein utroque defuncto natu minima ejusdem dignitatis heres facta hanc ad posteros suos Vohburgios marchiones propagasset, haud tamen recentiores isti marchiones præfecturam totius Franciæ orientalis gerere visi sunt. Atque verisimile fit, Henricum III imp. cum Ottonem de Suinfurt ducis honore auxisset, præfecturam Franconiæ jure Boico jam exemtam sibi regioque fisco denuo addixisse (z). Id temporis episcopi Herbipolenses potestatem judiciariam, quæ ante penes marchiones fuerat, sive judicium provinciale jam suum etiam ultra fines diœcesis suæ proferre studuerunt (a). Anno certe MLII Hartwicus episcopus Babenbergensis coram Leone pontifice Romano, Henrico III cæsare & quamplurimis utriusque ordinis principibus querimoniam de eo habuit, quod Adalbero episcopus in jura Babenbergensis invaderet, quod factum excusans Adalbero promittere debuit, se deinceps haud præsumturum esse, quicquid jurisdictione civili & sacra Babenbergensi adstrictum sit (b). Quemadmodum igitur ducatus Herbipolensis in Franconia natales probabilissime ad istud tempus referendi sunt, ita

(z) Quod in prolusione lætitiæ Bipontinæ an. 1769 actæ, de connubiis principum feminarum stirpis Francicæ Rhenanæ &c. §. II probabiliter conjecisse mihi videor.

(a) Illustris Pfeffelius origines ducatus Herbipolensis, æque & Burggraviatus Norimbergensis, in annum 1057, quo Otto Suinfurtensis, ex marchione Franconiæ dux Sueviæ, absque heredibus masculis defunctus sit, collocat. Ego vero easdem altius repetere malim ab anno 1047, quo Otto præfecturam Franconiæ cum ducatu Sueviæ commutare jussus est. Quum antea simili ratione Otto comes Palatinus Aquisgranensis an. 1044 ducatu Sueviæ auctus fuisset, dimittere eum opportuit comitatum Palatinum, quippe qui tum cessit Henrico II, ipsius patrueli. Alia taceo exempla.

(b) Vide *Hofmanni annales Bamberg.* in *Ludewigii scriptt. Wirceb.* p. 72 sq. Itaque clar. *Gonne* in Disq. de *ducatu Franciae orientalis* §. XXXIX, p. 88, quamvis non ad Ottonis Suinfurtensis, creati jam ducis, decessum de præfectura Franconiæ, attenderit, acute rem edisseruit, cum inquit:

ita certius etiam est, nomine illo nihil nisi judicium provinciale Herbipolensis dioecesis designari. Quum vero Henricus IV cæsar Franciam orientalem, cujus præfecti olim marchiones veriti erant Bojorum duces, aliquamdiu fisco regio addictam, tandem ducatus nomine genero suo Friderico I Suevorum duci regendam commisisset, atque in patris locum filius alter Conradus successisset, Henricus V cæsar, Conradi Francorum ducis avunculus, anno MCXVI, cum Erlungus episcopus a fide sibi debita desciviſſet, oblata sibi facultate injuriam ulciscendi usus, dignitatem judiciariam, quam episcopi in omnibus bonis ecclesiæ suæ & in omnes ejus homines per totum Franciæ orientalis ducatum tenebant, episcopo ademit, & Conrado, qui jam provinciæ ducatum habebat, tradidit (*c*). Quamvis autem idem cæsar quadriennio post jurisdictionem istam episcopo reddidisset (*d*), vestigia tamen etiam ab anno MCXX reperiuntur clarissima auctoritatis ducalis, qua Staufenses principes in universa Franconia polluerunt (*e*).

Aaa 3 Scili-

inquit: „Ad hæc itaque Henrici II & Conradi II tempora tantum abest, „ ut de ducatu Franciæ orientalis, episcopis Wurzburgensibus acquisito constet, ut ne jurisdictio quidem eisdem per omnia ecclesiæ bona „ inque omnes ecclesiæ homines cessisse pro certo asseri possit. Evenisse „ tamen paulo post hæc ipsa tempora mutationem quandam, atque jam „ demum episcopos in suos jurisdictione quadam cœpisse gaudere, „ omnino concedendum videtur, quanquam de titulo, quo illam acquisierint, accurate non constet.

(*c*) Jam antea Fridericus I dux Suevorum æque & Francorum ab episcopo Herbipolensi tenebat feuda satis ampla, ex quibus in salutem animæ fratris sui Ludovici, comitis Palatini, per Franconiam an. 1103 & seq. cœnobio S. Stephani Herbipolitano donum obtulit, testibus chartis in *Schannati vindem. liter.* coll. I, p. 62 sq.

(*d*) Vide chartam restitutionis in *Leucfeldii antiq. Poeld.* p. 253, *Lunigii archiv. imp.* part. spec. cont. I fortf. III, p. 325 & Germanice versam apud *Laur. Friese* in *scrippt. Wurceburg.* p. 493.

(*e*) Memorabile inprimis est, quod Ruggeri mortuo Erlungo in episcopum electi patrocinium etiam adversus avunculum regem susceperunt fratres, duces

Scilicet ducatus Franconiæ a dicto Conrado, dein rege, tanquam hæreditas ad filium ipsius, Fridericum Rothenburgium, delata, hoc absque liberis mature defuncto an. MCLXVII ad Fridericum I imperatorem cum ducatu Sueviæ devenit, inque divisione patrimonii inter hujus filios facta quarto eorum Conrado obtigit (*f*). Tandem jura ducalia Franconiæ ultimo Staufensium Conradino cesserunt, cujus donatione feuda Bambergensia cum dapiferatu hujus ecclesiæ, aliaque prædia illustria in Nordgovia adeptus Ludovicus Severus, comes Palatinus, dux Bavariæ, posteritati suæ transmisit.

§. XX.

Status provinciæ Hassorum antiquior

Diximus supra, provinciam Hassorum de veteri Ripuariorum regno dejunctam, atque præter Hassiæ pagum strictius dictum, Buchoniæ, Longaviæ superioris, Vederoviæ ex parte & Angariæ regiones complexam Francici quidem juris (*g*), neque tamen partem

duces Fridericus Suevorum & Conradus Francorum. Cf. *annal. Saxonem* in *Eccardi corp. hist.* T. I, p. 647. Iidem principes tenebant Norimbergam oppidum & castrum, testante *Ottone Frisingensi* de *gestis Frid. I imp.* L. I, cap. XVI. Conradum quoque ante quam regnum adeptus, comitatum Cochengaviæ, qui versus Sueviam Franconiæ limes erat, tenuisse constat ex charta apud *Schannatum vind. liter.* coll. II, p. 44 sq. Amplissimæ tum donationes, quibus Conradus rex ejusque filii monasterium Ebracense locupletarunt, Gertrudis reginæ & filii Friderici ducis habitatio frequens ac sepultura in eodem monasterio, de qua vide *notitiam mon. Ebracensis* p. 16-19, denique sepultura Conradi regis Bambergæ facta, cetera totidem sunt significationes caritatis, qua Franciam orientalem, suam provinciam, complexi sunt, æque & opum, quas in eadem habuerunt.

(*f*) Quod ex *Ottonis* de *S. Blasio* append. ad *Ottonem Frising.* cap. XXI collato cum loco in *Güntheri Ligurino* L. I, 82 &c. cognosci licet.

(*g*) Cf. *Besselii chron. Gottwic.* L. IV, art. *Hassia* p. 627 &c. Addo autem inprimis, quod Münda oppidum ditionis hodie Hanoveranæ sita dicatur *in terra Franconica, jure Francorum frui et potiri* in privil. Ottonis ducis Brunsuic. an. 1246 in *Eccardi comm. de R. F. O.* Tom. I, p. 936.

partem ducatus Austrasiorum Rhenani fuisse. Habuit certe Hassia, dum Franconia & Francia Rhenana suos verebatur principes, regum vicarios sive cameræ nuncios, Adelbertum marchionem & Werinherium, utrumque Hattoni, præsuli Moguntino, gravem odiosumque; habuit, inquam, Hassia, tertia Francorum Teutonicorum regio, tum suum præsidem, seu comitem Francorum majorem, regis vicarium. Loquor nimirum de Conrado seniore, Conradi regis patre, quem Arnulfus rex in præcepto Fuldensi an. DCCCLXXXXVII scripto (*h*) & comitatus binos, Hassiæ atque Angrariæ tenuisse, & beneficia in pago Eichesfelden habuisse, Regino autem Prumiensis ad annum DCCCCV in Hessia, in loco qui dicitur *Frideslar*, cum magnis militum copiis resedisse testantur. Atque ego auguror, Conradum hunc, cum ducatum Thuringiæ an. DCCCLXXXXII sibi ab Arnulfo rege traditum eodem anno rursus dimitteret, Hassiæ præsidatum administrare maluisse, quippe quæ provincia solo ipsius natali, Longaviæ inferiori, prædiisque avitis vicinior erat. Ortus nimirum stirpe Salica, Longaviæ, maxime inferioris, incola, natusque patre Udone comite, quem Gebehardi, Longaviæ tempore Ludovici Pii imp. rectoris, filium fuisse atque cum fratribus Berengario comite & Waldone abbate S. Maximini a Ludovico Germanico rege ob infidelitatem honoribus exutum, sed restitutum, hujus filio Ludovico juniore rege gratia floruisse alibi demonstrabimus (*i*). Conradus vero, quem

(*h*) *Traditt. Fuld. Schannati* n. DXLI, p. 219.

(*i*) In *Origg. Bipp.* P. I, cap. III, §. VII p. 101 jam suspicatus eram, Gebehardo Longaviæ comite Conradum seniorem cum fratribus natum esse. Ex quo autem mihi tabulæ fundationum & monasterii Kettenbach ad fluviolum Ardam in pago Logonensi inferiori a Gebhardo comite an. 845 conditi, & ecclesiæ Gemunde prope Westerburgum in eodem pago ab eodem comite an. 878 confirmatæ obtigerunt, didici, Gebehardo comiti Longaviæ inferioris filios fuisse Vdonem comitem, Bertulfum jam an. 878 defunctum & Berengarium comitem. Posterioribus lite-

quem Longaviæ comitatum post patrem avumque tenuisse credimus, comitatibus Hassiæ & Angariæ auctus, atque tum Arnulfi & Ludovici infantis regum, nescio quo gradu, cognatorum gratia singulari, tum Hattonis, præsulis Moguntini, primarii reipublicæ administri, amicitia subnixus, cum fratribus Gebhardo, Vederoviæ & Rhingaviæ superioris præside, comiteque palatii, Eberhardo comite, ac Rudolfo præsule Herbipolensi, postquam Werinherus comes Wormaciensis ac Spirensis, Franciæque Rhenanæ procurator Hattoni inimicus, obierat, principatum in populo sive exercitu Francorum quærere, atque sic inimicitias bellaque cum Adelberto marchione, Francorum procuratore, quem pariter Hatto oderat, gerere cœpit, sed an. DCCCCVI a. d. III kal. Mart. prælio infelici ad Friteslariam cecidit. Narrat hunc casum Hermannus Contractus his verbis: „Adalbertus, nobilis & bellicosus de Babenberg, Cunradum æmulum suum, victum pugna „ cum aliis multis peremit.„ Atque hunc ipsum, quem scriptor gravissimus *aemulum Adelberti* procuratoris vocat, Hugo Flaviniacensis (*k*) diserte nominat *ducem*. Nescio an temere nimis exinde conjiciam, Conradum seniorem jam cum rectoratu Hassiæ conjungere cœpisse Francorum principatum, qui adhuc penes Salicam fami-

literis cum præter filios Vdonem & Berengarium comites etiam subscripserint Waldo S. Maximini abbas & Ernestus comes, filius credo Ernusti summatis inter omnes optimates, adeoque affinis & Carolomanni regis & ipsius Gebhardi comitis, penitus mihi persuasum habeo, istos Gebehardi filios Vtonem & Beringarium comites, eosdem esse cum Vtone & Beringario comitibus, quos cum Ernesto summate, cujus nepotes fuerant, a Ludovico Germ. rege an. 861 exauctoratos cum Waldone abbate fratre in aulam Caroli Calvi regis secessisse, atque dein 866 Ludovici Junioris regis a consiliis fuisse annalista Fuldensis & Bertinianus narrant. Atque ipse Vdo comes liberalis in ecclesiam a patre institutam, procul dubio pater exstitit Conradi senioris Hassiæ comitis.

(*k*) *Chron. Virdun.* ad an. 904 *in Labbei bibl. msc.* T. I: „Anno 904 fuit „ bellum inter Conradum ducem & Adalbertum, in quo Conradus ceci„ dit &c.

familiam comitum Wormacienſium ac Spirenſium fuerat, eidemque poſt obitum Werinheri cameræ nuntii ademtus videtur, & demum poſt annum DCCCCXXXX denuo delatus eſt. Notum enim eſt, cameræ nuntios illorum temporum non ſolum comitis titulo gaviſos eſſe, ſed ſubinde etiam duces ab optimis ſcriptoribus appellari (*l*). Sed ad Haſſiam redeamus, cuius præfecturam habuit Conradus comes. Atque hic ego mirari debeo, eruditorum neminem adhuc explicare auſum eſſe, qua ratione iſte Haſſiæ præſes etiam comitatum Angrariæ habere potuerit, cum Angraria tertiam Saxoniæ univerſæ regionem conſtituerit. Neque ego, qui ſupra ſubtimidus fines Haſſiæ ultra origines rivorum in Adranam fluvium incurrentium protendere dubitavi, jam eos cum Spenero, Eccardo, ac Bunauio comite (*m*) ad Dimolam usque vel ultra eam prorogandos confidentius exiſtimo. Memini etiam Ampſivarios, qui dein dicti ſunt Angrivarii, primum in Francorum ſocietatem coiviſſe, ſeculo autem V medio Saxonibus fœderatos extitiſſe (*n*), atque ab eo tempore limites Saxonum & Francorum in Angrivariis ad utramque Viſurgis ripam habitantibus incertos fuiſſe (*o*), ita ut Saxones & Franci ſæpius de iis decertandi anſam arriperent. Vnde, credo, fieri potuit, ut pars Angrivariorum etiam poſtquam ad fœdus Saxonicum acceſſiſſent, Francorum ſive Haſſorum principum reverentiam haud deponeret. Atque cum illi

Bbb æque

(*l*) Sic *Hermannus contr.* ad an. 911 Burchardum ducem Alemanniæ occiſum eſſe, ac dein Erchingerum invaſiſſe ducatum refert, & ad an. 917 eundem Erchangerum appellat ducem.

(*m*) Illo in *notit. Germ. med.* cap. IV, p. 409, iſto in *comm. de R. Fr. Or.* Tom. I, p. 619, hoc in *hiſt. imp. Germ.* Tom. IV, p. 360.

(*n*) Cf. *Speneri notit. Germ. ant.* L. IV, p. 341, 345 & 366, *monum. Paderborn.* p. 132 ſq.

(*o*) Quod *poeta anonymus Saxo* tradit ad an. 777. Cf. Beſſelium de pagis L. IV, art. Haſſia p. 628.

æque & ceteri Saxones imperio regum Saxonicorum elati ſeſe auctoritati præſidis Haſſorum ducisque Francorum ſubducere molirentur, ortæ ſunt graviores controverſiæ, quas dein attingemus. Neque igitur puto, pagum Heſſi Saxonicum ſive potius Angarienſem primitus disjunctum fuiſſe a pago Heſſiæ Francorum (*p*), ſed utrumque comitibus Haſſiæ ſubfuiſſe ſtatuo, antequam de finibus Haſſiæ diminutio facta eſt.

§. XXI.

Sub Conradi ſenior. filiis

Reliquit Conradus ſenior Haſſiæ præſes tres filios, honorum & prædiorum heredes, Conradum, Eberhardum & Ottonem. Conradum quidem extitiſſe ducem Francorum, antequam rex crearetur, certo affirmant Witechindus Corbeienſis, Dithmarus Merſeburgenſis, chronographus Saxo, Hugo Flaviniacenſis, ceterique ſcriptores fide digniſſimi (*q*). Præter hunc Francorum omnium ducatum, quem genti Salicæ Wormatienſi abrogatum ſibi jam vindicavit familia, quam Haſſiacam dicere placet, neſcio an Conradus junior etiam paternum Haſſiæ provinciæ præſidatum acceperit; quod plerisque rerum Haſſiacarum ſcriptoribus placet (*r*). Mihi quidem veriſimilius eſt, Conradi fratrem Eberhardum præfecturam Haſſiæ geſſiſſe. Is certe, cum frater regiam dignitatem adeptus eſſet, comitatum pagi Pernuſſa in regione Heſſorum tenuit (*s*); atque regnante jam Ottone lites

(*p*) Quod *Beſſelius* contendit l. c. p. 626 art. *Heſſiga*, *Eſtor* autem in *origg. iuris publ. Haſſ.* L. I, cap. I, §. V & in *elect. juris publ. Haſſ.* p. 17 ſq. haud improbabiliter negat.

(*q*) Non eſt, quod ſingula teſtimonia excitemus, cum ſint notiſſima.

(*r*) *Kuchenbecker* in *anal. Haſſiacis* coll. IV, p. 257 & *Mallet hiſt. Haſſ.* T. I, ſect. V, qui Conradum regni potitum fratribus Eberhardo ducatum Francorum, Ottoni Haſſiam tradidiſſe conjicit.

(*s*) Vide chartam Guntbaldi presbyteri anno 913 ſcriptam in *origg. Guelf.* T. IV, opuſc. I de ſtemmate Gibellino p. 276. Situm pagi Bernuſſe incertum

lites cum Saxonibus ſuſcepit, quæ clariſſimo ſunt indicio, ipſum Haſſiæ & Angrariæ comitatus habuiſſe affines Saxoniæ. Ita enim Witichindus eas deſcribit: „ Ceſſantibus autem bellis ex„ ternis, ciuilia oriri cœperunt. Nam Saxones imperio regis „ facti glorioſi, dedignabantur aliis ſeruire nationibus, quæſtu„ rasque, quas habuere, ullius alius, niſi ſolius regis gratia „ habere contemſerunt. Vnde iratus Everhardus contra Bru„ ningum collecta manu ſuccendio tradidit ciuitatem illius, „ vocabulo Elveri (vel Elmeri) interfectis omnibus eiusdem „ civitatis habitatoribus. „ Mitto cetera, quæ refert Witechindus, cum illa jam abunde demonſtrent, rem geſtam eſſe in Angrariorum finibus, in quibus ſita fuit ciuitas Elmeri, hodie *Helmeren*, haud procul a Weſelburgo in epiſcopatu Paderbornenſi, Saxonicosque præfectos in hac prouincia in clientela Eberhardi Ducis, tanquam præſidis Haſſiæ & Angariæ, fuiſſe. Auctus vero idem Eberhardus honore ducis Francorum Auſtraſiorum ſive Rhenanorum principatum inter Francos regnante Henrico Aucupe laudabiliter tenuit, dein vero Ottone imperante maximas fecit turbas & ſeditiones, donec tandem an. DCCCCXXXVIII cum rebellionis ſocio Giſelberto, Lotharingorum duce, vitam cum honoribus perdidit. Quo facto ducatus Francorum rediit ad

certum relinquit *Beſſelius* l. c. p. 558. *Eſtor* confidentius in *origg. jur. publ. Haſſ.* L. I, p. 23 ſe inveniſſe autumat in ſatrapia Waltcappel; ſed longiſſime aberrat. Situs enim fuit ad dextram Loganæ fere inde ab eius fontibus, nomenque habuit a fluvio Pernuff hodie *Perff*, per diœceſin minorem Breidenbacenſem in Loganam defluente. Non ſolum vero dictam diœceſin, ſed & partem comitatus Witgenſteinenſis comprehendit, quin etiam in terras hodie Dillenburgicas pertinuiſſe videtur. Hoc ſcilicet in tractu invenias villas Breidenbach & Gladenbach, quas Guntbaldus pago Bernuffe aſſignat, villam *Heſilinbach*, quam memorat Eberhardus monachus in ſummariis traditt. Fuld. apud *Schannatum* p. 306, ad rivum Panſe, hodie Heſſelbach. Denique *Mawentelina* villa in pago Pernaffa, quam referunt traditt. Laurish. in *cod. Lauresh. dipl.* T. III, p. 168, crediderim eſſe *Mantein* villam hodie in præfectura Dillenburgica Ebeſsbach ſitam.

ad familiam Wormatiensium comitum, Hassia per plures comites a regibus institutos regi cœpit, imo & prædia Eberhardi fisco regio addicta fuisse videntur (t). Ecclesiam certe Wilinaburgensem, quae in patrimonio Conradi regis ejusque parentum fuerat, regii juris factam esse, ex chartis Ottonis III imp. cognoscimus (u). Quod quidem mirum videri potest, si fratrem Conradi quondam regis & Eberhardi ducis, Ottonem, posteros reliquisse, Hassiacæ præfecturæ & prædiorum gentilitiorum heredes, cum scriptoribus Hassis (x) præsumere velimus. Verum cum Otto post annum DCCCCXII, quo a fratre Conrado rege comes Longaviæ, nescio superioris an inferioris, dicitur (y), neque in Longa-

(t) Vnde puto, Fritislariam, sedem quondam præsidum Hassiæ, palatii regalis honore ornatam esse, quippe in quo Otto M. placitum celebrauit an. 953, ut cetera testimonia omittam, quæ vir quondam clar. L. H. *Schminke* in *antiqq. Fritislar.* p. 44 - 47 collegit, sed parum probabiliter alio detorquere studuit. Atque Cassellas, quo in oppido commoratus erat Conradus I rex, etiam frequentarunt Otto I & Henricus Sanctus impp. Cf. *Kuchenbeckerum* l. c. p. 258 - 261. Ne dicam de Confugia sive Kaufungen oppido, quod abbatia a S. Cunegunde fundata celebrius evasit. Vid. in *anal. Hass.* coll. III, diss. VI notitia originis monasterii Kauffungen O. S. B.

(u) Vide diplomata Ottonis III an. 993, 999 & 1002 data in *orig. Guelf.* T. IV, p. 282 & cf. *Besselii prodr. chron. Gottwic.* L. III de palatiis, cap. CXXIV, p. 251 sq.

(x) Scil. *Kuchenbechero anal. Hass.* coll. IV, p. 257. *Estore* in *Disq. de formula antiqua Hassiae*, coll. II anal. Hass. p. 357 & coll. VII disq. VI de origine veterum Hassiæ comitum, §. 8, p. 145, tum in *origg. jur. publ. Hass.* p. 75 - 79, cujus sententiam probare quoque videtur ipse *Koelerus* in *notitia procerum S. R. I.* Imhofiana p. 316, sequiturque *Malletus* l. c.

(y) Illud quidem placet doctissimo *Schannato* in *descr. Buchoniae veteris* p. 384; qui primus Ottonem hunc fratrem regis Conradi in lucem protulit edito diplomate, quod legitur in *traditt. Fuld.* num. DLII, p. 227. Novum vero testimonium sive documentum produxit ex chartulario msf. Wormatiensi ill. *Scheidius origg. Guelf.* T. IV, opusc. I, p. 280. Memo-

Longavia, neque in Hassia amplius occurrat, quin in Longavia is brevi post successorem habuerit Hermannum comitem (z), atque Eberhardus dux etiam postea Hassiæ præses fuerit, nullæ suppetunt rationes, ob quas ad Ottonis posteros Hassiæ præfecturam propagatam existimemus. Quin necrologium Fuldense memorat sub ipsum annum DCCCCXII obitum Ottonis cujusdam comitis (a), quem cum fratre Conradi regis & Eberhardi ducis eundem esse facile crediderim.

§. XXII.

Lucem hanc aliquam, quæ Eberhardi ducis rebellis fato exstincta est, sequuntur tantæ in historia Hassiaca tenebræ, ut recentiores scriptores, cum nihil certi viderent, somniandi licentia abuterentur, ad origines Ludovici Barbati, cujus posteri tandem Hassiæ principatu potiti sunt, ex familia Conradi I regis Salica deducendas. Loquuntur chartæ veteres & prædia Conradigenarum in Hassia & Longavia post fata Eberhardi ducis in regum manibus fuisse, & comites in regione Hessorum regibus paruisse, nullo præside seu comite provinciali in- Tenebræ max. post Eberhard.

 ter-

Momorat autem ibi Conradus rex *curtem Rehtenbach in pago Logenehe in comitatu Ottonis, germani nostri &c.* Curtis ista in præfecturæ Huttenbergensis parte Nassovica conspicitur. Mirum, quantum illustris Estor l. c. perturbaverit res ad Ottonem hunc spectantes, cum eum non solum Hassiæ, sed etiam Vederoviæ, quin Wormatiensi pago præfuisse velit, atque sic cum Vdone, ipsius patrueli, Gebhardi comitis filio, confuderit, alia pro lubitu confinxerit.

(z) Cf. *traditt. Fuld. Schannati* n. DLVII, p. 229. *Estor* hunc Hermannum facit filium Ottonis, neque vero perpendit rationes chronologicas, quæ prohibent, ne Ottoni id temporis filium fuisse credamus puberem. Ceterum de Hermanno isto comite vid. *Reinhardi juristisch-historische ausführungen* tom. II, p. 95.

(a) *Schannati hist. Fuld.* probatt. p. 471, itidemque in excerptis necr. Fuld. apud *Leibnitium scriptt.* T. III, p. 763.

termedio (*b*). Ipſe auctor notitiæ diplomaticæ de commenda ordinis Teutonici Schiffenbergenſi prope Gieſſam (*c*), quamvis egregie ſtatum Haſſiæ veteris & mediæ, æque & Thuringiæ, illuſtraverit, per totum tamen temporis ſpatium, quod ſeculi X initia & Ludovicum Barbatum intercedit, certas notitias deſiderans, lacunas conjecturis explere annisus eſt, quæ probabilitate deſtituuntur. Quodſi enim is primum univerſam Longaviam & Vederoviam provinciæ Heſſorum adjectam fuiſſe vult, magnopere a vero aberrare videtur. Certum enim eſt, veteres comites Arnſteinenſes ad Loganam inferiorem, ex quibus Ludovicus ſenior jam ſeculo XI vixit (*d*), & advocatiam provincialem civitatum immediatarum, Boppardiæ, Veſaliæ ſuperioris, S. Goaris, Lonſtenii utriusque, Confluentium, ceterarumque in Rhenana Francia ſitarum, & comitatum pagi Einrich tenuiſſe (*e*). Quemadmodum vero illam habuerunt a regibus, ita comecia Einrich, quæ ab iis hereditate venit ad Iſenburgios dynaſtas, dein jure emtionis tranſiit ad Naſſovios & Catimelebocenſes comites, beneficium fuit archipalatinum ſive ducum olim Franciæ Rhenanæ; ne dicam de prædiis illorum comitum in pago Wormatienſi; unde rectius illorum conjunctio cum

(*b*) Tales exiſtimo fuiſſe hoc ſeculo comitem *Elli* in pago Haſſonum, in cuius comitatu ſita fuit curtis regia Rosbach, an. 966 in *Leuberi diſq. de ſtapula Saxonica* num. 1606, & Thancmarum comitem, quem bina diplomata regia an. 994 referunt in *cod. probb. Wormat. Schannati* p. 32 ſq.

(*c*) P. II, ſect. V, p. 73 - 81, & p. 154 &c.

(*d*) Cf. vitam Ludovici comitis & fundatoris in Arnſtein, in *Honthemii prodr. hiſt. Trevir* p. 709. Vixit vero Ludovicus ſenior usque ad annos 1107 & 1108, vide *hiſt. Trev. dipl.* p. 484.

(*e*) Quod confirmat biographus modo laudatus, qui ſec. XII vixit, l. c. p. 711.

cum Francia Rhenana ejusque principibus conjicitur (*f*). Atque eadem ratione comitatus Wedensis, Sainensis, advocatiæ olim Molbergicæ, dein Nassovicæ pagi Heyger & judicii Ebersbach prope Dillenburgum, castrum Bracht comitum a Wilnau ex Deciensibus oriundorum, quæ omnia in pago Loganensi inferiori sita fuere, beneficia olim sunt Archipalatina; pariterque a comitibus Rheni Palatinis antiquitus pependerat Nuringensis comecia Vederoviæ, ut cetera omittam, quæ abunde probant, Hassiæ sive præfecturam sive comitatum haud in Longaviam inferiorem, Engrisgoviam ad Rhenum, Einrich pagum, Vederoviam universam ceterosque Rheno ac Mœno contiguos pagos pertinuisse. Alia autem ratio fuit Longaviæ superioris, quam Hassorum provinciæ partem fuisse pridem eruditi observarunt (*g*). Deinde, quod alterum est, præter omnem veritatem sumserunt illustris Estor, ejusque sequaces (*h*) familiam ducum Franciæ Rhenanæ Wormatiensem a fratre Conradi I regis satam

(*f*) L. c. p. 711 & 712, ubi etiam discimus, fundatorem Ludovicum juniorem de Arnstein, Friderici II ducis Staufensis consanguineum & amicissimum fuisse. Pariterque eiusdem Ludovici consanguineus fuit Otto de Reueningen, fundator cœnobii gratia Dei prope Calbam, vide *Leuckfeldii antiqq. Praemonstr. de mon. Gratia Dei* §. 12, p. 17 sq. Otto hic, quem *chronicon montis Sereni* in *Hofmanni script. Lusat.* T. IV, p. 35 ad an. 1131 vocat comitem de Crudorf, biographo Ludovici Arnsteinensis teste *nobilis* fuit *ac generosa Saxonum prosapia descendens.*

(*g*) Præter argumenta, quibus usi sunt Besselius, aliique a locis iisdem, quæ tum in regione Hessorum, tum in Longavia superiori sita dicuntur, observes velim situm pagi Pernusse in regione Hessorum, quem supra declaravimus.

(*h*) *Origg. iur. publ. Hass.* L. I, cap. IX in *electis iuris publ. Hass.* p. 79. *Diss. de originibus comitum Hassiae veterum* in *analect. Hass.* coll. VII, n. VI tab. geneal. ad p. 144, *Petri de Advocatis cogitt. de advocatia Fuldensi* §. VI in *analect. Hass* coll. III, p. 216 sq. auctor notitiæ dipl. de commenda Schiffenbergensi P. II, p. 75 - 77, *Mallet hist. Hassiae* T. I, sect. V & VI.

tam fuisse, atque adeo Conradum II, quem Salicum dicunt, antequam adeptus esset regnum, comitatum Hassiæ provincialem tenuisse jure hereditario, eumque dein cum prædiis in Thuringia Ludovico Barbato contulisse. Diserte enim Wippo, Conradi Salici biographus gravissimus, tradit, ipsum parum beneficii & potestatis tenuisse, atque Sigibertus Gemblacensis eundem ideo egregiæ libertatis virum appellat, quod nunquam se submiserat alicujus servituti. Atque is igitur neque ducatum Francorum, qui hereditate paterna ad ipsius patruelem, Cunonem juniorem Wormatiensem venerat, neque præfecturam Hassiæ, quæ nequidem penes ejus majores fuerat, habere visus est, sed *in propriis bonis* tantum, testante Wippone, *nemine* fuit *inferior* (*i*).

Neque, quod tertium est, satis apte mihi concludere videntur originum Hassiacarum illustratores, cum ex prædiis, quibus Ludovicum Barbatum eiusque posteros in Hassia ditatos vident, comitatum provincialem colligere volunt. Eo certe tempore, quo Ludovicum Barbatum comitatu patriæ seu provinciali Hassiæ jam auctum fuisse præsumunt; præter Geronem sive Gerhardum, Hassiæ comitem (*k*) eundemque Fuldensis ecclesiæ advocatum (*l*) reperimus etiam illustrem Hassiæ comitem Werinherum (*m*), utrum-

(*i*) *Wippo* in scriptt. Pistorianis edit. Struv. T. III, p. 465.

(*k*) In *Schannati probb. Wormat.* n. LVIII, ad an. 1044, *Cristinehusen — in pago Hassia et in comitatu Geronis comitis*; villa mihi ignota neque ab *Estore* in *origg. jur. publ. Hass.* p. 76 indicata.

(*l*) Quem in traditt. Fuldensibus ab an. 1048 ad annum usque 1079 obvium *Schannatus* in serie advocatorum Fuldensium refert *hist. Fuld.* p. 76. Comites autem Ziegenhainios non solum advocatiam Fuldensem gessisse constat, sed comites quoque Hessiæ dictos fuisse, novimus ex scriptoribus veteribus Sic Gozmarus, Ziegenhainius comes, qui an. 1185 in curia regia Erfurti cum aliis miserabiliter periit, in additt. *Lamb. Schafnab.* p. 430 ed. Struv. dicitur *comes Hessiae.*

(*m*) *Cod. probb Worm.* ad an. 1043 n. LVII. p. 53 — *bonum in loco, qui dicitur Iringeshusen — situm in pago, qui vocatur Hassia et in comitatu*

utrumque post annum MXXXX. Quemadmodum autem hujus Werinheri patrem in alio Werinhero comite, Conradi II regis primicerio & signifero, an. MXL in expeditione adversus Bohemos occiso (*n*) videre mihi videor, ita probabilius forsan conjicio, Werinhero illo Hassiæ pagi comite natum esse Werinherum comitem, quem Lambertus Schafnaburgensis ad annum MLXIII secundas post Adelbertum archiepiscopum Bremensem apud Henricum IV regem juvenem partes egisse dicit, juvenem tam ingenio, quam ætate ferocem (*o*). Convenit nimirum in Hassiæ comitem, quod iste Henrici regis amicus villam Kirchberg, Herzfeldensis ecclesiæ prædium, injustis precibus a rege impetrasse dicitur (*p*); atque eodem tempore traditio quædam Fuldensis sistit Werinherum, in Hassia provincia comitem (*q*). Sed is jam an. MLXVI vitam cum villa Kirchberg dimisit (*r*). Neque ego dubitem, ex eadem gente & patria potius, quam cum Trithemio, fallaci nimium rerum genearchicarum interprete, ex Sue-

mitatu Werinheri comitis. Sita autem est hæc villa infra Cassellas in ipso Hassiæ pago Francico. Aliam chartam an. 1045 datam, quæ *praedium Vanaha in pago Hessin atque in comitatu Wherinheri comitis, scilicet Magonos dicto, situm* refert, *Schöpfius* in *Wettereiba illustrata* p. 82 descripsit, verum pro more suo ad alia digrediens nihil ad illustrandum & locum & comitatum Werinheri attulit.

(*n*) *Lambert. Schafnab.* & *annal. Saxo* ad an. 1040. Cf. *Wippo in Pistorii scriptt.* T. III, p. 467.

(*o*) *Lambert.* in *Pistorii scriptt.* T. I, p. 330.

(*p*) Idem ad an. 1064, p. 332. Habuit is etiam propinquum cognominem, cui a rege episcopatum Argentoratensem impetravit an. 1065.

(*q*) *Schannati traditt. Fuld.* num. 693 p. 256 ad annum 1061: *tale praedium, quale in provincia Hassia, in comitatu Werenheri — in castello Bingenheim tradiderunt.* Buninghemium est prope arcem Schoneberg, haud procul ab oppido Hofgeysmar.

(*r*) *Lambertus* l. c. p. 334. Kirchbergam invenio haud procul a castro Gudensberg. Sed plures sunt villæ hujus nominis.

via arcessere Werinherum comitem, fundatorem monasterii Breidenaviensis, ad confluentes Adranæ & Fuldæ siti, prædiisque inter Rhenum, Mogonum & Wirram opulentum, absque heredibus ante annum MCXXIII defunctum (*s*). Quicquid ejus sit, seculi XII initio comitatum pagi Hassiæ, qui fere cum inferiori Hassia convenit, possedit Gyso quidam Hessiæ comes, cujus viduam Hedvigem Henricus I Raspo, Ludovici Barbati nepos, ante annum MCXXX, filiam vero heredem cognominem Ludovicus comes Thuringiæ, Henrici frater, duxit, quibus nuptiis tantam gratiam apud Lotharium cæsarem, sive Richenzam imperatricem, cujus propinqua erat Gisonis filia Hedwigis, invenit Ludovicus, ut in locum Hermanni de Winzenburg, landgravii Thuringiæ, suffici mereretur. Atque ab eo demum tempore comitatus Hassiæ quidam, is nimirum, qui castro Gudensberg, tanquam capiti conjunctus erat, devenisse videtur ad Ludovicum III Gisonis generum & landgraviorum Thuringiæ primum, ejusque filios, quorum natu secundus Henricus II Raspo comes Hessiæ in chartis vocatur (*t*), primogenitus autem Ludovicus II landgravius fratre mortuo eundem tenuit comitatum (*u*). Hinc incrementa in dies cepere Landgraviorum opes in Hassia: bellis feliciter gestis cum Moguntinis (*x*), qui adhuc in utraque Hassia domi-

(*s*) In charta confirmationis an. 1123 factæ ap. *Guden. cod. dipl.* T. I, p. 60 &c. & in *Schminckii monum. Hassiac.* P. IV, p. 653. vocatur simpliciter *felicis memoriae comes Wernherus*, ejusque conjux vidua, *Gisela*, sola voluntatem mariti ita adimplevit, ut ne vestigium quidem appareat liberorum.

(*t*) Cf. *Guden. cod. dipl. Mog.* T. I, ad an. 1149 & ad an. 1151, T. II, p. 502 ibique notata.

(*u*) *Kuchenbeckeri tract. de officiis hereditariis aulicis Hassiae* adj. p. 2.

(*x*) De quibus consulantur *Variloquus Erfurtensis* ad an. 1165 in *Menckenii scriptt. rer. Germ.* T. II, p. 478, & *addit. ad Lambertum Schafnaburg.* an. 1186.

dominari visi erant (y), novis conjugiis (z), gratia cæsarum, ceterisque rationibus, quibus uti solent potentes (a), patrimonium dominiumque ita auctum, ut seculo jam XIII ineunte in

(y) Difficile est, origines imperii civilis præsulum Moguntinorum in Hassia definire. Haud enim ego ausim excitare testem auctorem historiæ de landgraviis, quem fabulosum hac in re esse contendunt, atque nescio, an plus justo increpant auctores recentiores, qui de rebus Thuringicis & Hassiacis scripserunt. Is vero Thuringiam & Hassiam ab Ottone I imp. commendatam filio ipsius Wilhelmo archiepiscopo Moguntino, & ab eo tempore per LXX annos usque ad Conradi Salici tempora rectam fuisse per præsules Moguntinos tradit. Quod ad Thuringiæ præfecturam attinet, sine dubio falsus est scriptor, qui Moguntinam ecclesiam amplissimis prædiis in Thuringia auctam videns, donationem Thuringiæ omnis commentus est. De Hassia magis dubitari potest, in qua Moguntini non solum prædiis opulenti erant, quibus vicedominos præficere consueverunt, sed ipsos quoque comitatus tenebant ab imperio. Unde enim comitatus pagi Hassiæ, quem a sec. XII habebant landgravii Thuringiæ, beneficium fuisset Moguntini? unde factum esset, ut comites Amœneburgenses, Battenburgenses, Merenbergii dynastæ, qui omnes per Hassiam superiorem comitatus olim habebant, Moguntinos præsules jugiter vererentur? Neque tamen ideo existimamus Moguntinos Hassiam omnem suæ fidei commendatam habuisse, cum & Ziegenhainii comites regis & imperii nomine bonam provinciæ Hassorum partem rexerint, & comitatus Bomeneburgensis ad Werram penes familiam Northeimensem beneficio regio fuerit. Tanta nimirum ab interitu Eberhardi ducis rebellis, Hassiæque præsidis extitit reipublicæ in Hassia mutatio, ut qui olim per Hassiam & Angariam pertinebat præsidatus, in plures comitatus minores discerptus videatur.

(z) Animum hic maxime intendo ad conjugium, quod Fridericus Ludovici Ferrei, landgraviorum secundi, filius junior cum herede comitissa de Ziegenhain iniisse videtur Schminckio, cujus observationem de Friderico isto, qui falso sator comitum de Ziegenhain habitus est, vide *monum. Hassiac.* vol. III, p. 330 sqq.

(a) Sic Reichenbacum, a quo castro jam sec. XII comites in Hassia illustres cognominari cœperunt, nescio, qua ratione in potestatem landgraviorum venit. Cf. *annal. Hass.* coll. III, p. 4 & *monum. Hass.* vol. II, p. 326. De variis Hassiæ accessionibus vide *Estorem* in *elem. jur. publ. Hass.* cap. 11, p. 9 sqq.

Hassia novus exsurgeret principatus (*b*), instar novi solis minora lumina obscurans. Hinc id temporis Hermannus junior dignitati landgravii Thuringiæ addebat titulos non modo comitis Hessiæ, sed & superbiorem domini terræ prope Laginam (*c*); quorum ille designabat comeciam, Germanice *landgericht*, in pago Hassiæ Francico, eamque castro Gudensberg nexam (*d*), hic vero hereditaria bona in pago Loganensi sive superiori Hassia. Tantum igitur abest, ut comitatus iste Hassiæ vel patrimonialis fuerit, vel ad universam Hassorum provinciam pertinuerit, ut potius beneficiario jure penderet primitus ab ecclesia Moguntina, & præter landgravios Hassiæ comites florerent Ziegenhainii, Battenburgenses (*e*), Hollintenses (*f*), Amœneburgenses (*g*) ceteri, in

(*b*) Jam an. 1241 Henricus Raspo, landgraviorum ultimus, titulis landgravii Thuringiæ & comitis Palatini Saxoniæ addit *et princeps Hassiae.* Vide chartam in *Liebenii spicilegio ad vitam Henrici illustris* § 27 p. 50 sq.

(*c*) Vide chartas in *origg. Guelf.* T. IV, præf. p. 73 & 75.

(*d*) *Cod. dipl. Mog.* T. I, n. cccxi, p. 703. Cf. elogium juratum super divisione Hassiæ an. 1314 scriptum in *sylloge I diplom.* p. 599. Unde patet Hassiam superiorem convenire cum dominio landgraviorum in pago Loganensi, inferiorem vero esse eundem cum pago Hassiæ proprie sic dicto, cujus caput fuit castrum Gudensberg, a quo olim dicti sunt comites Hassiæ.

(*e*) Quam partem pagi Loganensis rexerint comites Battenburgenses, qui cum Witgensteiniis ab eadem stirpe processerunt, videre licet ex charta an. 1238 scripta in *cod. dipl. Mog.* T. I, n. ccxxii p. 547 sq.

(*f*) Comites hi, quos cum Ziegenhainiis ejusdem generis fuisse suspicor, denominabantur a castro Hollente sive Hohenlinden inter Wetteram oppidum & Biedencap quondam sito, atque a Sophia landgravia an. 1247 diruto. Cf. *chron. Riedesel.* ad an. 1247 in *anal. Hass.* coll. iii p. 7 & ex eo *Gerstenbergerus* ad d. a. in *monum. Hass.* vol. II, p. 413. Obvius in chartis sec. xii est Boppo comes de Hollinte, frater comitis Godefridi de Wegebach sive Webach. *Gudenus cod. dipl. Mog.* T. III, p. 1069.

(*g*) Godefridum comitem de Amœneburg an. 1147 - 1152 *Gudenus cod. Mog.*

in obſequio Moguntinæ eccleſiæ omnes. Quis denique neſcit, Bomeneburgum caſtrum cum Eſchwege oppido & univerſo comitatu Werrano, ſec. XI & XII ad Northeimenſium comitum familiam illuſtriſſimam, Angariæ principatu non modo, ſed prædiis etiam in Haſſiæ pago inter Dimolam & Adranam fluvios potentem, pertinuiſſe, atque poſt obitum Sigefridi comitis de Bomeneburg partim ad imperium rediiſſe (*h*), partim ad heredes patrimonii Northeimenſis perveniſſe, antequam cum Haſſiæ comitatu unirentur (*i*).

§. XXIII.

De ſtatu antiquiori Franciæ Rhenanæ ejusque procuratoribus.

Francia Rhenana, tertia eaque primaria Franciæ Teutonicæ pars, atque arx regni ipſa (*k*), veſtigiis plena eſt, quæ quidem, quod ad primam regni Germanici ætatem attinet, vetuſtate aliquantum exeſa videntur, ſed inde a ſeculo IX exeunte clariora extant, ad memoriam præſidum ejus, locumtenentium regis tan-

Mog. T. I, in elencho præfectorum Haſſiæ p. 987 obſervavit quidem, ſed Bopponem non vidit in *probb. hiſt. Fuldenſis* p. 191 obvium.

(*h*) Non ſolum Bomeneburgum in jus imperatoris & imperii devenit, quod jam vidit illuſtris *Scheidius* l. c. p. 531, ſed etiam villa Eſſchenewiege regii juris facta, anno autem 1251 ab Ottone puero duce Brunſuicenſi expugnata eſt teſtante anonymo auctore chron. Erford. in *Schannati vindem.* coll. I, p. 104.

(*i*) Quippe notum eſt, quomodo Albertus Dux Brunſuicenſis an. 1264 pro recuperanda libertate octo munitiones de patrimonio ſuo ad Werram Henrico illuſtri landgravio dimittere coactus fuerit, atque hic dein Henrico Infanti illas Haſſiæ nectendas tradiderit.

(*k*) *Ditmarus Merſeb. reſtitutus chron.* lib. I, p. 325 eam ſic deſignat: „ Ea tempeſtate Conradus, Francorum quondam dux egregius, & tunc „ Ludovici ſucceſſor pueri, *arcem* tenebat *regni*. „ Simili ratione chronographus Laurishamenſis in *cod. Laurish. dipl.* T. I, p. 109 dicit: „ Conradus vero frater Eberhardi marchionis, *orientalis regni partem* „ *circa Rhenum* tenuit. „ Scilicet antea de regno occidentali Galliarum locutus erat ſcriptor; cui ex adverſo orientale regnum in partibus Rheni fundatum erat.

tanquam ducis Francorum fummi, fixa. Quemadmodum vero populus Francorum primarius ceteris non folum populis, quos fibi fubjugaverat, Alemannos puto, Bavaros & Thuringos, fed etiam ipfis Saxonibus, populo devicto fed æmulo, præftare debuit; ita Francorum, maxime fupra Rhenum habitantium, pro-principes non modo pari cum ceteris populorum ducibus, ex quo hi refurrexere, honore fruebantur, fed eos etiam præire confueverant. In exercitu enim Francorum eorumque ducibus quærendi erant, deficiente familia regnatrice, qui in ejus locum fuccederent, candidati, ut ita dicam, regiæ dignitatis. Quare etiam potentiffimus Saxonum & Thuringorum feptentrionalium five marchio five dux, Otto illuftris, affinis Ludovici II regis, matre principe Franca natus, ipfeque feminæ illuftris Francicæ connubio virtutibusque fuis acceptus populo Francorum tantopere exftitit, ut ei, fi fidem habeamus fcriptoribus Saxonicis (*l*), regnum exftincta Carolidarum Germanicorum familia deferrent. Atque is nihilo fecius prudentia & æquitate ductus rariori Conrado, egregio Francorum duci, qui modeftius ipfi prærogativam fuæ voluntatis dederat, primas conceffit, feu potius reddidit. Conradi quidem regis frater, Eberhardus, Francorum jam dux feu marchio, adeoque heres five vicarius regiæ dignitatis, poft fratrem regnum aditurus, ægre primum, at recte tandem a fratre moribundo, falutis publicæ amantiffimo, perfuaderi fibi paffus ceffit Henrico Saxonum duci, prudentia & fortitudine claro, atque apud omnes gratiofo, eique Francis fuis fuffragantibus honorem regium detulit. Sed memorabilis quoque eft oratio Gifelberti, Lotharingorum ducis, qua Eberhardum ducem adverfus Otto-

(*l*) *Ditmarus* l. c. pergit: „ Conradus — quem ob meritum fui *Otto* „ prædictus ab omnibus regni principibus in regem electus, *fibi quafi* „ *ad hoc indigno* præpofuit, feque cum filiis fidei fuæ ac poteftati fub-„ diderat. „ Confentiunt Witichindus Corbeienfis aliique. Verum Witichindus pigmentata oratione ufus effe æquo lectori facile videatur.

Ottonem regem exacuere ſtuduit, cum ipſi exprobraret, *cur honorem ſuum alieno dediſſet*, unde Eberhardus, qui in fide Henrici regis manſerat, ejus filio Ottoni, regi Saxonico, rebellare in animum induxit, narrante Ekkehardo juniore, monacho S. Galli (*m*). Quum poſtea Otto III imp. absque heredibus decedens regnum reliquiſſet vacuum, inter ejus æmulos Henricus dux Bajoariæ, Henrici I regis pronepos, nulli cedere voluit, niſi Ottoni Wormatienſi, duci Francorum & Carinthiæ. Verum hic, quamvis & regalis Francorum princeps eſſet & Ottonis M. ex filia nepos, Henrico, regia ſtirpe prognato per mares, honorem regium ſingulari modeſtiæ exemplo adjudicavit. Neque vero niſi coactus tandem ceſſit jure regni appetendi Hermannus II Suevorum dux, idemque ex Francorum principibus oriundus, qui præter Alemannos Suevosque etiam Alſatas, & partem Francorum Teutonicorum ſibi faventes habuerat (*n*). Defuncto tum pariter Henrico II imp. absque filiis regni heredibus, uterque Chuno, major & minor, ambo in Francia Teutonica nobiliſſimi, ex duobus fratribus nati, atque Ottonis Wormatienſis nepotes, digniſſimi erant, qui ad regnum adſpirarent. Minor quidem, qui patris cognominis in ducatum ſucceſſerat, atque ſic Francorum dux ſalutabatur, majori præditus erat poteſtate & potentia; major autem præſtantior virtute, tandem cedente & comprobante Cunone minore, regni compos factus eſt. Quam ſingularis autem Francorum principum ratio habita olim fuerit in eligendo rege, videre licet in diſſidiis gravioribus inter Henricum IV regem & Saxones agitatis. Hi enim eo tandem irarum proceſſerunt, ut alium in Henrici locum ſuffici vellent regem; quare, ut Lambertus Schafnaburgenſis ad annum MLXXIII narrat, „Saxones crebris „ lega-

(*m*) Lib. de *caſibus mon. S. Galli* cap. V in *Goldaſti ſcriptt.* edit. Senkenberg. T. I, p. 30. (b)

(*n*) *Adelboldus* in *vita Henrici S. imp.* cap. 6, in *Leibnitii ſcriptt.* T. I, p. 432.

„ legationibus urgebant *principes Rheni*, ut vel ſibi conſtituendi „ regis copiam facerent, vel ipſi quomodo *et dignitate* & multi„ tudine *ſuperiores* eſſent, quemcunque vellent, Saxonibus ſuf„ fragium ferentibus, eligerent & conſtituerent. „ Itaque tum quidem electio potiſſimum erat penes Francos, ſuffragabantur Saxones, ceterique populi acclamabant. Atque cum tandem Rudolfus dux Suevorum, affinis quondam Henrici IV regis, a factioſis principibus eligeretur, inviſus videbatur Francis, quod eſſet *indigena Sueviae*, *quae regalis omnino ſtemmatis eſt aliena*, prout indicant ſcriptores, & chronographus Saxo & Conradus abbas Urſpergenſis, Suevus. Quin ipſe Hermannus Lucelburgenſis, Salica Lotharingorum principum ſtirpe oriundus, qui & genere & virtute & opibus nobiliſſimus habebatur, cum volentibus ſic Saxonibus & Alemannis regium nomen, Rudolfo cæſo, ſumſiſſet, deſpectus fieri cœpit tum ſuis, tum alienis (*o*). Neque enim is erat princeps Franciæ Teutonicæ, neque a principibus Rheni lectus. Quum tandem Henrico V cæſare, Salicorum Franciæ Rhenanæ principum ultimo, fatis functo, & doloſius agente Adalberto, primate Franciæ Moguntino, Lotharius, dux Saxonum, rex ſalutatus fuiſſet, *indignati Francigenae*, quod ait Helmoldus (*p*), „ virum Saxonem elevatum in regnum, conati „ ſunt alium ſuſcitare regem, Conradum videlicet, conſobrinum „ Henrici cæſaris.„ Tantopere igitur juris ſui retinentes erant Francorum proceres populusque, ut etiam Lotharium, quamvis de gente comitum Palatinorum Ripuariæ ortus eſſet, & abnepos Ottonis II quondam imperatoris (*q*), contemnere velle viderentur. Meliori autem jure niti ipſis videbatur Conradus dux Fran-

(*o*) Cf. *chronogr. Saxo* ad an. 1082 in *Leibnitii queſt. hiſt.* vol. I, p. 264 Eadem verba referunt annaliſta Saxo & Conradus Vrſp. ad an. 1082.

(*p*) *Chron. Slavorum* cap. XLI in *Leibnitii ſcriptt.* T. II, p. 574.

(*q*) Cf. ſeriem illuſtratam comitum Palat. Aquisgran. p. 45 ſq. & p. 107 &c.

Francorum, cui lubens aſſurgebat frater natu major, Fridericus dux Alſatiæ & Sueviæ. Quamvis enim uterque Suevicæ originis eſſet, natus tamen erat patre Friderico, Henrici IV regis genero, eodemque duce Francorum æque & Suevorum (*r*), atque heres legitimus & regiæ dignitatis & patrimonii Salici in provincia Francorum maxime Rhenana exiſtimabatur. Superavit tandem Staufenſium regii generis principum dignitas invidiam, qua aliquo tempore conflictata erat. Non ferentes enim, inquit continuator Anſelmi Gemblacenſis (*s*) ad an. MCXXXVIII, „ principes Teutonici regni (hoc eſt, Franci) aliquem extraneum a ſtirpe regia ſibi dominari, regem conſtituerunt ſibi „ Conradum, virum regii generis.„ Quis jam non putet, recte a nobis laudari Francos, populum primarium, penes quos erat honos imperii, ad ipſius præſides ita pertinens, ut & eſſent & viderentur regales.

§. XXIV.

Simili ratione duces Francorum Neuſtraſiorum in Gallia honore ſuo ſubinde commendati exſtitere, & ad tutelam regni regumque puerorum agendam, & ad regiam dignitatem deficiente regia ſtirpe capeſſendam, ex quo Robertus Fortis, dux & marchio Francorum, ducatum regni genti ſuæ intulit (*t*). Filios quidem cum reliquiſſet parvulos, Odonem & Robertum, horum nomine

Collatio cum ducatu Francor. in Gallia

(*r*) Quod confirmatur teſtimonio liter. fund. Lorchenſis an. ᴄɪↃᴄɪɪ, jam a ſummo *Koelero* in *diſſ. de fam. aug. Stauf.* p. 6, n. 4 adducto. Fridericus dux Suevorum ſcilicet in illis etiam Francorum ducis titulum gerit. Ducatus hic Francorum deinde ad filium alterum Conradum pervenit, quemadmodum filius major Fridericus ducatum Suevorum hereditate conſecutus erat.

(*s*) In *ſcriptt. Piſtor.* edit. Struvii T. I, p. 959.

(*t*) *Annales Met.* ad an. 861. Exiſtimo autem, Robertum Fortem primum eſſe, qui primatum palatii ſive regni cum marchia Neuſtriæ conjunxerit.

nomine ducatum Francorum inter Sequanam & Ligerim suscepit frater uterinus, Hugo abbas & marchio (*u*), atque non solum Carolo Calvo & Ludovico Balbo imperantibus regni ducatum post reges administravit, sed & tutor regum Ludovici & Carolomanni, filiorum Ludovici Balbi, regnique defensor exstitit, quin utroque præmature exstincto, in regni regimine ita successit, ut diademate quidem regni non uteretur, quo Franci Neustrasii tum Carolum Crassum Germaniæ regem cinxere, sed Carolum Simplicem puerum secum servaret, regno aliquando augendum (*x*). Quum Hugo dux & abbas anno DCCCLXXXVII obiisset, successit in ejus locum Odo, Roberti Fortis filius, qui post Welfigenas comitatum Parisiorum adeptus erat, jam dux Francorum tutorque regni & Caroli Simplicis pueri futurus. Atque is etiam post fata Caroli Crassi imp. abdicati rex ipse præterito Carolo Simplice constitutus fratri Roberto ducatum Francorum cum comitatu Parisiorum dimisit. Neque vero opus est, enarrare, quomodo Franci deserto Carolo Simplice rege Robertum ducem denuo elegerint regem; eoque cæso filius Hugo M. dux Francorum fasces sibi oblatos ipse recusans, quod ætatem suam illis nondum aptam viderat, affini suo Rudolfo Burgundiæ duci conciliaverit, & sic regnum ad extraneum translatum fuerit; qua ratione ab ejus obitu filium Caroli Simplicis Ludovicum Transmarinum in regnum revocaverit Hugo M. dux Francorum, atque tandem hujus filius Hugo Capetus dux an. DCCCCLXXXVII regnum

(*u*) Ibidem ad an. 867.

(*x*) *Chron. Senonense S. Columbae* ad an. 881 de Hugone abbate principe apte sic loquitur: „ Qui monarchiam clericatus in palatio obtinens, „ ducatum etiam regni post regem nobiliter administrabat. „ Reliqua, quæ de eo dicimus, nituntur fide chronici Turonensis, gestorum cons. Andegav. cet. cf. *Bouquetii scriptt.* T. IX, p. 29, 40, 47, & sunt notissima; denique testem habemus ipsum Carolomannum regem, qui Hugonem abbatem vocat tutorem nostrum ac regni nostri maximum defensorem in privilegio Aurelianensi an. 883 apud *Bouquetium* l. c. p. 431.

regnum Francorum de progenie Caroli in ſuam tranſtulerit. Puto autem, ex hac collatione etiam dignitatem ac prærogativam ducum Auſtraſiæ ſive Franciæ Teutonicæ Rhenanæ in Germania, tanquam natorum regni tutorum & heredum illuſtrari. Verum oſtendendum eſt, quando primum hi Francorum proprincipes in provincia Rhenana reperiantur, & an jure duces Francorum, qui ſupra Rhenum habitant, appellentur.

§. XXV.

Ratio provincias regendi a Carolo M. inſtituta

Quamdiu reges Carolidæ regnum Franciæ orientalis ad normam & exemplum Caroli M. gubernabant, in ſingulis provinciis comites & juri dicundo & fiſco procurando præerant, ita ut ſeniorem præter regem vererentur nullum. Provinciis vero remotis & limitaneis præficiebantur ſigniferi & marchiones, majori adeo poteſtate præditi, quam alii pagorum comites. Tum in omnes provincias ſive legationes mittebantur ex palatio vel ex camera regis adminiſtri reipublicæ, quos, miſſorum dominicorum & cameræ nunciorum titulis inſignes, vel recuperatoria judicia inſtituiſſe vel regios reditus procuraſſe, in vulgus notum eſt. Verum hæc officia haud prius perpetua evaſerunt, neque poteſtas miſſorum prius poteſtate marchionum militari aucta eſt, quam cum regum auctoritate decreſcente, illi, qui ejusmodi poteſtate gaudebant, ſive libere ſive licenter ea uti cœpiſſent, quod ſeculo IX exeunte contigiſſe conſtat (y). Supremum vero judicium ſemper erat penes regem, cujus locum tenebat comes palatii primarius, præſes aulicus. Denique tempore belli comites, qui illi gerendo præficiebantur, ſæpius ducali titulo ornatos videmus, ſed duces hi militares nondum ea poteſtate utebantur, quam ſibi marchiones perpetua poteſtate miſſatica eminentes in provinciis

(y) Diligentius hæc explicavi in diſſ. de origine comitum Palatinorum provincialium, ſect. III, cap. III ſq. quæ legitur in *comment. academiae Boicae* vol. IV, p. 106 ſqq.

vinciis limitaneis Saxonum, Bavarorum & Thuringorum arripuere, duces inde salutati. Exemplis jam hæc probemus ex Francia Austrasiorum sive Teutonica repetendis.

§. XXVI.

Sub Ludovico Germanico servata.

Paulo ante divisionem monarchiæ Francorum in tria regna factam, cum Lotharius, Ludovici Pii filius maximus, solus dominari gestiret, ab ejus partibus adversus Ludovicum Germanicum stetisse videmus Adelbertum, quem Nithardus abbas (z) comitem Metensium ducemque Austrasiorum vocat, ac Fuldenses traditiones etiam in provincia Rhenana opulentum prædiis sistunt (a). Verum quum dux ille in prælio adversus Ludovicum Germ. an. DCCCXXXXI a. d. III id. Maji in pago Rhenensi cæsus (b) huic regi inimicissimus fuerit, facile colligi potest, filios ejus, si quos habuerit superstites, apud regem Germanicum gratia caruisse. Quodsi autem testimonio Conradi III regis in privilegio alias egregio, an. MCXXXXIV scripto (c) quo ecclesia

(z) *De dissens. fil. Ludov. Pii* L. II in *Schilteri scriptt. R. G.* p. 94 sq.

(a) *Trad. Fuld. Schannati* n. CCCCXLVII, p. 179. Adalbertus nimirum Fuldensi monasterio, cui tum præerat Rabanus abbas, partem villæ Waldaffa, hodie Walluf, in pago Kunigeshundra, & sex mansos regales cum vinea in Cobolence largitur; cujus liberalitatis causa fuit, morbus, quocum per annum 840 integrum conflictatus erat Adalbertus comes, teste Nithardo. Rabanus abbas se tum in partes Lotharii imp. quas maxime tuebatur in provincia Rhenensi Adalbertus, pertrahi passus est. Eundem Adalbertum in agro Wormatiensi etiam a rege beneficia tenuisse, quæ Ludovicus Pius ipsi gratificans in proprietates convertit, docet charta ipsius cæsaris in *Joannis spicil. I tabb. vett.* dipl. msc. n. II, p. 441. Neque jam dubito, eidem Adalberto comiti adscribere donationem prædiorum in pago Wormatiensi an. 817 monasterio Hornbacensi factam, in *actis acad. Pal.* vol. I, p. 295 sq.

(b) Cf. *annal. Fuldenses* ad an. 841, & Nithardus supra laudatus.

(c) In *actis acad. Pal.* vol. I, p. 297 sqq.

clesia S. Saturnini in Dreisa, pagi Wormatiensis villa, Ludovici Germanici tempore per Nantharium quendam ducem fundata, atque jam sec. XII sub Friderici ducis Suevorum & Theodorici landgravii Alsatiæ tutela posita (*d*) instauratur, fides omnino habenda, neque potius existimandum est, referri verba regis ad monachorum suos fundatores sæpius mirum quantum extollentium tabulas commentitias, seculo IX & regnante Ludovico Germanico obvium habemus ducem Nantharium, eumque prædiis in pago Wormatiensi, quorum partem ad fundandum parthenonem liberaliter contulit, locupletem. Quamvis autem Nantharii nomen in nobilibus familiis istius ætatis atque provinciæ haud infrequens sit (*e*), atque non solum in vicino Lotharii regno Nantharius comes id temporis occurrat (*f*), sed etiam in traditionibus Laureshamensibus Nantharius, filius Werinheri, quod posterius nomen familiare fuit Salicis, memoretur (*g*), denique Nantharii comitis tutelæ etiam abbatia Cosla cum bonis ecclesiæ

 S. Re-

(*d*) Considerantibus nobis, hanc ecclesiam non modo in tutela Friderici Staufensis & Theodorici landgravii fuisse, sed etiam liberalitatem Beatricis & Mathildis, Tusciæ marchionissarum, expertam esse, videtur omnino partim ex hereditate Salica Spirensi ad Stausenses principes, partim per Mathildem, primum Conradi Wormatiensis Francorum ducis, dein Friderici Lotharingiæ ducis uxorem, ad landgravium Alsatiæ Theodoricum tandem pervenisse. Conf. ill. *Schöpflini Alſ. illuſtr.* T. II, p. 484 & tab. ad p. 474.

(*e*) An. 822 jam occurrit *actor dominicus fisci Franconofurd nomine Nantcarius* in *origg Bipont.* P. I, cap. III, p. 98. Verum ista ætas non convenire videtur in fundatorem Monasteriensis ecclesiæ in Dreisa. Actores ceterum dominicos ex ordine nobilium fuisse, sæpiusque una comitatum tenuisse, non est, quod pluribus probemus.

(*f*) Nantharius comes, missus Lotharii regis in *annal. Bertin.* ad an. 863.

(*g*) *Cod. Laurisham. dipl.* T. I, p. 312 sq. n. CCXIV ad an. 785 & p. 470 sq ad an. 792.

S. Remigii in Vosago Nohgaviensi commendata fuerit (*h*); hæc omnia tamen haud sufficere videntur, quo incognitum alias in historia ejus ævi Nantharium, comitatum, ne dicam ducatum, in Francia Rhenana habuisse præsumamus. Obscuritate igitur involutus maneat Nantharius dux, donec lumine monumentorum vetustiorum caret (*i*). Longe majore jure etiam vetusti auctores (*k*) Henrico, comiti Franciæ orientalis, atque Ludovici junioris & Caroli Crassi regum principi militiæ, nomen ducis & marchensis Francorum tribuunt; verum ducatus iste mere militaris nulla ratione pertinet ad Franciam Rhenanam, in qua ille nullum comitatum, nedum præfecturam administravit (*l*).

Quum Ludovicus Germanicus rex anno DCCCLXXIV in palatio suo Ingelnhemio cum majoribus regni consedisset ad causam majorem, litem inter primatem Moguntinum & abbatem Fuldensem de decimis in Francia & Thuringia disterminandam, post sacri ordinis proceres haud alii majores regni memorantur, quam comites, inter quos primatum tenebat comes palatii sive auli-

(*h*) *Frodoardi hist. Rem.* L. III, cap. 26. Ante Nantharium comitem defensor bonorum istorum erat Liutbertus, archiep. Moguntinus, post illum vero comes Navensis pagi Manigaudus cet. l. c. L. IV, cap. 6.

(*i*) Neque etiam Conradinum privilegium omni suspicione carere videtur, quamvis ipso autographo, quod vidi, nihil sit elegantius atque ad veri speciem aptius. Quid enim sibi vult inter testes Godefridus provincialis comes de Thuringia? cum ab an. 1143 Ludovicus Puer hoc titulo conspicuus sit in diplomatibus atque matrem suam habuerit tutricem, cf. *Tenzelii suppl.* II *hist. Gothanae* p. 464 sq. & *Gudenus cod. dipl. Mog.* T. I, p. 135 sq. Taceo jam alia.

(*k*) Regino Prumiensis, annales Metenses cet. eum vocant ducem ad an. 881 - 886. Annalista Vedastinus ad an. 888 *ducem Austrasiorum.* Missus nimirum erat ex Francia orientali ad Neustriam adversus Normannos tuendam; unde annales Fuldenses ad an. 886 eum dicunt *marchensem Francorum, qui in id tempus Niustriam tenuit.*

(*l*) Habuit autem comitatum sive præfecturam in Franconia, cf. *Eccardum de R. F. O.* Tom. II, p. 687 ad an. 886.

aulicus præses (*m*) : *comites vero Erluvin aulicus praeses*, *Liuthere comes* pagi Lobodunensis (*n*), *Friderath comes*, *Vdalrich comes*, *Manegolt comes* pagi Wormatiensis & Navensis (*o*), *Kristan comes* pagi Grabfeld (*p*). Nondum igitur illo tempore forma reipublicæ apud Francos mutata erat, nulla certe vestigia ducum; quin nequidem ante Caroli Crassi aut Arnulfi tempora cameræ nuntios Franciam rexisse credibile est, cum & hi potestate fere non a ducibus diversi fuisse postea videantur.

§. XXVII.

At post Ludovici Germanici ex hac vita discessum sensim immutari cœpit formula Franciæ Teutonicæ, maxime cum illi Francorum primores, qui olim Lotharii fautores & Ludovico Germanico adversi visi sunt, partim per conjunctionem regni Lothariensis cum Germanico factam, partim Ludovici junioris regis, qui olim cum patre dissenserat, gratia rediissent in provinciam Rhenanam aulamque regum. Redux in Longaviam Gebhardi comitis potentissimi filius Vdo cum fratre Berengario, posteros reliquit, quos ad summos mox honores adscendisse, atque tam tam in Rhenana provincia quam in Hassia potestatem antea inusitatam arripuisse supra demonstravimus, & dein denuo videbimus. Redux in cisrhenanos pagos Franciæ Teutonicæ Werinhe-

Cameræ nuntii

(*m*) Vide tabulam regiam in *Schannati dioec. Fuld.* p. 239 n. VIII. Multis quidem argumentis impugnavit illius fidem *Eccardus* in *animadv. hist. et crit.* § XV, p. 23 - 25; verum ea egregie refutavit *Schannatus* in *vindiciis arch. Fuld. dipl.* p. 72 - 74.

(*n*) *Lameji descr. pagi Lobod.* in *act. acad. Pal.* vol. I, p. 239.

(*o*) Cf. Ejusdem *descr. pagi Wormat.* l. c. p. 290.

(*p*) *Traditt. Fuld.* ad an. 857 & 874.

rinherus, in illis æque & in Lotharingia prædiis dives (*q*), inter primates Francorum mox eminuit, comitis illustris titulo splendidus (*r*) atque Franciæ cisrhenanæ præses (*s*), sator familiæ Salicæ Wormatiensis ac Spirensis (*t*). Adjuvabat primates Francos, majoris jam potentiæ æmulos, Caroli Crassi tum imbecillitas tum in ceterorum regnorum curas distractio, nec non Arnulfi regis reverentia, ut ita dicam, erga hos, qui coronam ipsi nil tale exspectanti imposuerant. Itaque exeunte seculo IX Francia omnis Teutonica suos revereri cœpit præsides sive cameræ nuntios, quemadmodum Alemannia. Atque horum præsidum auctoritas haud inferior visa est illa, quam in ceteris provinciis marchiones suam fecerunt. Neque enim illi solum fiscum regium procurasse, sed judices etiam egisse existimandi sunt, unde Bertholdus & Erchingerus, quod supra jam notavimus, a scriptoribus ducum axiomate insigniri consueverunt, & præsides Franciæ orientalis plerumque marchiones vocantur. Crevit æmulatio primatum Francorum, cum post Arnulfi obitum Ludovicus Infans vix tandem rex salutatus sub tutela ageret. Primatum Francorum sacrum eo tempore tenebat Hatto, Moguntinus præsul, vir magni animi atque consilii. Is vero non contentus honore primatis sacri, etiam principum Francorum fortunæ

(*q*) An. 865 Lotharius II rex Lotharingiæ monasterio Hornbacensi in pago Blesensi decimam picis regiam in Rymilingas *maxima sui senioris Warnarii fidelitate permotus* denuo largitus est; cf. *origg. Bipp.* P. I, cap. II, p. 53 & cap. III, p. 108 sqq.

(*r*) Vide statutum ejus Hornbacense in *origg. Bipp.* P. I, cap. III, p. 93; quod ibidem minus recte ad Caroli M. tempora retuli, cum potius an. 886, ultimo Caroli Crassi, scriptum fuerit, quo sumto omnis interpolationis suspicio ab illo rursus amovetur.

(*s*) Cf. *origg.* l. c. p. 109. In hunc enim cadere puto Ekkehardi junioris monachi S. Galli testimonium supra jam allatum.

(*t*) Ibidem P. I, tab. geneal. ad cap. III; quæ tamen aliqua emendatione opus habet.

tunæ invidere visus, lites cum iis alebat, quæ fere ipsi periculosæ exstiterant. Procurabant tum Franciam orientalem sive Franconiam Adalbertus marchio, occidentalem sive Rhenanam Werinherus comes, qui, teste Ekkehardo juniore, S. Galli monacho, *Hattonem perdere moliebantur.* Verum Hatto præsul, Ludovici regis pueri tutelam agens, ea felicitate usus est, ut quos habebat æmulos comites, juribus regni vindicandis plerumque magis intentos, iis se liberatum cerneret. Cognitum est enim, quo casu ceciderit Adelbertus marchio; alter vero, Werinherus, testante Ekkehardo, *morbo* jam ante *obierat.* Haud equidem scriptores tradiderunt, quis in Werinheri comitis, procuratoris regii per Franciam Rhenanam, locum suffectus fuerit. Verum ex ipsa rerum, quæ tum evenerunt, facie colligere licet, Hattonem archiepiscopum, quo magis infensos habebat Francorum procuratores, Werinherum & Adelbertum, hoc diligentius sibi devinxisse comites Longaviæ, Hassiæ & Vederoviæ fratres. Quemadmodum hi jam sub Arnulfo ad summos honores adscenderant, atque Conradus senior non modo ducatum Thuringiæ, dein Hassiæ præsidatum, sed & ejus frater Gebhardus officium comitis palatii supremum (*u*) tenuit, ita & Ludovicum Infantem Hattone adjuvante experti sunt amicissimum (*x*); adeo ut nullus dubitem, quin Hattonis consilio principatus Fran-

Eee corum

(*u*) In *traditt. Fuld.* n. DXXVIII, p. 214 legitur charta an. 889 data, quæ comitem Gebhardum munere comitis palatii fungentem sistit: *et Gebehardus comes regale adimplens consilium et consensum, imo jussum tradidit.* Inter testes ipsius traditionis in placito regio Francofurti peractæ leguntur comes pagi Wormatiensis ac Spirensis Walaho, Conradus senior Hassiæ comes, Gebhardi frater, Luitfridus, comes Lobodunensis, Eberhardus comes, credo Longaviæ fraterque Gebhardi &c. Simili munere fungitur Gebhardus extremo vitæ suæ anno 910. Cf. l. c. n. DXLIX, p. 225.

(*x*) Vnde in chartis regiis identidem vocantur *illustres comites, venerabiles comites, amabiles nepotes, egregii duces* cet. Post obitum Zuente-

boldi

corum post Werinheri obitum ad gentem Salicam, sibi amiciorem, delatus fuerit, eaque de causa lites maxime inter hosce comites & Babebergenses marchiones exarserint. Werinherus quidem haud alius esse potest, quam qui an. DCCCXCI comitatum pagi Wormatiensis Navensem tenuit (y) atque sic Hattonem vel maxime urgere valuit. Videtur autem iste Werinherus, nepos Hererici, in comitatu pagi Wormatiensis Nahgoviensi successisse Megingaudo sive Manigoldo comiti, quem ducis elogio ornant scriptores Trevirenses & S. Maximini (z). Eodem tempore, quo Werinherus comitatum Navensem administravit, vel etiam ante comitatum Wormatiensem rexit Walaho abbas comes, quem reperio ab an. DCCCLXXXVIII ad finem usque seculi, eundemque simul pagi Spirensis & Encegoviæ comitatus, quin etiam Salicam abbatiam Hornbach in pago Blesensi tenuisse produnt monumenta vetera (a), unde eum cum

boldi R. Lotharingiæ Conradus & Gebhardus fratres aucti sunt beneficiis abbatiæ S. Maximini & Horreensis, cf. *Eckhard* de *R. F. O.* p. 808 - 824 sq. & 829.

(y) *Schannati* cod. probb. Worm. n. X.

(z) *Martène coll. ampl.* T. I, p. 191. Megingaudus nimirum occurrit ab anno 870 ad an. 889 comes pagi Navensis, qui pars fuit Wormatiensis, cf. ill. *Lameji* descr. pag. Worm. in *act. acad. Palat.* vol. I, p. 290; mihi vero videtur ante vitæ finem alios comitatus in diœcesi Trevirensi cum abbatia S. Maximini consecutus comitatum pagi Navensis Werinhero reliquisse; cf. *Honthemii hist. Trev. dipl.* T. I, p. 226. Nolim vero ego Megingaudum comitem Nahgoviensem sive Wormatiensem 870 - 889 diversum facere ab illo, qui Meinfeldiam Ripuariæ pagum an. 888 cum abbatia S. Maximini tenuit atque an. 892 occisus est. Denique facile ego crediderim, Megingaudum hunc comitem, nepotem Odonis Francorum Neustrasiorum regis, æque & Robertum Fortem, satorem generis Capetingici, oriundum fuisse comitibus Moguntinis pagique Rhenensis.

(a) Non pagum Enrichgowe, quod Helwichius in antiqq. Lauresh. scripserat, sed Encichgowe, Craichgoviæ affinem, Walahoni comiti subfuisse docet charta Laurisham. an. 902 in *cod. Lauresh. dipl.* vol. I, n. LVI.

cum filio Burchardo comite Wormacienſi (*b*) ac duce Thuringorum (*c*) familiæ auguſtæ Salicæ inſerendum duximus. Neque vero iſtos comitatus ſolum, ſed & alios quamplures provinciæ Rhenanæ procuratoribus Francorum proprios, atque ſic eorum poteſtatem ducali parem extitiſſe, dein videbimus.

§. XXVIII.

In cameræ nuntii locum ſuccedit dux Francorum.

Poſt Werinheri, cameræ nuntii, qui Franciam Rhenanam procuraverat, obitum, quem clariſſimus ab Eckhart in annum DCCCXCVII ponit, quod ex eo tempore inimicitiæ inter Babenbergenſes & Haſſos comites agitari cœptæ ſunt, absque dubio Hatto præſul effeciſſe videtur, ut principatus Francorum deferretur ad Conradum ſeniorem Haſſiæ comitem, Thuringiæ ante ducem, eundemque in provincia Rhenana opulentiſſimum. Is certe æmulus exſtitit Adelberti marchionis, atque poſt obitum Arnulfi cæſaris ſociata cum Hattone tutela regni regisque pueri functus in chartis regiis ſubinde memoratur, cujus & Hattonis conſultu res actæ ſint (*d*). Quin etiam cum Conradus ſenior,

(*b*) Vide chartam Ottonis III imp. an. 994, quæ ad Ludovici Infantis præceptum ſeſe refert in *Gudeni cod. dipl.* T. I, p. 367.

(*c*) Cf. *Eckhardi comm. de R. F. Or.* p. 772.

(*d*) In privilegio Corbejenſi Ludovici regis an. 900 in *monum. Paderborn.* p. 105 ſq. ſolius comitis Conradi fit mentio: *Per interventum venerabilis ac dilecti* comitis *Conradi.* Eundem in modum loquitur charta Laurisham. *cod. dipl.* vol I, n. LV. Alia ejusdem anni, qua abbatias S. Apri & S. Germani eccleſiæ Tullenſi ſubjicit, in *Martenii theſ anecd* T. I, p. 60, hanc formulam refert: *Conſultu fidelium noſtrorum Athonis venerabilis archiepiſcopi et Conradi dilectiſſimi comitis.* Nihil certe dici potuit aptius ad caritatem tutoris ſignificandam. Eodem Conrado & Geberardo illuſtribus comitibus ſuggerentibus an. 902 eccleſiæ Trevirenſi comitatum Trevirenſem cet reddit, apud *Honthemium hiſt. Trev. dipl.* T. I, p. 253. Confer *traditt. Fuld Schannati* p. 221 ſq. ubi Conradus & Gebhardus comites cum Hattone præſule regi ſuo adſunt ejusque

nior, quem ducis titulo etiam a fcriptoribus ornari fupra diximus, vitam in prælio infelici ad Fritislariam an. DCCCCVII perdidiſſet, ipſius filius natu major, Conradus, ducatum Francorum cum Haſſiæ præſidatu conjunctum tenuit, atque collegam Hattonis in tutela regni egit, quod vel ex unis literis patet, quibus Ludovicus puer rex Conrado comiti, fundatori eccleſiæ Limburgenſis ad Lanum, *rogatu atque conſultu fidelium noſtrorum* Hattonis videlicet archiepiſcopi & ſpiritualis patris noſtri, *nec non Chuanrati egregii ducis et fidelis nepotis* noſtri, curtim regiam Brechene in Longavia inferiori donat (*e*). Quum autem poſt tot tamque gravia monumentorum ac ſcriptorum veterum teſtimonia, quæ jam ſupra excitavimus, dubium ſupereſſe debeat nullum, quin Conradus junior poſt patrem cum Haſſiæ præfectura etiam Francorum omnium habuerit ducatum, exiſtimandum eſt, comites majores Wormatienſes ac Spirenſes caruiſſe tum principatu, quem Werinherus cameræ nuntius ſeculo IX exeunte cum Adelberto marchione habuiſſe viſus eſt. Sed curatius jam de ducatu Francorum, & principibus, qui eum habuere, diſputemus.

§. XXIX.

De ducibus Francorum

Itaque jam ſub Ludovico puero epocham ponimus ducatus Francorum in Francia Rhenana orti. Cum enim ante obti-

que literas ſubſcriptione firmant. Veruntamen ſuſpicor, regem puerum in ceteris provinciis, v. c. Bavaria, proceribus majoribus tanquam conſiliariis regni tutoribus uſum eſſe, maxime Luitboldo comite, Bavariæ marchione, propinquo ſuo.

(*e*) In *Honthemii hiſt. Trev. dipl.* T. I, p. 258. Adde aliam chartam ex illuſtriſſimi *Buati origg. Boicae domus* T. II, append. monum. n. III ad an. 908, in qua his verbis ejus mentio fit: *Et Cuonradi comitis noſtri atque propinqui.* Anno tandem 911 per interventum *Chuonradi et Eberhardi venerabilium comitum atque amabilium nepotum* presbytero cuidam quasdam villas donat, in *Eccardi comm. de R. F. O.* T. II app. dipl. Wirceburg. p. 897 ſq.

obtinuerit in ea missatica cameræ nuntii potestas, videmus jam Francorum principes a rege proximos, qui ducatum exercitus Francorum tanquam signiferi, & palatii supremi præfecturam tanquam comites gerebant, advocatias regiarum abbatiarum, ecclesiarum, civitatum & pagorum comitatus, denique partem regni circa Rhenum possidebant. De ducatu Francorum in Neustria similia tradunt gesta consulum Andegavensium, ex quibus ejus descriptionem (*f*), quantum ad illustrationem pertinet, mutuamur: „ Potestas illa, quæ suo tempore (Hugonis abba„ tis) cum reverentia pia & humilitate abba comitatus est dicta, „ a successoribus vero ejus in arrogantius vocabulum, quod est „ ducamen, mutata; adeptus est princeps ille item in præ„ mium & honorificentiam pro labore suo partem terrarum in „ regno, quod factum est per episcopos & nobiles totius regni; „ qui ei volente & concedente Carolo rege puero dederunt Neu„ striam; quo nomine continetur, quicquid a Parisiis & Au„ relianis interjacet inter Ligerim & Sequanam inferius usque „ in Oceanum. Iste itaque tractus cum ei datus esset ad in„ tegrum cum comitatibus & civitatibus & abbatiis castellis„ que, præter episcopatus solos, qui in regia dominicatura re„ tenti sunt, voluit comites reliquosque proceres suos animo„ siores & fortiores ad propugnandam regionem efficere, ideo„ que omnes aut muneribus aut honoribus ampliavit. „ Atque ad similitudinem ducis Francorum Neustrasiorum fere ex iisdem rationibus exortus est in Austrasia Rhenana ducatus, quem primum genti Conradi senioris, Hassiæ præsidis proprium, dein familiæ Salicæ Wormatiensi collatum series ducum jam illustranda docebit. Prima quidem vestigia principatus Francorum post cameræ nuncios abrogatos reperimus in Conrado seniore Hassiæ præside, & Loganensis provinciæ dynasta locupletissimo; verum cum is æmulum habuerit Adelbertum, neque hic passus

 sit,

(*f*) In *Bouqueti scriptt. R. G.* T. IX, p. 29.

ſit, ut ab illo auctoritate ſuperaretur, tandem etiam victus ceciderit, epocham ducatus Francorum in unum de proceribus Francorum collati ſtatuendam arbitror in ipſo caſu, quo Adelbertus marchio oppreſſus vitam cum honoribus judicio principum perdidit. Tanta autem tum fuit reipublicæ perturbatio, ut ejusdem veſtigia quoque in chronicis auctorum ejus ætatis expreſſa dicere oporteat cum illuſtriſſimo Bunavio comite (*g*). Tam jejuna ſunt tamque confuſa, quæ ab iis nobis traduntur. Itaque tantum narrant, redacta in fiſcum regium fuiſſe prædia Adelberti perduellis, ejusque honores, dono regis, nobilioribus quibusque diſpertitos eſſe (*h*). Supra jam oſtendi, Luitboldo Bavarorum præſidi ceſſiſſe marcam Franconiæ. Eodem modo auctus eſt Burcardus, Thuringorum dux, comitatu pagi Grabfeld orientalis (*i*). An vero Conradus, filius interfecti Conradi ſenioris, cujus mortem ultum iverat ipſe rex, Conradus inquam comes inter nobiliores nobiliſſimus, regi propinquus & cariſſimus, ſolus non ornatus diſceſſerit? An is, cui Ludovicus rex ipſe egregii ducis titulum impertitur, quem veteres ſcriptores uno ore ducem Francorum, antequam rex crearetur, fuiſſe ferunt, qui cum patruo Gebhardo in placito regali omnibus comitibus Francorum anteit (*k*) atque principis regalium decretorum munere fungitur (*l*), non ceteros Francorum proceres dignitate ac poteſtate longe ſuperare non videatur? Quodſi denique perpendamus, quæ Conradus rex moriens fratrem Eberhar-

(*g*) *Hiſtoria caeſar. et imp.* P. IV, p. 177 ad an. 905.

(*h*) *Regino Prum.* ad an. 905, *annal. Saxo* ad an. 906.

(*i*) Marchionem Adelbertum Grabfeldiæ comitem ſiſtunt *traditt. Fuld.* ad an. 889 & 901. Burcardum vero Ludovici regis tabula an. 908 data in *Eccardi comm. de R. F. O.* T. II app. dipl. p. 898.

(*k*) Vide chartam in ipſo placito Forchemienſi, quod Adelberto ferale fuit, ſcriptam in *traditt. Fuld.* n. DXLV, p. 222.

(*l*) Cf. Hattonis archiepiſcopi traditionem ſollemnem l. c. n. DXLIX, p. 225.

hardum ducem monuit, facile nobis persuademus, ducatum Francorum in regno orientali æque fuisse realem & in occidentali. Ita vero illum inducit loquentem Witichindus Corbeiensis: „Sunt „ nobis, frater, copiæ exercitus congregandi atque ducendi: „ sunt urbes & arma, cum regalibus insigniis & omne, quod „ decus regium deposcit, præter fortunam atque mores. „ Nemo non videt, hæc verba unum Eberhardum fratrem attingere, neque ad ipsum regem pertinere, quippe qui, Witechindo ipso teste, „ erat vir fortis & potens, domi militiæque optimus, „ largitate serenus & omnium virtutum insigniis clarus (*m*). „ Fratri vero Eberhardo deesse videbatur prudentia, dignitas atque severitas cum modestia, denique regius decor. At habebat tamen Eberhardus copias exercitus congregandi, urbes & arma, tanquam dux Francorum; idemque regiæ dignitatis pignora habiturus erat regis heres. Hæc igitur rex fratrem deferre jussit Henrico Saxonum duci, quem sic, narrante Luitprando (*n*), *heredem, regiaeque dignitatis vicarium* constituit fratris, ducis Francorum, loco.

§. XXX.

Itaque haud dubie sumimus, regnante Conrado proximum ab illo principem Francorum fuisse Eberhardum fratrem, atque eandem dignitatem obtinuisse regibus Henrico I & Ottone I cæsare. Quum hujus loci non sit, historiam ducatus & principum, qui illum tenuere, adornare, satis est, seriem ducum ita illustrare, ut aliquando constet, ducatum Francorum revera fuisse. Eberhardus

Eberhardus Francorum dux & marchio 912-939.

(*m*) Addit annal. Saxo: „ Adeo studuit publicæ utilitati, ut hanc quoque „ in hoste, quæ tamen rara virtus est, comprobaret. „ Consentit Reginonis continuator ad an. 919: „Cunradus rex obiit, vir per omnia „ mansuetus, prudens & divinæ religionis amator — Multis tamen „ laboribus, ad paucos, quos regnavit, annos, est a Bavaris, Alemannis & Saxonibus sibi rebellantibus fatigatus, quos ante obitum suum, „ Deo propitio, superavit. „

(*n*) *Histor.* L. II, cap. II in *Reuberi scriptt. R. G.* ed. Joannis p. 155.

hardus quidem, quod brevibus commonefacere liceat, in veteribus ſcriptorum & tabularum monumentis, tum ſimpliciter *comes* (o) ſive *dux* ſive *marchio* (p) tum cum additamento *comes de Francia, potentiſſimus de Francia, comes palatii, dux Francorum, dux Franciae Auſtraſiae* cet. vocatur. Atque hæc poſtrema provinciæ ſignificatio, quam auctori vitæ S. Johannis Gorzienſis abbatis graviſſimo (q) debemus, nullum dubium relinquit, quin ducatum Franciæ Rhenanæ tenuerit. Diſerte enim ille conjungit utramque Rheni oram: *Eurardus Franciae Auſtraſiae et quorundam trans Rhenum tenebat locorum*, quemadmodum *Gislebertus ducatum regni Lotharii.* Confirmat noſtram, quam ſupra jam expoſuimus de Franciæ Auſtraſiæ ſitu ſententiam Witechindus Corbejenſis, qui de utroque duce Eberhardo & Giſelberto refert: „ Nec contenti regno occidentali ſolummodo in Rheni „ orientalem agrum depopulandum cum exercitu demerguntur. „ Vnde Eberhardus dux maxime cis Rhenum Francis præfuiſſe videtur; idem vero etiam trans Rhenum potens fuit, quod de ejus poteſtate in Haſſia maxime intelligendum puto. Quodſi autem

(o) Quod nemo miretur, qui ab iisdem ſcriptoribus Giſelbertum Lotharingiæ, Ottonem Saxonum, & Luitboldum Bavarorum duces etiam comites appellari meminerit.

(p) Videas teſtimonia auctorum collecta in *Pfeffingeri vitr. illuſtr.* T. I, p. 941 ſq. & T. II, p. 370 ſq. Adde ſeriem meam comitum Pal. Aquisgran. illuſtratam §. 2 p. 13 ſq. Accidit vero in teſtimonio chronographi Laureshamenſis: *Cunradus vero frater Eberhardi marchionis orientalis regni partem circa Rhenum tenuit*, ut perverſo diſtinctionis ſigno male conjungerentur vocabula marchionis orientalis, atque ſic celeb. *Eckhartus* in *comm. de R. F. O.* T. II, p. 830 eo delaberetur, ut Eberhardum Adelberto marchioni Franconiæ ſuffectum eſſe crederet. Rectius orientalis regni appellatio alias conſueta hic ſumitur, cujus partem tantum, quod duces provinciarum reliquarum ſibi habuit rebelles, Conradus rex tenuit circa Rhenum. Ipſe autem rex fratrem ſuum diſerte vocat marchionem absque adjectione in charta, an. 914 ſcripta, quæ legitur in *cod. Laureſh.* vol. I, n. LXII, p. 111.

(q) In *Labbei bibl. mſſ.* T. I, p. 763.

tem porro ad Witichindi, quocum & alii ſcriptores conſentiunt, attendamus verba: „ nam ea tempeſtate rex erat pugnans contra „ Briſag & alias urbes, quæ erant Eberhardi ditionis (r) „ fere conjicimus, Eberhardum cum ducatu Auſtraſiorum Alſatiam, nec ſcio, an partem de Lotharingia avulſam (s), quæ dicta eſt Weſtraſia, tenuiſſe, atque ſic honorem marchionis meruiſſe, quippe quo titulo eum ornavit ipſe rex frater an. DCCCCXIV. Opus certe habuit Francia Teutonica propugnatore adverſus Carolum Simplicem, Gallorum regem, Lotharingiæ æmulum. Quodſi tamen hæc tituli marchionis, quo illuſtris fuit Eberhardus, explicatio haud ſatis firmo argumento niti videatur, nihil ſupereſt, quam ut illum adhibitum eſſe exiſtimemus ad poteſtatem miſſaticam regiæ vicariam indicandam, qua etiam Saxoniæ, Bavariæ & Lotharingiæ primos duces ſive comites potentiſſimos ſuum ducatum muniiſſe & auxiſſe docet hiſtoria. Sive igitur Eberhardum conſideremus tanquam regis locum tenentem in placitis regiis, dici meretur comes potentiſſimus, comes palatii; ſive

 eum

(r) Conf. ill. *Schoepflini Alſ. illuſtr.* T. I, p. 678.

(s) Teſtante certe chronico brevi S. Galli ad an. 912 in *Cheſnii ſcriptt. rer. Gall.* T. III, p. 466 & *Bouquetii ſcriptt.* T. VIII, p. 101, *ipſo anno Francos, qui dicuntur Lotharingi, hoſtiliter invaſit* Conradus. Neque expeditio Caroli Simplicis poſt obitum Conradi regis adverſus Germanos, quam memorat Reginonis continuator ad an. 923, alio conſilio inſtituta mihi videtur, quam ad occupandam cum Alſatia illam Lotharingiæ partem, quæ Auſtraſiæ Rhenanæ confinis dici cœpit Weſtraſia. Carolus Alſatiam & partes illas Franciæ juxta Rhenum usque Moguntiam ſibi uſurpaturus, usque Patennicheym villam juxta Wormatiam hoſtiliter pervenit. Vnde fidelibus regis Heinrici Wormatiæ coadunatis, aliter quam decuerat regem, aufugit. Factum autem hoc eſſe tribus ante annis, non modo colligitur ex *Hermanno contr.* ad an. 920: *Carolus rex Galliae in Franciam* venit, ſed clarius etiam docet *Frodoardus chron. Remenſ.* ad an. 920, ubi de Erlebaldo comite pagi Caſtricenſis in Gallia, & Caroli Simplicis aſſecla narrat: „ Qui Erlebaldus profectus „ ad regem, qui tunc morabatur in pago Wormacenſi, ſedens contra „ Heinricum principem transrhenenſem, ibi ab hoſtibus regis ſibi ſuper- „ venientibus interfectus eſt. „

eum exercitui Francorum præfectum videamus, dux Francorum recte vocatur; five denique cetera ejus jura, quæ poteftate miffatica continentur (*t*), fpectemus, marchio Francorum appellandus fuit. Neque vero Eberhardum five ducem five marchionem Francorum minori jure ducalem honorem geffiffe, quam ceteros ejus ætatis duces, non modo ex unanimi fcriptorum teftimonio, fed vel maxime ex eo etiam colligimus, quod is in follemni coronatione Ottonis I regis munere dapiferi functus fit. *Duces* enim, tefte Witichindo, *miniftrabant.* Denique Eberhardus, qui Henrico regi fidem usque fervaverat, fub initium regni Ottonis I perduellionis reus jam anno DCCCCXXXVII ducatum amifit, quod Ditmarus Merfeburgenfis his verbis fubindicat: „ Eberhardus dux, regi diu infidelis, degradatus eft. „ Sed regi anno fequenti fupplex factus, poftquam brevi tempore exilium paffus effet, in priftinam dignitatem tefte Witichindo reftituitur. Verum denuo adverfus Ottonem gravia bella movens cum focio Gifelberto Lothariorum duce anno DCCCCXXXIX peremtus cecidit. Itaque jam difpiciendum, quis ei in ducatu Francorum fucceflerit.

§. XXXI.

De Conrado Wormatienfi duce, ceterisque Francorum principibus.

Quum Eberhardus dux honorem cum vita dimififfet, inter Francici nominis principes eminebant illius patrueles, Udo comes Vederoviæ & Rhingoviæ, ac Hermannus Suevorum dux, fratres, quorum pater Gebhardus fub Arnulfo & Ludovico Infante regibus comitem palatii inter Francos egiffe vifus eft, Conradus porro Curcipoldus comes Longaviæ inferioris (*u*); atque hos tres

(*t*) Cf. diff. meam de origine & formula comitatuum Palatinorum in comm. Acad. Boicæ vol. IV, p. 106 fqq.

(*u*) *Luitprandus hift.* lib. IV, c. x in *Reuberi fcriptt.* ed. *Joannis* p. 189: „ Habuerat plane rex nonnullas maximas & fortiffimas copias, & ea- „ rum duces, Hermannum fcilicet Suevorum ducem fratremque ejus „ Udo-

tres ex familia Longavico - Vederovica oriundos fuisse constat. Præter hos in Austrasia cisrhenana tum propter majores Salicos, tum ob virtutem singularem splendidissimus erat Conradus Wormatiensis, Werinheri comitis filius, ac Werinheri olim Francorum procuratoris nepos. Hic quidem comitatus Navensis, Wormatiensis & Spirensis pagorum post patrem & avum regebat, atque Eberhardi ducis in locum successisse vulgo putatur (*x*). Hermannus ab anno DCCCCXXVI jam ducatum Sueviæ adeptus erat; frater vero natu major, Udo, in Francia amplissimis beneficiis & præfecturis potens, hæc ipsa inter filios rege permittente divisit, quod Reginonis continuator ad an. DCCCCXLIX docet. Hic enim Udo comes præ ceteris amicus (*y*) & fidelis Ottonis regis in periculosa rebellione Giselberti & Eberhardi ducum, cum fratre Hermanno & patrueli Conrado Curcipoldo regias partes fortissime secutus erat; unde ipse & frater a Liutprando & Conrado Urspergensi dicuntur duces copiarum maximarum & fortissimarum regis. Etiam post compressos istos tumultus, quum Henricus frater regis in gratiam receptus denuo novas res moliturus fuisset, adfuere regi Francorum proceres, Hermannus & Udo, fratres, cum Conrado Rufo Wormatiensi,

 operam-

„ Udonem, atque Conradum cognomine Sapientem. „ Cf. *contin. Regin.* ad an. 948. Hunc vero Conradum Sapientem a Wormatiensi Conrado, filio Werinheri comitis, diversum atque potius pro illo Longaviæ comite etiam dicto Curcipold habendum esse, jam clar. *Koelerus* in *diss. de fam. aug. Franc.* tab. I, p. 9, n. 18 ex loco *Ekkehardi jun. de cas. S. Galli* cap. V, p. 61, qui omnino non ad Conradum Wormatiensem referri potest, acute collegit.

(*x*) Præter *Pfeffingerum Vitr. illustr.* T. II in serie ducum Franconiæ atque Lotharingiæ ill. *Schoepflinus* in *Alsat. illustr.* T. II, p. 602 sq. gravibus asserit argumentis, illum fuisse Francorum ducem, cf. *Lameji descr. pagi Worm.* in *actis acad. Pal.* vol. I, p. 292 sq.

(*y*) Hoc nomine commendatur a *Ditmaro Merseb.* lib. II *chron.* p. 338 edit. *Leibnit.*

operamque in conjuratorum manu opprimenda præstitere (*z*). Neque igitur dubitari debet, quin Otto rex principes hosce sibi fidelissimos, quorum consilio & fortitudine regnum servaverat, atque in posterum tuiturus erat, amplissimis honestaverit muneribus. Quare tum ducatui Alemannico adjectam fuisse existimo Alsatiam, provinciam Eberhardi ducis casu vacuam (*a*). Udo, Vederoviæ & Rhingoviæ cet. comes, quibus beneficiis & præfecturis auctus fuerit, obscurum videri potest, nisi Hassiam ipsi attributam conjicias. Quum enim superstites habuerit filios Udonem, Conradum & Heribertum, atque ex his Heribertus Vederoviæ (*b*), Conradus Rhingoviæ comitatum (*c*) tanquam hereditate acceperit, nil superest, quam ut Udoni, natu maximo, quem scriptores non modo comitis sed etiam ducis nomine insigniunt (*d*), præfecturam, quam extra Hassiam invenire difficile fuerit, assignatam credamus. Sed missis principibus Francorum Vederovicis de Conrado Wormatiensi, cognomine Rufo, videamus. Is quidem non solum paucis post annis ducatum regni Lothariorum filiamque regis Luitgardim uxorem accepit, sed jam ante in Francia Rhenana, in qua avitos comita-

(*z*) Cf. *annal. Saxo* ad an. 943, p. 272. Verum quæ ibi narrantur, jam an. 940 gesta fuere, quod ex serie antecedenti colligere licet, cum ad an. 942 referantur fata Eberhardi & Giselberti ducum, quæ jam triennio ante evenisse constat.

(*a*) Hermanni I certe gener, heres & successor Ludolfus, Ottonis cæsaris filius, cum ducatu Alemanniæ etiam Alsatiam habuit, quod charta an. 951 ab illustri *Schoepflino Alsat. illustr.* T. II, p. 541 laudata testatur. Antea vero Eberhardum ducem tenuisse Brisacum, Alsatiæ propugnaculum, tradunt Luitprandus, Conradus Vrspergensis, ceteri.

(*b*) Vid. *Guden. cod. dipl.* T. I, p. 351, ubi pagus Kinzichgow, qui pars fuit majoris pagi Vederoviæ, comitatui Heriberti subfuisse dicitur.

(*c*) Cf. clar. *Lameji descr. pagi Rhenensis* in *actis acad. Pal.* vol. II, p. 185.

(*d*) *Ditmarus Merseb.* L. III, p. 346 & *annal. Saxo* ad an. 982, exstitit autem Udo II dux, pater Hermanni II, Suevorum ducis.

comitatus Navensem, Wormatiensem & Spirensem habuerat (*e*), amplioribus auctus beneficiis fuisse videtur; cum etiam Nitensis pagi, in quo situm fuit Francofurtum, palatium primarium, comitatum tenuisse ad an. DCCCCXXXXVII cognoscatur (*f*). Quin auctor Spirensium episcoporum historiæ satis probatus, Philippus Simonis (*g*), qui notitias suas ex veteribus chartis æque & scriptoribus compilavit, Conradum hunc a rege in beneficium accepisse tradit Germershemium, Spiram, Wormatiam, Altzhemium, Oppenhemium, Moguntiam & Crucinacum, cum pluribus aliis castris & prædiis; quod quidem si cum veritate consentiret, facile nobis persuasum habeamus, illum præ ceteris ducatum Francorum Austrasiorum meruisse. Moguntiam quidem in illius potestate fuisse, atque cum rebellis adversus socerum regem factus ex Lotharingia confugisset, an. DCCCCLIII ab ipso rege Ottone oppugnatam fuisse novimus (*h*). Neque tamen, nisi post obitum Friderici præsulis Moguntini, quo utebatur assecla Conradus dux, Otto cæsar urbe potitus est. „ Mogontia, inquit annalista Saxo (*i*), post annum & dimidium „ regi tradita cum omni Francia; filius & gener in gratiam „ suscepti sunt. „ Quamvis autem Moguntia civitas fuerit regalis, verita tamen est duces regis vicarios, æque & omnis Francia. Similiter Wormatia paruit Conrado, qui ibidem Avares a se in auxilium vocatos laute excepit, muneribusque auri &

 argenti

(*e*) Cf. præstantissimi *Lameji descr. pagi Worm.* in *act. acad.* vol. I, p. 292. Adde *origg. Bipp.* P. I, p. 112-114.

(*f*) In tabula regiæ donationis, quæ villam *Seggibach in pago Nithegouwe in comitatu Cuonradi ducis* sitam dicit, cf. *Buri vorrechte der alten königl. Bannforste &c.* 1744 cod. probb. n. I.

(*g*) *Hist. beschreibung aller bischöfe zu Speyer* p. 24.

(*h*) Cf. *Frodoardum* ad an. 953 p. 155 sq. & *annal. Sax.* a. d.

(*i*) Ad an. 954 p. 292, edit. Eccard.

argenti plurimum donavit, teste Witichindo Corbejensi (*k*). Clarius autem Ditmarus Merseburgensis docet, *Wormatiam fuisse sub lege ducum suorum* (*l*). Quod ad Spiram attinet, habemus testimonium omni exceptione majus, quod ipsius Conradi ducis donatio ecclesiæ Spirensi an. DCCCCXXXXVI facta præbet (*m*). En argumentum ejus, quod Joannes de Mutterstatt, chronographus Spirensis, ipsis chartæ verbis sic elocutus est (*n*): „Reginbaldus XVII Nemetensis episcopus resedit in ea annis XV. „Conradus dux filius comitis Wernharii pro remedio animæ „& parentum suorum ad altare genitricis Dei constructum in „urbe, quæ Nemetis vel Spira vocatur, cuncta mancipia cum „eorum procreationibus, quæ in eadem civitate habebat, & „monetam, quæ tota suæ succubuit proprietati, item medietatem theolonei, item denarios salis, item denarios picis, „denarios vini ceteramque omnem potestatem temporalis jurisdictionis intra eandem civitatem & extra, quæ parentibus „suis & sibi ex regali tradicione & donacione in proprietatem „donacionis succubuit, præfato Reginbaldo episcopo ceterisque „post eum illius pontificalis sedis successoribus ad æternum „donum cum hereditario jure donavit anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLVI regnante rege Ottone primo.„ Quam potenter jam Conradi ducis pater Werinherus Spiræ egerit, vel ex eo intelligi potest, quod is cum fratre, ni fallor, Conrado comite Navensi, Einhardum episcopum Spirensem excæcari jussit.

(*k*) *Annal.* L. III p. 654 edit. Meibom.

(*l*) Vide carmen L. V *chronici* subjunctum p. 375 edit. Leibnit.

(*m*) Vid. *Eisengreinii chron. Spir.* L. X, fol. 168.

(*n*) In *Senckenbergii select. juris et hist.* T. VI, p. 154. Chartam ipsam legas supra pag. 265.

juſſit (*o*). Itaque cum ex dictis appareat, Conradum Werinheri filium, eumque Lotharienſium ducem, auctoritate valuiſſe apud Moguntinos, Wormatienſes ac Spirenſes, ducali, atque hujus poteſtatis veſtigia dein clariora apparitura ſint; nulli dubitamus, quin is plura, præter illas urbes, caſtra villasque in Francia Auſtraſiorum Rhenana hoc nomine tenuerit, unde Otto rex an. DCCCCLIII, antequam Moguntiam, rebellionis ſedem, progredi poſſet, *obvias urbes partis adverſae*, hoc eſt Conradi ducis, capere neceſſe habuit (*p*). Quum tandem eodem anno Conradus dux Lotharienſis quidem regni ducatu abdicatus fuiſſet, anno tamen ſequenti ſe & urbem Moguntiam cum omni Francia tradens iram regis ſic placavit, ut vita, patria & prædio contentum (*q*) ſe fore polliceretur. Itaque retinuit patriam, hoc eſt ducatum Francorum, cum patrimonio ampliſſimo, comitatus, urbes & caſtra, cum prædiis per omnem Auſtraſiam diſſitis, quo ex tempore bis fidelem operam regi ſocero præſtitit tanquam dux Francorum, primum Geroni Thuringorum marchioni ſive duci in auxilium adverſus Slavos cum exercitu Francorum miſſus (*r*), dein in pugna celebratiſſima adverſus Hunnos, quæ ipſi *rectori et procuratori Francorum*, *imperii ſignifero*, victoriæ auctori, tandem fatalis extitit (*s*). Sepulturam invenit Wormatiæ, quemadmodum biennio ante Luitgardis uxor Moguntiæ.

§. XXXII.

(*o*) Teſte *annaliſta Saxone* ad an. 913. Similem vindictam exercuit poſtea Henricus I Bojorum dux in Salisburgenſium præſulem, in eoque ſe jure uſum eſſe ſuo etiam moribundus exiſtimavit. Cf. eundem annal. ad an. 955 p. 295.

(*p*) *Annal. Saxo* ad an. 953 p. 286.

(*q*) *Contin. Regin.* & *annal. Saxo* ad an. 954.

(*r*) *Annal. Saxo* l. c. p. 292: „Eo anno Slavi, qui dicuntur Vchrei, a „Gerone cum magna gloria ſunt devicti, cum ei præſidio eſſet dux „Conradus a rege miſſus &c.

(*s*) Cf. *Witichindus Corbejenſis* L. III, p. 656, *Ditmarus Merſeb.* L. II, p. 332 &c.

§. XXXII.

De Ottone Wormatienſi Francorum duce.

Conradus dux ſuperſtitem habuit filium Ottonem, vulgo Wormatienſem, fere tum ſeptennem, natum quippe ex Luitgarda, Ottonis regis filia, quam anno DCCCCXXXXVII Conrado nupſiſſe refert continuator Reginonis. Neque vero propinquiorem habuit ipſo rege, avo materno, ejusque filio naturali Wilhelmo, præſule tum Moguntino & Francorum primate. Quare cum non ſolum priſco more epiſcopi maxime tutelam procerum impuberum in ſua diœceſi agere conſueviſſent, quod vel ipſa regum impuberum hiſtoria comprobat, ſed & eidem Guilielmo Otto I cæſar regis pueri Ottonis II regnique tutelam anno DCCCCLXI ſe abſente commendaſſet, haud video aptiorem Ottonis ducis pueri tutorem, quam iſtum ipſius avunculum, Wilhelmum Moguntinum. Habuit autem procul dubio præter eum ex ordine civilium virorum bajulum, qui & puerum ad artes militares ceterasque inſtrueret, & ejus vice comitatus regeret avitos. Ita quidem Otto, filius Conradi ducis, anno DCCCCLVI (*t*), cum vix octo annorum eſſet puer, memoratur comes pagi Navenſis. At paulo poſt in eodem comitatu reperias Emichonem comitem (*u*) vaſallum, quem comitis potentiſſimi ſive ducis vices egiſſe, alibi oſtendimus (*x*). Atque is Emicho primus eſt inter comites cognomines, qui ab eo tempore comitatum Navenſem rexerunt; a quibus ipſis deſcenderunt tum comites Sylveſtres, tum Leiningenſes, qui comecias ſuas

ſive

(*t*) Cod. probb. *hiſt. Worm.* n. XXIII, p. 20 ad an. 956, & in *origg. Guelf.* T IV, p. 292. Dicitur autem in illa: „ In pago Nahgowe, in „ foraſto noſtro Waſago nominato, in comitatu Ottonis, filii Cuonradi „ ducis.

(*u*) Cf. *Honthemii hiſt. Trev. dipl.* T. I, p. 292 & 304.

(*x*) Diſſ. de comitibus Veldentinis §. IV, in *actis acad. Pal.* vol. II, p. 252 ſq.

five judicia provincialia, illi quidem in pago Navensi, hi in agro Wormatiensi, a comitibus Rheni Palatinis, ducum in Francia Rhenana successoribus, beneficiaria lege tenent. Quid igitur obstat, quo minus Emichonem, comitem pagi Navensis vicarium & vasallum, ducis Ottonis bajulum fuisse, deque eo adeo meritum esse existimemus, ut potestatem vicariam posteris suis quasi hereditatem reliquerit. Otto dux, annis major factus, indies virtute & honore illustrior evasit. Anno DCCCCLXXVIII, cum triginta annorum ætatem attigisset, dux Carinthiæ, adeoque potestatis regiæ in Italia propugnator constitutus est (*y*), neque tamen sic ducatum Francorum, & qui ei conjuncti erant, comitatus provinciæ Rhenanæ ex sua dimisit potestate. Chartæ enim veteres, & dum ille Carinthiam tueretur, & postea scriptæ, Ottonem ducem sistunt Wormatiensis, Spirensis, Craichgoviæ & Elsenzgoviæ pagorum comitem majorem. Hinc eo magis apparet, jam tum pagorum horum administrationem committi debuisse vicariis comitibus, quales non in Navensi modo, sed & in Wormatiensi comitatu ceterisque id temporis reperias (*z*). Quod ad pagum Wormesfeld attinet, habuit illum Otto dux, cum Carentanis jam præesset, teste charta Ottonis II imp. (*a*).

(*y*) Cf. *Frölichii archontol. Carinth.* P. II, cap. I, p. 10 sqq.

(*z*) Comitatum Wormatiensem sub Ottone duce tenuit Zeisolfus comes, cf. *Lameji descr. pagi Worm.* l. c. p. 294, Spirensem Hugo & Wolframus, cf. *Crollii* patris *oratt. de Amvilla* p. 6 sq.

(*a*) Jam in *origg. Bipp.* P. I, p. 63 obiter memorata. Necdum enim ipsius chartæ, sine die & consule scriptæ, copia mihi erat, qua perspecta patuit, eam non Ottoni M. sed vel filio Ottoni II, vel nepoti Ottoni III tribuendam esse. Quodsi illud probetur, data fuit charta inter annum 978 & 983; sin hoc, inter annum 997, quo Otto dux in Carinthiam rediit, & 1002, quo Otto imp. d. 24 Jan. e vivis excessit. Ottonem II ipse Otto III in alio privilegio Hornbacensis ecclesiæ inter reges beneficos nominat; haud vero aliud haberemus liberalitatis documentum ab isto

Atque ejusdem cæsaris privilegium Wormatiense an. DCCCCLXXIX conscriptum (*b*) docet, Ottonem Wormatiensem in ipsa urbe Wormatia ejusque suburbio tertiam partem banni & toleti beneficio regio ad id temporis usque tenuisse. Spirensem vero pagum sub potestate Ottonis idem cæsar ponit in tabula, donationem Cononis comitis ecclesiæ Spirensi factam confirmante anno DCCCCLXXXII (*c*). Tenuit præterea dux noster comitatum pagorum Elsenzgowe & Creichgowe, testante diplomate Ottonis III regis pueri an. DCCCCLXXXV (*d*). Quinque igitur pagorum, Navensis, Wormatiensis, Spirensis, Craichgoviæ & Elsenzgoviæ comitem, atque in ipsa Wormatia fisci regii procuratorem ostendunt tabulæ Ottonem Carentinorum ducem, eundemque Veronæ marchionem; unde facile colligimus, eundem Francorum Rhenanorum potentissimum fuisse comitem sive ducem: quo ipsum quoque titulo diserte insignit chronographus Saxo (*e*).

Anno

isto profectum, nisi donatio villæ Quidersbach ad ipsum referenda sit. En ejus excerptum: — „Otto divina favente clementia imperator augu-„stus — patere volumus, qualiter nos æquivoci nostri ac fidelis Otto-„nis Carientinorum videlicet ducis interventu ad ecclesiam sancti Pir-„minii, quæ est in castro Hornbach constructa, cui etiam sub præsenti „tempore Adalbertus venerabilis abbas præesse videtur, nostræ pro-„prietatis sex mansos regales, in villa Quideredesbach nominata sitos, „in comitatu ipsius præfati Ottonis, & in pago Wormesfeldt vocato ja-„centes — in proprietatem tradidimus.„

(*b*) Quod legas in *origg. Guelf.* T. IV, p. 296 & *Moritzii* comm. hist. dipl. de origine civitatum imperii &c. Germanice scripta p. 279.

(*c*) In *Alsatia diplom.* P. I, n. CLXIII, p. 131 sq.

(*d*) Quod exhibent *Schannatus* in *cod. probb. Worm.* n. XXIX, p. 25 sq. rectius vero *Scheidius* in *origg. Guelf.* T. IV, p. 286.

(*e*) Ad an. 984 in *Leibnitii access. histor.* P. I, p. 197: „Illa vero (Adel-„heida imperatrix avia Ottonis III) — cum nuru sua imperatrice Theo-„phana matre regis, nec non illustri abbatissa Machthilde filia sua, „amita ejusdem infantis regis, comitantibus fratre suo rege Burgundiæ „Con-

Anno autem dicto LXXXV amore pacis ſponte ſua ſeſe ducatu Carinthiæ, quem recepturus erat Henricus minor ex Bavaria in Carinthiam revertens, abdicavit (*f*). Eodem anno Otto III rex, pacato regno, curiam Quedlinburgi in feſto Paſchatis celebravit, in qua regni proceres fidem jurarunt, ducesque quatuor miniſtrarunt regi puero, *Henricus ad menſam, Conradus ad cameram, Hecil ad cellarium, Bernhardus equis praefuit* (*g*). Conradum equidem Alemannis & Suevis, ac Bernhardum Saxonibus præfuiſſe cum ducali poteſtate conſtat, at de Henrico & Hezil ducibus, qui fuerint, inter eruditos nondum convenit. Henricum dapiferi munere functum plerique contendunt fuiſſe ducem Bavariæ reſtitutum, Henricum aliis rixoſum, aliis pacificum dictum, Henrici I regis nepotem; quod probamus, cum regii generis principi jam reconciliato prærogativam quandam tribuendam cenſemus, facile ceteri duces conceſſiſſe videantur. De Hezilone magis dubitatur. Tolneri quidem ſententia (*h*) qui hoc nomine Ezonem, Ezilonem comitem Ripuariorum Palatinum ſignificari vult, merito rejicienda eſt, quum Ezonis pater Hermannus ipſe pacis, inter regem & Henricum Bavariæ ducem conciliandæ, auctor tum adfuerit, neque comitis Palatini filio locus inter duces concedi queat. Itaque alii, ex quibus Maſcovium (*i*) nominaſſe ſufficiat, Henricum minorem, Carinthiæ ducem, ſub nomine Hezil latere putarunt; cui quidem

 ſen-

„ Conrado, & *duce Francorum, ejus aequivoco* — convenere. „ Ita-
„ que Otto Carinthiæ dux & marchio Veronenſis a ſcriptore graviſſimè vocatur dux Francorum.

(*f*) *Froelich* l. c. P. II, cap. I, p. 11 ſq.

(*g*) *Ditmarus Merſeb.* L. IV, p. 349, ed. Leibnit. & *annal. Saxo* ad an. 985.

(*h*) *Hiſt. Palat.* cap. IX, p. 247.

(*i*) In *comm. de R. I. G.* T. I, p. 148.

ſententiæ lubens calculum adjicerem, niſi honorem aulici officii tantummodo ducibus populorum primariis, quales erant Bavariæ, Sueviæ, Saxoniæ & Francorum duces, proprium olim, adeoque Carinthiam illius exſortem fuiſſe arbitrarer. Accedit, quod Henricus minor neque a Dithmaro, neque ab annaliſta Saxone unquam Hezil appelletur. Quare probabilior tandem Kœleri (*k*) ſententia videtur, qui Ottonis ducis Francorum Wormatienſis filium natu majorem Heinricum, a Wippone Hezil dictum, pincernæ officio functum eſſe patris abſentis nomine exiſtimat (*l*). Illum jam tum cingulo militari uſum fuiſſe (*m*) credimus, cum & patre novendecim annorum natus eſſe potuit, & ipſe id temporis conjugem duxiſſe videatur Adelheidim Alſaticam, ex qua, cum juvenis vita defunctus eſſet (*n*), tres liberos reliquit. Eodem illo anno poſt ſolemnitatem Quedlinburgi celebratam die duodecimo rex puer Duisburgi præſentem habuit Ottonem ducem, quippe quo, æque & Theophania matre tutrice

(*k*) In *diſſ. de fam. aug. Franc.* probatt. ad tab. II, n. 6, p. 15.

(*l*) Adde Senkenbergium in tractatu vernaculo de uſu ſemper vigente juris publici antiqui &c. p. 168.

(*m*) Sic v. g. Fridericus de Rotenburg, Conradi III regis filius, anno jam XIII ætatis cingulam accepit militare, teſte *Radevico de geſtis Frid. I imp.* Lib. I, cap. VI ad an. 1157.

(*n*) Clar. Kœlerus eum anno 989 obiiſſe autumans provocat ad Necrol. Fuldenſe, quod ad annum dictum refert: *Heinrichus dux.* Neſcio autem, an non rectius Henricus minor, Carinthiæ dux, intelligendus ſit, cum ab eo tempore alter Henricus, Bojorum dux, Carinthiam recuperaſſe videatur, cf. *Hundii metrop. Salisb.* T. I, p. 93 edit. Gewoldi. Hinc arbitror, doct. *Froelichium* in *archontol. Carinth.* P. I, p. 16 & P. II, p. 12 ſq. nodum in ſcirpo quæſiviſſe, cum probare conaretur, Henricum minorem anno demum poſt Henricum Rixoſum, Bojorum ducem, obiiſſe, incertos ſcriptores ſecutus. Plane vero non audiendum exiſtimo clar. *Grunerum* in diſſ. de Henrico minore *opuſc. hiſt. Germ.* vol. I, cum eum ad an. 1017 uſque vixiſſe velit, atque cum Henrico Suinfurtenſi eundem faciat.

trice ac Willigiso. præsule Moguntino suadentibus ecclesiæ Wormatiensi non solum partem in bannis & toletis regiam, quam ante VI annos ipse dux dimiserat, sed & jura comitatus in prædiis ecclesiæ confirmavit (o). Quamvis autem sic ecclesia Wormatiensis egregie aucta fuerit, haud tamen omnis in ipsam auctoritas ducis sive comitis potentissimi desiit, quippe cui relinqui debuit bannus sanguinis (p), ut cetera majora jura taceam. Biennio post Otto dux, suadente uxore Juditha & consentientibus filiis, Henrico, Brunone & Cunone, monasterium S. Lamberti in Grevenhusen prope Neostadium ad Hartam liberalissime instituit, simulque edixit, ut advocatiam loci semper familiæ senior teneret. Reponimus nimirum hanc fundationem, cujus apographa referunt annum seculi decimi LXXVII (q), in annum LXXXVII; quocum consentit indictio XV (r). Testes subscripsere comites Guido, Wolframus, Ludolt, Zeisolfus, ceteri, quos ducis vasallos existimo, cum Wolframum post Hugonem in pago Spirensi, & Zeisolfum in Wormatiensi egisse; utrumque autem pagum jure avito duci subditum fuisse, supra jam observatum sit. Tales certe vicarios comites desiderabat & amplitudo ducis per omnem Franciam potentis, & ejusdem crebra absentia rerumque foris gerendarum cura. Anni insequentis LXXXVIII kalendis Januariis adfuit dux noster regi puero

(o) Cf. *Schannati cod. probb. Worm.* n. xxx, p. 26 sq.

(p) Vid. eundem l. c. n. LXIII, p. 57 & cf. *origg. Bipp.* P. I, p. 246-248.

(q) *Phil. Simonis* in *hist. episc. Spir.* p. 30 sq. versionem diplomatis valde mendosam edidit. Excerptum vero literarum fundationis publicavit *Guillimannus* in *diss. de stemmate Conradi Salici* p. 12, in *Senckenbergii select. juris et hist.* T. III recusus p. 232 sq. Tota tandem, sed pariter mendis contaminata prodiit in scripto eristico, quo Spirenses jura sua in villis S. Lamperti & Grevenhausen probare enisi sunt, anno 1753 edito, probb. n. I. Omnes hæ editiones falso præferunt annum 977.

(r) Neque profecto an. 977 Otto dux habuit liberos tam adultos, ut eorum consensum laudare posset.

Francofurti agenti (*s*), pariterque cum filiis Henrico & Cunone, comiteque Palatino Hermanno an. DCCCLXXXIX, die IV kal. Octobr. Laureshami regi auctor fuit, ut donationem quandam Laureshamensibus factam firmaret (*t*). Neque postea redit Henrici, filii natu majoris, inter vivos memoria. Redit autem Otto pater hoc splendidior in veteribus memoriis, cum non solum Henrico Bavarorum & Carentinorum duce an. DCCCCLXXXXV mortuo, Carinthiam & marchiam Veronensem denuo a Bavaria disjunctam acceperit propugnandam (*u*), sed etiam Ottone III cæsare in Italia d. XXIV Jan. an. MII absque heredibus mortuo, inter principes regni æmulos princeps habitus fuerit, cui uni vel ipse Henrici I regis pronepos Henricus, Bojorum dux, cedendum arbitraretur. Sed Otto dux, sapientior ceteris, regiam dignitatem recusavit, suoque suffragio effecit, ut Henricus S. præ ceteris regnum consequeretur. Atque novus cæsar eodem duce utebatur ad Carinthiam & marcam Veronæ tuendam, quippe quæ provincia vel maxime ad Italiæ regnum conservandum opportuna erat. Anno autem supra millenarium tertio, cum Henrico cæsari viam in Longobardiam muniturus atque Harduinum regni æmulum adpugnaturus esset, rem infeliciter gessit, quod neque satis valebat copiis Teutonicis, neque Itali, quod promiserant, in auxilium advenere (*x*). Itaque ab Harduino oppressus fugam arripere coactus fuit. Anno tamen sequente rem perditam restituisse videtur, cum Ditmarus Carentinorum virtute aditum in Italiam regi denuo apertum fuisse laudabundus referat. Denique hic scriptor gravissimus, sub finem libri V chronicorum suorum testimonium omni exceptione majus præbet,

(*s*) *Cod. probb. Worm.* n. xxxi, p. 28.

(*t*) *Cod. Lauresham. dipl.* vol. I, n. lxxxiii, p. 141.

(*u*) Cf. *Froelichium* l. c. P. I, p. 16 & P. II, p. 13 sq.

(*x*) Narrante *Ditmaro* l. c. p. 370 sq.

præbet, Wormatienfes ad feculi usque XI initium poteftatem ducis veneratos effe. Ita enim in carmine fubjuncto canit:

Vrbs Wormacenfis gaudet temporibus iftis
Libertate fua, cujus manebat in umbra
Hactenus atque ducum fuerat fub lege fuorum.

Quid vero clarius dici potuit, ut Wormatiam civitatem fuiffe præfectoriam exiftimemus. Poteftas vero ducis in hanc urbem magnopere diminuta eft, cum Otto dux fibi perfuaderi paffus effet, ut domum fuam, quod palatium ducale dixeris, cum toto prædio fuo cæfari Henrico, acceptis aliis bonis, traderet, epifcopo & ecclefiæ Wormatienfi dein concedendam (*y*). Vnde cum epifcopus aulam ducalem in ecclefiam collegiatam S. Paulo facram commutaffet, idem Ditmarus canit:

Aula ducis, Domini domus eft, jam praedia Chrifti,
Et judices varios nunc deprimit illos.

Vehementer autem hac acceffione epifcopus non modo gavifus, fed & ad civium libertatem præter fas imminuendam abufus eft. Nihilominus non omnem poteftatem civilem comitum regiorum, quippe adverfus quam idem epifcopus fibi duodecim poft annis novum præfidium parare ftuduit, abrogatam effe Wormatiæ, jam ab aliis fatis fuperque demonftratum eft (*z*). Diem tandem obiit fupremum Otto dux Francorum & Carinthiæ d. II. non. Novembr. an. MIV (*a*), quod generis Salici illuftratores præteriiffe video. Atque ftatim anno infequenti filium ejus Con-

(*y*) An. MII, V non. Oct. diploma regium in *cod. probb. Worm.* n. XLI, p. 35.

(*z*) Legas, quæ poft *Moritzium* diximus in *origg. Bipp.* P. I, p. 248-251.

(*a*) Sic diferte habet necrologium Fuldenfe, *Schannati hiftoriae Fuldenfi* fubjunctum p. 477. Confentiunt necrologium Moguntinum in *Schannati vindem. liter.* coll. I, p. 4, & necrol. S. Maximini in *prodr. hift. Trevir.* p. 991, ubi emendanda eft nota, quæ diem hunc emortualem ad Ottonem Suevorum ducem an. 1057 defunctum falfo refert.

Conradum utriusque ducatus, & Austrasiorum & Carinthiæ, heredem videas.

§. XXXIII.

De Conrado III Wormatiensi, duce Francorum & Carinthiæ

Successit Ottoni in ducatu Francorum, non, quæ vulgaris est opinio (*b*) erronea, ex filio natu majore Henrico seu Hezilone, ante ipsum demortuo, nepos Cuno Spirensis sive Conradus, quem Salicum dicunt, sed lege senioratus, filius alter Cuno sive Conradus Wormatiensis. Atque ista cognomina Spirensis & Wormatiensis nobis quidem subindicare videntur rationem in dividendis prædiis habitam. Spiræ potens erat Conradus Salicus, Hezilonis filius egregiæ libertatis, quippe qui nunquam se submiserat alicujus servituti; unde jure colligimus, eum ducatus exsortem fuisse (*c*); Conradus autem, Hezilonis frater, in agro locupletatus maxime Wormatiensi, utrumque ducatum patris obitu vacuum accepit. De ducatu quidem Carentinorum, cui conjuncta erat marca Veronensis, nemo dubitat (*d*). Neque minus dubitari debuit de ducatu Franciæ Rhenanæ sive Austrasiorum, quem pater in Carinthia agens filio jam commisisse videtur. Anno enim DCCCCLXXXXVI

Otto

(*b*) Ct. *Pfeffingeri Vitr. illustr.* T. II, p. 475. Sed eam merito in dubium vocavit *Schoepflinus Alsat. illustr.* T. II, p. 604.

(*c*) Atque hoc clarissime prodit *Wippo* in *Pistorii scriptt.* T. III, ed. Struv. p. 465, his verbis electionem Conradi Salici celebrans: „Credo quidem „huic electioni cœlestium virtutum favorem non deesse, cum inter „singularis potentiæ viros, tot duces & marchiones, absque invidia, „sine controversia is eligeretur, qui genere & virtute, atque in pro- „priis bonis nemine esset inferior, tamen de republica, ad comparatio- „nem talium virorum, parum beneficii & potestatis habuit.„ Atque idem Conradi cæsaris biographus gravissimus alterum Chunonem Wormatiensem, de quo § seq. dicemus, Salici patruelem diserte dicit fuisse ducem Francorum, quo nomine & Otto Wormatiensis, avus, ab eodem insignitur p. 463.

(*d*) Denuo id demonstratum dedit *Froelichius archontol. Carinth.* p. 19.

Otto III cæsar Willigiso archiepiscopo Moguntino ejusque successoribus cum consensu Conradi ducis contulit forestum, quod inter Bingam & Baccharacum, Rhenum flumen & rivum Dadilebach, hodie Gildebach situm fuit (*e*). Itaque hoc forestum ad id usque temporis ditioni ducis subditum fuit. Ejusdem Willigisi, cujus cura monasterium Disibodenbergense restitutum est, tempore (*f*) „ dux Cuno de Beckilnheim & uxor ejus „ Jutta, divitiis, potentia & nobilitate præcipui, ob remedium „ animarum suarum, pro recordatione filie sue Ude, jam ibi- „ dem defuncte, instinctu & rogatu ejusdem venerabilis archi- „ episcopi, duos agros --- salice terre, & duos mansos --- „ in villa Boys S. Dysibodo in proprietatem contradiderunt „ unde non solum discimus, Beckelnhemium, pagi Navensis castrum, quod postea cum omni ducum hereditate ad familiam augustam Spirensem pervenit (*g*), sedem præbuisse duci Conrado inde etiam cognominato, sed ipsum quoque habuisse primum uxorem Juttam, ex eaque genuisse filiam Utam, Beckelnhemii mortuam. Illa vero cum dein quoque obiisset, transiit ad secundas nuptias cum Mathilde, Hermanni II Suevorum ducis & Gerbergæ Burgundicæ filia; quas cum ob consanguinitatem rescindi cuperet Henricus II imperator, magna in concilio Tremoniensi nationali an. MV (*h*) ea de re exstitit contentio. Atque tum Henricus imp. narrante biographo Adalberonis, episcopi Metensis

Hhh

(*e*) Vide traditionem regiam in *Gudeni cod. dipl. Mog.* T. I, p. 14.

(*f*) Cf. literas Adelberti I archiepiscopi Moguntini an. 1128 datas, in *Joannis spicil. tabb. & liter. veter.* chartul. Disibodenb. n. V, p 104. Locum hunc præteriit *Koelerus* in *diss. de fam. aug. Francica* ad illustrandam magis Conradi Wormatiensis familiam egregie facientem.

(*g*) Cf. clar. *Kremeri hist. geneal. comitum Sponhem.* vol. I, p. 126 not.

(*h*) Vide *Ditmarum Merseb.* qui lib. VI *chron.* p. 380 decreta synodi non. Jul. 1005 facta refert.

tenſis (*i*), his Conradum ducem præſentem inſignivit verbis: „ Conradus, dux Auſtraſiorum, conſanguinitate nobis, & qui„ cunque in tota patria nobiliores ſunt, cunctis affinitate con„ junctus, uxorem duxit ſic ſibi propinquam, ſic proximam &c. „ Fruſtra vero tentavit imperator, quocum plerique epiſcopi faciebant, ducem Conradum, utpote qui amicorum potentia æque & ſua effecit, ut ſacra ſynodus in ſeditionem abiret, illiusque judicium diſturbaretur, conjugemque adeo Mathildem, dum viveret, retinuit. Ex hac vita autem mature deceſſit prid. eid. Dec. MXII (*k*) neque ſic multa rerum a ſe geſtarum monumenta reliquit. Reliquit tamen ducatus Rhenani heredem ex conjuge altera, Conradum juniorem, Wormatienſem, de quo jam dicemus.

§. XXXIV.

De Conrado IV Wormatienſi, duce Francorum, Alſatiæ &Carinthiæ.

Conradus, inquam, Wormatienſis, dux Francorum, excluſo ſemel fratrueli majori Cunone ſive Conrado Spirenſi, ducatus heredem reliquit filium Conradum IV, ſive Cunonem Wormatienſem minorem, quamvis impuberem, quem Wippo (*l*) & Otto Friſingenſis (*m*), teſtes omni exceptione majores, ceterique bonæ

(*i*) *Labbei biblioth. mſſt.* T. I, ſect. V.

(*k*) Cf. *Koeleri fam. aug. Franc.* probb. tab. II, n. 9, p. 18 ſq.

(*l*) L. c. p. 462 inter duces, qui an. 1024 provinciis præfuere, obvius eſt *Cuno Wormatienſis, dux Francorum;* p. 471 idem dicitur *Chuno, dux Franciae*, p. 473 *Chuno dux Wormatienſis, patruelis imperatoris*, p. 474 „ Imperator vero deſcendens per Rhenum in Franciam venit, „ ibique dux Chuono, patruelis ejus, prius rebellis, ſe reddidit; „ & p. 483 in carmine lugubri: *Ruit Chuno dux Francorum.*

(*m*) *Chron.* lib. VI, cap. XXVIII p. 132 „ Conſanguineus regis Conradus „ Vangionum, & Erneſtus privignus ejus Suevorum ſive Alemanno„ rum duces, regi cum multis aliis rebellare tentant. „ Paulo ante Conradi hujus avum Conradum vocaverat Wormatienſium ducem; cap. XXXI, p. 134: mortui *ſunt ibi — Cono Francorum dux.*

næ fidei ſcriptores (*n*) vocant tum *Francorum*, tum *Franciae*, tum *Wormatienſium* ſeu *Vangionum* ducem. Wippo etiam patruelem ſuum, Cunonem majorem, nulla præditum poteſtate, potentia ſuperaſſe tradit (*o*). Ducatum vero Carentanum præterito Conrado puero Henricus S. imperator conceſſit Adalberoni Eppenſteinio; unde cum annis major factus eſſet, a patrueli ſuo Cunone majore adjutus anno MXIX armis cum Adalberone æmulo de ducatu iſto decertavit, eo tamen poſtea per VI fere annos caruit, quousque tandem a patrueli, jam rege, paternum ducatum *in Carentano et in Hiſtria*, *quem Adalbero habuerat*, recepit anno MXXXVI (*p*). Neque vero ſolum paterna hereditate opulentus exſtitit, ſed & materna. Mathildis enim mater, Hermanni III ducis Sueviæ & Alſatiæ, an. MXII absque prole defuncti, ſoror natu major, acceptum ex fraterna hereditate ducatum Alſatiæ filio Conrado reliquit (*q*), quemadmodum altera ſoror Giſela Alemanniæ ſive Sueviæ ducatum conjugi ſuo Erneſto, ante Palatino Sueviæ, attulit. Itaque Conradus junior, Wormatienſis, dux fuit Francorum, Alſatiæ & ab anno MXXXVI etiam Carinthiæ. Miſſis jam rebus ab eo varie geſtis tantum addimus, ipſum d. xx Aug. an. MXXXVIII brevi poſt patruelem ſuum Conradum regem mature improlem deceſſiſſe; unde omnis ejus hereditas ad agnatam familiam cæſaream, ejusque ſeniorem Henricum III regem pervenit.

Hhh 2 §. XXXV.

(*n*) *Sigebertus Gembl.* & *Albericus* ad an. 1024 eum vocant ducem præpotentem, hic etiam ad an. 1039 Francorum ducem.

(*o*) L. c. p. 464 *In his duobus, id eſt, in majore Chunone et juniore diu pendebat reliqua nobilitas: et quanquam majorem Chunonem ſecretiori conſilio et avido deſiderio propter virtutem et probitatem illius pene omnes eligerent, tamen propter junioris potentiam --- animum ſuum ingenioſe quisque diſſimulabat.*

(*p*) Cf. *annaliſtam Saxonem*, ceteraque teſtimonia apud *Froelichium* l. c.

(*q*) Cf. *Schoepflini Alſat. illuſtr.* T. II, p. 545.

§. XXXV.

Reges Franciæ Rhenanæ heredes, & ducatus Francorum cum regia dignitate unitus.

Exſtincta ducum Wormatienſium familia Franciam omnem ad reges, ex Spirenſi familia ortos, tanquam proximos heredes deveniſſe, atque ſic ducatum Francorum, & quæ ei conjuncta erant jura, majeſtati regum & fiſco regio coaluiſſe, teſtimonio ſuo docet Ekkehardus Junior, qui iſto ſeculo vixit, Alemanniæ antiquiorem formulam illuſtrans ex ea, quæ ab anno MXXXIX obtinere cœpit in Francia Rhenana: *Nondum*, inquit, *adhuc illo tempore Suevia in ducatum erat redacta, ſed fiſco regio peculiariter parebat, ſicut hodie et Francia.* Itaque & novior hæc Franciæ noſtræ facies accommodatior exſtitit ad illum ſtatum, quo ſeculo IX exeunte fuit, antequam duces in locum miſſorum ſeu procuratorum cameræ ſufficerentur. Fuere quidem ex eruditis, qui vulgato illo Ekkehardi teſtimonio ſe induci paterentur, ut ducatum Franciæ Rhenanæ unquam fuiſſe negarent. At illi varias hujus provinciæ ejusque formulæ periodos haud animadvertiſſe videntur. Scilicet ad ſeculi usque X initium fiſco regio paruit, atque miſſis regiis ſive cameræ procuratoribus & comitibus Palatii commiſſa fuit; inde vero ab ineunte ſeculo X revereri cœpit præſides regios, ducum honoribus & prærogativis præ ceteris omnibus Germaniæ principibus illuſtres. Tales certe fuere poſt Conradum ſeniorem filii Conradus I, dein rex, & Eberhardus, poſt cujus fata ducatum Francorum adeptus eſt Conradus II Wormatienſis, idemque dux Lotharingorum, illumque tanquam hereditatem reliquit poſteris. Itaque ipſum ſecutos videmus filium Ottonem Wormatienſem, eundemque Carinthiæ ducem, tum nepotem Conradum III Wormatienſem, ſimul Carinthiæ ducem, denique pronepotem Conradum IV Wormatienſem, ducem ſimul Alſatiæ & Carinthiæ. Hos, inquam, principes venerata eſt Francia Rhenana tanquam præſides regum vicarios, ſigniferos atque primates Francorum omnisque regni civiles. Verum exſtincta eorum familia denuo mutationem paſſa

eſt

eſt Francorum respublica, tertiaque ſic ejus periodus orditur, ut ducum poteſtatem juraque, quæ regibus ceſſerant, ab his partim vindicata, partim diſtributa videamus. Neque enim male me olim conjeciſſe (*r*) puto, reges ab eo tempore poteſtatem comitum Palatinorum Aquisgranenſium, quæ finibus Ripuariæ circumſcripta videbatur, adeo amplificaſſe, ut judices Palatini omnium Francorum exiſterent; quod quidem Henrici Lacenſis & Sigefridi Ballenſtadienſis, maxime vero Godfridi Calwenſis & Hermanni de Stahleck hiſtoria confirmare videtur. Ad fiſcum regium in partibus Rheni adminiſtrandum conſtitui jam cœperunt advocati regii, qui & judices emunitatis & bonorum regiorum procuratores eſſent. Tales certe ab eo tempore conſpicui ſunt in Spirgovia (*s*), Vederovia (*t*), & Alſatia (*u*). Similem provinciam in pago Wormatienſi ſuſtinuiſſe videntur

 Bolan-

(*r*) In ſerie illuſtrata comitum Palatinorum Aquisgran. &c. p. 66, 205 ſqq.

(*s*) Talem exiſtimo fuiſſe Hugonem Spirgoviæ comitem, qui in charta Selſenſi an. 1051 occurrit, in *Alſatia diplom.* n. ccx, p. 167, & Egbertum comitem Spirenſem, qui an. 1109 in palatio Spirenſi regio reſedit, cf. *Lehmanni chron. Spir.* L. IV, cap. vii. Neque quis objiciat, illos comites dici, non advocatos. Promiſcua enim hæc tum fuere vocabula. Privilegio regio an. 1114 de cenſu judæorum in Spira fratribus eccleſiæ Spirenſis ſolvendo poſt Hermannum marchionem & Godefridum Palatinum ſubſcripſit *Ekbertus advocatus in vice Egenonis pueri advocati;* unde non ſolum colligimus, comites id temporis revera fuiſſe advocatos provinciales, ſed Ecbertum quoque tutorio nomine advocatiam geſſiſſe.

(*t*) Huc referendus forte Udalricus, advocatus regis, qui in charta regia an. 1064 apud *Gudenum cod. dipl. Mog.* T. I, n. xiv occurrit, & bannum de prædio quodam in pago Wetereiba in comitatu Bertholdi acquiſiviſſe dicitur. Clar. *Bernhard* in *antiqq. Wetterav.* L. III, cap. 1, p. 214 Udalricum hunc ad majores Minzenbergiorum referendum putat. Atque mihi videtur idem eſſe cum Udalrico de Coſtheim, de quo Henrici IV regis familiari *Lambertus Schaffn.* ad an. 1073 plura habet.

(*u*) Advocatos Alſatiæ a ſeculi XII initiis repetit ill. *Schoepflinus Alſat. illuſtr.* T. II, p. 558 &c.

Bolandii, miniſteriales regni (*x*). Atque dynaſtæ de Hagen, dein de Minzenberg dicti, pari munere gaviſi ſunt, curamque foreſti regii Dreyeich in Rhingovia geſſerunt (*y*). Supremum vero officium, quod Francorum duces in curiis regum ſollemnibus adminiſtrare conſueverant, cum honore ſigniferi ſive ducis Francorum ſummo tandem ad Staufenſes, Suevorum duces, tanquam regum Salicorum proximos heredes veniſſe, jam curatius probabimus.

§. XXXVI.

Ducatus Franciæ Rhenanæ ſub regibus, maxime Henrico IV imminutus; quodammodo reſtitutus in Staufenſibus principibus.

Henricus III cæſar, Conradi Salici filius, ducatum utrumque & Franciæ Rhenanæ & Alſatiæ, morte propinqui ſui, Conradi IV ducis, vacuum cum fiſco regio conjunxit. Idem vero etiam, qua erat mente imperii augendi avida, Franconiam hactenus a marchionibus adminiſtratam, cum anno MXLVII Ottonem marchionem ducatu Suevorum ornaſſet, fiſco addixiſſe mihi videtur (*z*). Henrici III filius, Henricus IV, tres iſtas Francorum regiones pariter tanquam regium habuit patrimonium, quod teſtimonium Ekkehardi junioris ante adlatum clariſſime innuit. Verum conſtat quoque, quam prodigus patrimonii fuerit rex iſte, cum ſe regnumque hominibus ſacri ordinis lacerandum tradidiſſet, quantumve epiſcopi regnantes privilegiis, quorum conſcribendorum erant miri artifices, uſurpationem jurium

(*x*) Hi quidem ab anno demum 1129 inclareſcunt, cf. *geneal. dom. Falckenſtein.* tab. I, probb. n. 1. Anno autem 1156 Wernherus de Bolandia judex pacis publicæ in agro Wormatienſi fuit, cf. *Schannati cod. probb. Worm.* n. LXXXI, p. 75 ſq. Forte Wernherus comes civitatis Wormatienſis an. 1106 ex eadem gente oriundus fuit, cf. *Schannatum* l. c. n. LXVII ſq. p. 61 ſq.

(*y*) Cf. excell. *Burii behauptete vorrechte &c.* p. 17 ſqq.

(*z*) Vide, quæ hanc in rem diſputavi in comment. de nuptiis feminarum principum Francici generis &c. §. 3, p. 6 ſq.

rium & prædiorum regiorum ſancire ſtuduerint (*a*). Exemplo ſit vel una Spirenſis eccleſia. Ut enim dona taceam, quæ Sigebodo & Conradus epiſcopi ab Henrico III cæſare optata tulere (*b*), Henricus IV anno MLVII Conrado epiſcopo prædia duo, Eppingam in Craichgovia & Herxhemium in Spirgovia contulit; in gratiam Einhardi præſulis plures donationis tabulas conſcribi curavit, quibus ſubnixi Spirenſes jura in Crucenacum, villam regiam (*c*), foreſtum Luſshard (*d*), monaſterium regum patrimoniale S. Lamberti in Spirgovia (*e*) ſibi tributa contendunt. Similiter Rudigero præſuli ſalicam abbatiam Hornbach (*f*), præpoſituram Naumburgenſem in Vederovia (*g*), monaſte-

(*a*) Exempla talium largitionum quædam refert chronographus Laurishamenſis in *cod. Laurish. dipl.* vol. I, p. 179 & *Lehmanni chron. Spir.* L. V, cap. 24 & 41.

(*b*) Cf. Jo. *Siſridi de Mutterſtatt chron. Spir.* in *Senkenbergii ſel. juris et hiſt.* T. VI, p. 162 ſqq. *Phil. Simonis* in *chron. epiſc. Spirenſ.* p. 42-56.

(*c*) Vide cel. *Kremeri hiſt. geneal. Sponhem.* vol. I, P. I, probb. n. II. Habet autographum harum literarum, quod in tabulario Bipontino latet, apertas notas falſitatis. Quæ enim membrana ante præcepto Henrici III cæſaris inſcripta erat, a malo artifice ita, credo, pumicata fuit, ut novas easque confictas literas Henrici IV ſuperinducere poſſet. Atque ita ſuperinduxit, ut nova Sigehardi cancellarii ſubſcriptio cum textu diplomatis eadem linea procederet, antiquior autem cancellarii ſubſcriptio: *Theodericus cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognovit,* majuſculis literis loco conſueto expreſſa relinqueretur. Relictum pariter Henrici III cæſaris monogramma, idemque male confictum, cum ſigillo adulterino ejusdem cæſaris; adeo ut hæc tabula duplicatam teſtetur fraudem.

(*d*) *Jo. Siſridi chron. Spir.* l. c. p. 164.

(*e*) Cf. deductionem jurium Spirenſium in villas Grevenhauſen & S. Lamperti an. 1753 editam; docum. n. II, p. 3 ſq.

(*f*) Cf. quæ in *origg. Bipont.* P. I, p. 72 ſqq. & p. 115 ſq. diximus.

(*g*) *Bernhardi antiqq. Wetterav.* de præpoſitura Naumburgenſi c. III, p. 9 ſqq.

nasterium Kossingen, villas Spiram, Waiblingam & Winterbacum, jurisdictionem denique in Judæos Spirenses concessisse (*h*) fertur. Mitto cetera & præsertim, quo modo ecclesia Spirensis patrimonium comitum Craichgoviæ sibi comparaverit (*i*). Sic etiam præsules Wirceburgenses non modo insignibus aucti sunt beneficiis, sed etiam arrogatam sibi potestatem ducalem judiciariam identidem fines diœceseos suæ egredi jusserunt (*k*). Neque igitur mirari debemus, quod tanta de patrimonio regum Salico facta sit diminutio, ut fere omnis pristinæ provinciarum Francicarum formulæ interiret memoria. Quum vero sub eodem cæsare Henrico IV respublica sensim in maximam incidisset perturbationem, & ubique seditiones, coitiones, bellaque civilia exorta essent, tandem regi periclitanti fere unus aderat Fridericus de Staufen, dux fortissimus, cui ob fidem præstitam rex cum filia sua Agnete Suevorum concessit ducatum. Jam hujus decessor Rudolfus, Suevorum dux, regi adfinitate conjunctus, dum fidem ipsi servaret, non modo Suevis, sed universo exercitui regio, adeoque & Francis imperaverat (*l*). Quum enim olim secundas post Francos, populum primarium, partes obtinerent Saxones, Henricus rex jam hisce infensus „ volebat, ut ait Lambertus, „ deletis usque ad internecionem Saxonibus „ loco eorum, gentem Suevorum constituere. Hæc enim illi „ gens erat acceptissima, & eorum plerosque amplissimis hono„ ribus extulerat, & primos in palatio fecerat (*m*). „ Hinc jam

(*h*) *Jo. Sifridr. chron.* l. c. p. 165 sq.

(*i*) Cf. eundem p. 167 sq.

(*k*) Quod jam supra §. XIX enarravimus.

(*l*) Testimonium præbet pugna prope Hohenburgum ad Unstrutam an. 1075 VI id. Jun. commissa, in qua Rudolfus dux primas, adeoque signiferi Francorum partes sustinuit; cf. *Lambertus* ad h. a. p. 387 ed. Struv.

(*m*) Ita loquitur idem *Lambertus* ad an. 1073, p. 355.

jam tum ex antiquitate obſcura fictis rationibus repetebant neſcio quam prærogativam, ex qua Suevis prima acies adſignanda ſit (*n*). Novam ſigniferi regii dignitatem, quæ Suevorum duci ſic tributa videbatur, præclare tuitus eſt poſt Rudolfum Fridericus Staufenſis. Verum quod Franci, a quibus regnum omne oriundum fuit, princeps populus haberetur, novus dux præter ducatum Sueviæ etiam titulos & honores ducis Francorum (*o*) cum Franconia, tanquam parte Franciæ, conſecutus eſt (*p*); Franciam Rhénanam vero rex ſuam quoque deinceps eſſe voluit.

§. XXXVII.

Fridericus dux Suevorum & Francorum ejusque filii Franconiæ & Rhenanæ Franciæ heredes.

Fridericus igitur, dux Sueviæ & Francorum in Franconia, provincias filiis, Friderico Cocliti & Conrado V, dein inter reges hujus nominis tertio, reliquit; atque cum ille Sueviam adeptus eſt, tum hic Franconiam accepit. Conradi heres, filius Fridericus de Rothenburg, ipſe improlis obiit; quo defuncto Franconia ceſſit patruo Friderico I cæſari, qui eam filio natu quarto Conrado V attribuit; quo pariter defuncto Franconia denuo cum Sueviæ

Iii duca-

(*n*) Teſte eodem *Lamberto* l. c. p. 387. Acies certe prælii an. 955 adverſus Hunnos commiſſi teſte Witichindo Corbeienſi & annaliſta Saxone ad h. a. in octo legiones diſtributa clariſſime oſtendit, primas partes haud datas fuiſſe Suevis. Scilicet tres priores legiones direxere Bajoarii, quippe quorum maxime intererat, Hunnos ſibi affines arcere. Quartam ordinabant Franci, quorum procurator & rector erat dux Francorum Conradus, ſignifer regius. Quinta erat maxima, eaque regem ipſum habebat ſummum ducem. Sextam demum & ſeptimam conſtituere Suevi, quibus præfuit Burchardus dux, in octava erant Bohemi. Similiter in pugna ad Unſtrutam an. 1075. Rex erat in quinta legione, ex lectiſſimis conflata militibus. Regiam ſic legionem cum legione Francorum medium agmen obtinuiſſe, ceteros populos in alis conſtitutos videmus.

(*o*) Titulum hunc diſerte expreſſum videmus in literis fund. mon. Laureacenſis apud *Beſoldum docum. rediv.* p. 713.

(*p*) Cf. comm. meam de nuptiis feminarum principum &c. §. 3, p. 7.

ducatu unita mansit Staufensi familiæ, quousque hac deleta reliquiæ jurium ducalium cessere Ludovico Severo, comiti Palatino Rheni, quod supra jam diximus (q). Verum Fridericus I Staufensis etiam ideo principatum quendam Francorum meruisse videtur, quod ducatum Alsatiæ, ante a Conrado Wormatiensi, duce Francorum, possessum, cum Suevia habuit (r). Atque hanc Francorum provinciam cum Sueviæ ducatu reliquit filio natu majori Friderico II Cocliti, cujus in locum successit Fridericus III dein cæsar. Sic prærogativa dignitas principis Francorum primarii divisa erat inter Staufenses principes, qui ob id ipsum extincta Salicorum cæsarum familia, cum essent ultimi cæsaris Henrici V ex sorore nepotes, heredes regiæ dignitatis, certe primi inter regni æmulos habebantur. Atque iidem cum essent heredes Franciæ Rhenanæ, provinciæ jam LXXXV abhinc annis regiæ, non tam ab avunculo Henrico V cæsare scripti, quam nati, gravis ipsis controversia intercedere cœpit cum Lothario, duce Saxonum, quem artificiis Adelberti I præsulis Moguntini Staufensibus principibus maxime infensi, regem lectum fuisse constat. Contigit tamen illis, ut & Franciæ Rhenanæ provinciam sibi vindicarent, & regia dignitate augerentur, quam quasi hereditatem transmittebant posteris. Sed abstineo a curatiori harum rerum explicatione, quippe quæ fines quæstionis propositæ excedere videatur.

Pars III

De formula ducatus Franciae Rhenanae.

§. XXXVIII.

Generatim de ducib. Germ.

Si quidem verum est, quod hactenus probare connisus sum, fuisse olim in Germaniæ regno provinciam Francorum peculiarem,

(q) §. XIX, cf. comm. modo citatam p. 7 sq. p. 22 sq. & *Gonnium de ducatu Franconiae* p. 105 sq.

(r) Cf. comm. de nuptiis &c. p. 14 sqq.

rem, quam Rhenanam dicere & primariam inter provincias a Francis-Teutonicis habitatas exiſtimare licet, atque in hac ipſa Francia Rhenana eminuiſſe principes, nomine ducis Francorum ſeu Auſtraſiorum illuſtres; quæſtio exiſtit, *quibus juribus hi duces in provincia Rhenana gaviſi olim ſint, ſive quae formula ducatus fuerit.*

Honorifica ducis appellatio, qua principes a rege proximi olim fuere diſtincti, inde a quo duces in Germaniæ provinciis reſurrexere, variam habuit notationem. Fuere enim duces, ut cum veteribus loquar ſcriptoribus, alii *reales*, alii *nominales.* Hi quidem neque ducatum habere, neque honoribus ducum propriis gaudere viſi ſunt; ſed vel appellationem ducis tanquam monumentum ducatus olim, vel a ſe vel a majoribus poſſeſſi, retinuerunt, vel etiam a regibus ſumere juſſi ſunt; quales Zaringiae & Meraniæ duces fuiſſe conſtat.

Dux realis, ſi vocem ſpectemus, qua latiſſime patet, idem erat ac populi in exercitum congregati dux bellicus; unde etiam comites ducis appellatione haud immerito honeſtatos eſſe conſtat. Verum talis præfectura, quæ ad bellum una referebatur, haud erat perpetua. Fuere autem alii, iique perpetui duces, qui non ſolum ſummam belli alicujus adminiſtrarent, ſed etiam populo alicui ita præeſſent, ut tum jus belli etiam ſuis auſpiciis gerendi haberent, tum & in pace principatum quendam tenerent. Tales fuere olim duces populorum ſive exercituum ſingulorum regni Germaniæ, eandem perſonam tuentes in populo ſuo, quam rex in univerſo regno. Ita duces Saxonum, Bavarorum, Suevorum ſeu Alemannorum, ceteri, in quibus exemplum regis videbatur. Atque cum ipſi eſſent principum primi ſive a rege proximi, præpoſitos eos videmus officiis aulæ & regni, unde *duces Palatini* vocari meruerunt. Eosdem jure vocare liceat *duces primarios.*

Fecit dein tum populorum & provinciarum, quas habebant, amplitudo, tum harum ſitus finiumque ratio, tum tranquillitatis publicæ regnique ſalutis cura, ut præter illos primarios popu-

lorum ducatus etiam alii exiſterent, quos ſecundarios nominare fas ſit. Tales certe fuerunt ducatus Carinthiæ, Auſtriæ & Brunſuico-Luneburgicus cet. Nimiæ nimirum opes ducum Bavariæ & adjacentium regionum, quæ ipſis etiam regibus periculoſa videri poterant, maximum momentum in tuenda Carinthia, & quæ ei conjuncta erat marca Veronenſi, per quam aditus in Italiam patere debebat, poſitum, poſtulaverant, ut Carinthia a Bavarico regno disjuncta proprio duce, in quo vel maxime confiderent reges, gubernaretur. Neque eſt, quod rationes, ob quas Auſtriam terrasque Brunſuicenſes in ducatus erigi placuit, omnibus ſatis ſuperque cognitas pluribus attingamus. Hi vero duces, quamvis haud minori jure & libertate in provinciis ſuis fruerentur, quam duces Palatini (s), imo & ſingularibus augerentur juribus, carebant tamen honore principis officiorum, ceterisque ei conjunctis juribus præcipuis. Itaque, cum ſic ducibus populorum primariis inferiores videantur, recte eos ſecundarios duces eſſe puto.

§. XXXIX.

Ducum primariorum poteſtas inſolentior circumſcripta.

Redeo jam ad duces populorum & regnorum, ex quibus concreta erat civitas regni Germanici univerſa, primarios. Hi cum vergente Carolidarum in Germania imperio primum ſeſe extuliſſent, miſſaticam æque & militarem poteſtatem per totam provinciam exercere cœperant, dein extincta Carolidarum familia liberiori in dies poteſtate apud ſuos regnare moliebantur, neglecta regis novi, quem ante ſuum fere viderant æqualem, majeſtate. Neque illi, quos regiis provinciis præfuiſſe videmus, procuratores

(s) Utimur hac appellatione poſt Fridericum I imperatorem, qui in diplomate erectionis ducatus Auſtriaci an. 1156 dato ſic loquitur: „Si quibusvis curiis publicis imperii dux Auſtrie preſens fuerit, unus de Palatinis archiducibus eſt cenſendus, & nichilominus in conſeſſu & inceſſu ad latus dextrum imperii poſt electores principes obtineat primum locum.

res fiſci ſive cameræ nuntii, imperium regis, quod decebat, ſatis vereri geſtiebant. Exempla turbarum inde oriundarum præbet jam regnum Ludovici IV impuberis. Conradus I rex, fortiter quidem jura regni vindicare adverſus illos connisus eſt, ſed Henrico demum regi effrenatam ducum audaciam refringere, eorumque poteſtatem juſtis limitibus circumſcribere contigit. Hic nimirum poteſtatem miſſaticam, quam cunctam ſibi ſumſerant marchiones ducesve populorum, ita bipartitus eſt, ut relicta una ducibus parte alteram mandaret novis officialibus regni, quos iſta ætas comites Palatinos dicere conſuevit. Atque hi provinciarum correctores quamvis ducibus cederent honore, ita munere ſuo fungi debebant, ut a rege uno penderent, atque ephori ducum eſſent. Sic duces quidem, præterquam quod officium comitis in pagis ſibi aſſignatis adminiſtrarent, imperium militare totius populi cum tranquillitatis publicæ tuendæ cura retinebant, tanquam proprium & peculiare ducatus inſigne, inque placitis provincialibus principatum quendam obtinebant, adeo ut a rege proximi haberentur, & eandem fere in populo aliquo ſuſtinerent perſonam, quam reges, duces ſummi omnium regni populorum, ubique tueri debebant. Comites autem Palatini erant fiſci regii per provinciam ſparſi procuratores ſummi, & cauſarum regiarum cognitores, procerum ceterorumque, qui a poteſtate ducum exemti erant, judices, cauſarum capitalium prætores & ſculteti generales, qui a latere ducum, eorumque abſentium vicarii eſſent per omnem provinciam. Quemadmodum duces erant regum ſimulacra, ita comites hi Palatini provinciales imaginem comitis Palatii ſupremi referebant. Tales fuere duces Bavarorum, Alemannorum ſeu Suevorum, & Saxonum inde ab inſtitutione comitum Palatinorum per Henricum I regem, ejusque filium Ottonem I cæſarem facta (*t*).

(*t*) Cf. quæ pluribus eam in rem diſputavimus in diſſ. de comitatibus Palatinis provincialibus ſect. III, quæ legitur in commentariis acad. Boicæ vol. IIII, p. 102 ſqq.

Antequam in provinciis inſtituti eſſent comites Palatini, maximeque in Lotharingiæ regno ad ejus in duos ducatus diviſionem usque, duces plena & indiviſa poteſtate miſſatica præditos videmus. Tales certe fuere Giſelbertus, Otto Virdunenſis, Henrici pueri tutor, Conradus Wormatienſis & Bruno, archiepiſcopus Colonienſis (*u*). Ad eandem auctoritatem adſpiravit Henricus Auceps, dux Saxonum & Thuringorum, qui primus libera poteſtate regnaſſe in Saxonia dicitur, cum invito rege, qui duplicem ejus ducatum disjungere atque Saxoniam ipſi tantum relinquere cupiebat, utrumque retinuiſſet. Pari modo Arnulfus dux Bavariæ & circumjacentium regionum, in quibus etiam Francia orientalis ſive nova fuit, poteſtatem imperii regii æmulam ſibi arrogare, quamvis haud proſpero eventu, molitus erat. Verum Henrico I & Ottoni I regibus maximis dicto magis audientes fieri cœpere duces, neque his dein alia poteſtas conceſſa fuit, quam quæ partim imperio regum & æmula comitum Palatinorum poteſtate, partim juribus ac libertate procerum provincialium magis minusve circumſcripta eſſet.

§. XL.

Quæ fuerit formula Ducatuum ab inſtitutis comitibus Palatinis?

Itaque ex eo tempore duces habebant poteſtatem limitatam, officio ducali regum beneficio præpoſiti. Judiciaria in pagis poteſtas penes comites erat, qui officium judicis, æque & duces ſuam poteſtatem, a rege ipſo habebant. Veruntamen comites alia ratione ducem ſuum reſpicere debebant. Scilicet is imperium militare adminiſtrabat, cujus juſſa ſequi decebat comites, dynaſtas, militesque omnes. Dux erat ſenior provincialium, atque hi, cujuscunque eſſent ordinis atque conditionis, illius ligii, hoc eſt, fœdere ipſi juncti inæquali. Tantum vero abeſt ut hæc

(*u*) Ita jam exiſtimarunt *Blondellus* in *pleniori aſſertione geneal. Franciae* p. 270, & *Gundlingius* in diſſ. de *ſucceſſione feminarum principum in Gallia Belgica* §. XX, quam vide in *Gundlingian.* partic. 40, p. 488 &c.

hæc clientela, quam barbaro ligietatis vocabulo olim designabant, comites faceret ducibus obnoxios, ut nequidem horum vasalli existimandi sint. Tantummodo ducem in bellum proficiscentem sequebantur, eique dicto audientes erant adversus omnes præter regem suosque dominos, quibus lege beneficiaria arctius devincti erant. Nihilo tamen minus etiam in pace dux videbatur populi princeps. Is enim vi potestatis suæ, quæ per totam patebat provinciam, placita agebat provincialia, convocabat proceres, quibuscum de rebus ad salutem communem pertinentibus deliberaret, consultis addebat auctoritatem, pacem publicam atque supremam civitatis disciplinam custodiebat. In placitis autem, quando sententia maxime de reis capitalibus ferenda erat, assidebat duci comes Palatinus, quemadmodum quilibet comes in suis placitis proximum a se habebat vicarium sive sculdasium, qui ipsi assideret judex. Præter istam potestatem, quam in universo populo dux habebat, idem quoque pagis cum potestate comitis præesse poterat, atque sic simul erat comes. Eidem tutela ecclesiarum & præfectura civitatum, quæ quidem non immunes seu regiæ erant, commissa videbatur. Denique a regibus prædia & castra habebat beneficiaria, quorum ususfructus ducatui conjunctus erat. Ab ejus imperio qui immunes erant proceres, sive sacri sive civilis ordinis, atque civitates, ad comitem Palatinum, advocatos ceterosque officiales regios respiciebant; quoniam comes Palatinus fisci regii procurator judexque emunitatum summus in provincia erat, a quo majores villarum, actores dominici, ceterique juris regii procuratores pendebant. Neque vero solum reges in provinciis prædia amplissima, sed jura etiam illustria sibi reservata habebant, quæ tum per comites Palatinos, tanquam legatos suos perpetuos, tum ipsi exercerent. In horum quidem numerum referri debet inprimis jus regium in ecclesiasticis, quod nonnisi singulari regum beneficio sive indulgentia acceperant Arnulfus, dux Bojorum, & Henricus Leo, dux Saxoniæ & Bavariæ. Haud vero

opus

opus est, omnia hæc sigillatim demonstrare, cum cuique rerum Germanicarum haud ignaro satis superque probata sint.

§. XLI.

Ducum primariorum honores juraque eximia.

Duces igitur provinciales sive populorum, quorum indolem modo adumbravimus, principes erant a rege proximi, ideoque eximio honore & jure præ ceteris fruebantur. Administrabant illi suprema aulæ officia, quæ ad dignitatem regni majorem pertinebant, dapiferi, pincernæ, mareschalli & camerarii, atque his primariis regni muneribus & in coronatione & in ceteris curiis maxime sollemnibus regum fungebantur. Tempore interregni duces populorum nati videbantur interreges sive vicarii, quilibet in sua provincia. In eligendo rege maxima eorum erat auctoritas, quippe cum prætaxatores & electores primarii essent, singuli cum suo exercitu sive populo deliberabant de eligendi persona, tandemque suorum suffragia pronuntiabant. Cum reges impuberes essent minoresve annis, regni procuratio ad illos spectabat tanquam tutores consiliarios, maxime in sua cujusque provincia. Ducum aula, quemadmodum illa regum, splendebat officiis, quibus præponebantur comites ac dynastæ. Denique cum in regnis sive provinciis singulis salutarentur tanquam regum vicarii, facile ad honores fere regios obrepere visi sunt (*x*). Sed mitto jam singula jura, quibus præterea gaudere poterant duces. Quem vero principem reges honoribus auxerant ducalibus, is ipse ducibus primariis accenseri cœpit; cujus rei exemplum præbet illustrissimum Albertus Ursus, marchio septentrionalis & marchiæ Brandenburgensis auctor, qui in compensationem ducatus Saxoniæ sibi a Conrado II cæsare concessi, sed statim amissi, honores accepit ducales, suisque posteris transmisit.

§. XLII.

(*x*) Quantum honoris sibi sumserit Hermannus de Stubeckeshorn, dux Saxonum, vide apud *annal. Saxonem* ad an. 969.

§. XLII.

Duces Francorum fuere primarii

Præmiſſo hoc diſcrimine variarum notionum, quæ uno vocabulo ducis ſignatæ olim ſunt, demonſtrare jam aggredior, duces Francorum, quos per totum ſeculum X, & usque ad annum XXXIX ſeculi XI eminuiſſe, tum poſt intervallum quinquaginta fere annorum reſtitutos videmus, haud fuiſſe honorarios ſive nominales, ſed veros ac reales. Summus quidem Kœlerus in diſſertationis egregiæ de familia auguſta Franconica præloquio unquam ducatum Wormatienſem extitiſſe negans, nobiliſſimos Francorum intra civitatem Wormatiam habitantes ducis titulum & dignitatem aliunde retuliſſe putat, ut Conradum Wormatienſem, qui a ducatu Lotharingiæ ducis titulum retinuerit, ac veluti gentilitium elogium & honorem poſteris reliquerit; quemadmodum dux Sueinfurti, dux de Rotenburg, quamvis æquivoco ducatu caruerint, veteribus celebrentur. Eundem fere in modum diſſerit illuſtris Olenſchlagerus (y), cum Franciam Rhenanam olim provinciam, quam ſua poteſtate continuerint duces, fuiſſe pernegat, atque titulum ducis Francorum, quo inſigniti leguntur Conradus I, dein rex, Conradus Sapiens & Conradus Junior, tantummodo ad imperium militare aliquod referri aſſerit, faciliusque etiam probari poſſe putat, titulum illorum ducalem ſive a Lotharingiæ, ſive a Carinthiæ ducatibus remanſiſſe ipſis, adeo ut tantum honoris cauſa ob ducatum a majoribus poſſeſſum, quemadmodum Zaringii, duces dicti videri debeant. Verum, quod pace tanti viri dixerim, hac ratione minime patere quivis videt, cur Conradus I non ſolum ab ipſo deceſſore ſuo, Ludovico rege, *egregius dux*, ſed etiam conſentiente ſcriptorum veterum teſtimonio diſtinctius *Francorum dux* vocetur. Cur illius frater & ſucceſſor Eberhardus ab omni-

Kkk bus

(y) In nova illuſtratione A. B. Germanice ſcripta §. XIX, p. 59 not. §. XXXIII, p. 118 & §. XLII, p. 149 ſq.

bus scriptoribus usque fide dignissimis dux Francorum nominetur, qui a biographo Johannis Gorziensis abbatis gravissimo diserte ducatum Franciæ Austrasiæ & quorundam trans Rhenum locorum tenuisse dicitur. Simili modo Conradus III Wormatiensis anno MV appellatur dux Austrasiorum, ejusdemque & pater Otto Wormatiensis, & filius Conradus IV junior a gravissimis scriptoribus non modo duces Francorum nominantur, sed & in Francia Teutonica, hoc est, Rhenana, floruisse potestate feruntur. Quodsi iste ducatus sive Francorum sive Austrasiorum, quo ornati videntur per CXL fere annos, ad imperium militare solummodo referri dicitur, haud ego video, quam notionem vocabulo ducis tribui velint viri eruditi. Duces enim inde ab origine sua potestatem suam acceptam retulerunt imperio militari, atque in hoc maxime cernebatur vis ducalis. Omnes nimirum populorum Germaniæ duces primarii habebantur duces exercituum, & rex erat dux summus universi exercitus. Neque vero Eberhardus dux solum habebat, ut verbis Conradi regis utar, copias exercitus congregandi & ducendi, sed etiam urbes & arma. Conradus II Sapiens Spiræ habuit monetam, teloneum, decimas, cunctamque judiciariam potestatem. Pariter filius ejus Otto dux Wormatiæ, quæ civitas, teste Ditmaro episcopo, sub ducum lege suorum fuerat, regia parte telonei & banni fruebatur, atque palatium cum pertinentiis amplissimis habebat. Conradi III ducis consensu opus erat, cum Otto III imperator Willigiso archiepiscopo Moguntino forestum regium in provincia Rhenana largiretur. Tenebant principes isti comitatus pagi Wormatiensis & Navensis, Spirgoviæ, Craichgoviæ, Elsenzgoviæ, hosque pagos per comites vicarios curabant regendos, tenebant castella in eadem provincia, ut Limburgum, quod Conradus II rex in cœnobium convertit, & Beckelnhemium, a quo Cuno sive Conradus III dux etiam nomen reperit. Instituebant in illa non solum ecclesias & monasteria, sed etiam, quod infra ostendemus, advocatias ecclesiarum majorum gerebant. Quin,

quod

quod familiam ducit, & Eberhardum ducem, & Ottonis ducis absentis filium natu majorem Hezilonem, summis officiis aulicis, quæ nonnisi ducibus populorum primariis videbantur propria, functos esse cernimus. Neque igitur nos turbat comitis appellatio, qua & Conradum I & ejus fratrem Eberhardum nonnunquam insignitos legimus, cum titulus comitis olim tanto fuerit in honore, ut duces, quippe qui personam comitis simul sustinere visi sunt, illum haud dedignarentur (z), quemadmodum comites, ubi exercitum ducere jussi sunt, ducis elogio ornatos passim reperimus. Eberhardus I quidem subinde comes vocatur, sed is erat *comes potentissimus de Francia*, *comes Palatii.* Quæ appellationes tantum absunt, ut minorem illius dignitatem innuant, quam ducalem, ut potius principem inter omnes præcellentem designent. Sed ducatus Wormatiensis, inquiunt, illis temporibus inauditus fuit. Atque facile concedimus, appellationem istam haud satis aptam esse ad ducatum Francorum sive Austrasiorum designandum, quippe cum illa sit impropria & a sede ducum petita. Rectius vero Wippo, homo aulicus & scriptor coævus, de Cunone minore, eoque nondum Carinthiæ duce, dicit: *Cuno Wormatiensis, dux Francorum.* Cum igitur Conradus Sapiens, ejusqne posteri, Otto, Conradus III & IV, pater & filius, a sede sua principe, quam Wormatiæ habuerant, cognomen traxere, consuetudo scriptorum, qua duces Wormatienses sive Vangionum vocati sunt, minime valere debet, ut principes illos veros fuisse duces Francorum inficiemur, quod Wormatiensis ducatus fuerit nullus, sed Wormatiensis pagus formulam comitatus habuerit. Quis enim Hermannum de Stu-

 beckes-

(z) Vide chartas, in quibus Giselbertus Lotharingorum dux nominatur comes in *Honthemii hist. Trev. dipl.* T. I, p. 268 sq. Sic etiam Hermanno Contracto Henricus I Saxonum dux vocatur *Henricus comes, natione Saxo,* & Giselbertus dux *Giselbrachtus comes Luthariorum*, ut alia exempla taceam.

beckeshorn, Rudolfum de Reinfelden, Ottonem de Suinfurt, Fridericum de Staufen, denique Fridericum de Rothenburg veros fuiſſe duces Saxonum, Suevorum & Franconiæ negaverit, quod ſæpius a ſcriptoribus a caſtris ſuis ſive ſede avita cognominati fuerint. Fridericum enim de Rotenburg verum fuiſſe ducem Franconiæ nemo ambiget, qui ſupra dictorum ſive potius ſcriptorum & monumentorum veterum rationem habuerit.

§. XLIII.

Ducatus Francorum auctoritatibus confirmatur & porro vindicatur.

Francia igitur Rhenana ſive Auſtraſiorum ſuos habuit duces, neque nomen ducatus Francorum, quamvis poſt cæſarum Salicorum exſtinctionem & per diviſionem inter illorum heredes, Staufenſes principes, denique regia horum liberalitate hujus provinciæ ſtatus egregie imminutus fuerit, ita omnino interiit, ut cum reliquiarum veteris ducatus heredes, comites Palatini ad Rhenum dici cœpiſſent, etiam ſeculo XIV haud incognitum fuerit. Henricus enim Rebdorfius, ſcriptor haud incelebris, diviſionem terrarum inter Ludovicum Bavarum cæſarem ejusque ex fratre nepotes, Ticini an. MCCCXXIX factam, his verbis refert (*a*): „ Anno regni ſui decimo quinto de Italia reverſus „ eſt in Alemanniam, & tunc ducatum Francorum (ac) Ba- „ variæ, quem antea poſt expulſionem & obitum fratris ſui „ Rudolfi pro majori parte ſolus occupaverat, cum filiis ejus- „ dem fratris, Rudolpho & Ruperto, diviſit, quibus ceſſerunt „ oppida circa Rhenum„ cet. Nemo non intelligit, ducatum Francorum eundem eſſe cum provincia Palatina Rhenana (*b*). Quodſi

(*a*) *Annal.* ad an. 1329, in *Freheri ſcriptt. R. G.* Tom. I, ed. Struv. p. 614.

(*b*) *Aventinus annal.* L. VII, cap. XVII, §. 20 haud ſatis curate ducatum Francorum diſtinguit a Palatinatu Rhenano, illumque cum Palatinatu ſuperiori, Boiariæ parte, eundem facit. Sed ſcriptor antiquus Palatinatum Rhenanum, quem ſigillatim haud nominat, vocabulo ducatus Francorum complexus eſt; atque lectio Henrici Rebdorfii reſtituitur interjicienda copula *&*.

Quodsi veritas rei evidentibus argumentis confirmata, neque satis probabiliter impugnata, opus haberet auctoritatibus, Kœlero, Olenschlagero, magni nominis viris, ceterisque, qui in eandem sententiam iverunt, Gundlingios (*c*), Senckenbergium (*d*), Schœpflinum (*e*), ne dicam Pfeffingerum (*f*) aliosque opponere possemus. Putat denique Olenschlagerus (*g*), provinciam Rhenanam, quæ a Lotharingia, quoad Moguntina diœcesis pateat, ad Tubarim usque, Franconiæ limitem, extensa sit, atque terras hodie circulo Rhenano superiori attributas, magnamque circuli electoralis partem complexa sit, hoc magis olim a duce immunem censendam esse, quod antiquitus insigni libertate gavisa sit. Verum hoc argumentum minus firmum nobis videtur, cum libertas illa Rhenanorum Francorum, quæ omnino major erat libertate ceterorum populorum, tantum ad circumscribendam ducis potestatem valuisse dicenda foret. Etiam in ceteris provinciis proceres sive ordines majori minorive libertate fruebantur, quam infringere ducibus haud licebat. Atque cum Francia Rhenana regem suum habuerat summum ducem, tum rex in eadem sibi olim adjunxerat legatum sive comitem Palatii, eumque honoribus ducalibus illustrem. Decebat certe, Francorum proprincipem, tanquam a rege proximum, ceterorum populorum principes anteire. Duces Saxonum, Bavaro-

(*c*) Cf. *Gundlingii* differt. *de statu reip. Germ. sub Conrado I*, §. 6, maxime vero *Gundlingian.* P. XVII diff. 2, p. 187 sq. Atque jam ante *Tenzelius* in sermonibus menstruis an. 1696 existimaverat, Conradum Palatinum ejusque generum Henricum Brunsvicensem quodammodo in jura veterum ducum Franciæ Rhenanæ successisse.

(*d*) In commentatione de vivido semper usu juris Germ. cap. III, p. 174 sqq.

(*e*) *Alsat. illustr.* T. II, p. 601 sqq. cap. X tot.

(*f*) *Vitriar. illustr.* T. II, lib. I, tit. XVI, sect. V, p. 369 sqq.

(*g*) In nova-illustr. A. B. §. XIX, p. 58 sq.

rum & Alemannorum ſeu Suevorum facti tandem ſunt duces provinciarum, quás ſi quis ideo territorium clauſum dicere velit, is magnopere jus publicum antiquum recentioribus figmentis contaminare cupit. Franci vero pro libertate ſua præter regem habebant ducem ſuum, quem merito *regalem* (*h*) dicimus.

§. XLIV.

Diſcrimen ducis Francorum a reliquis populorum ducibus.

Quemadmodum ſcilicet ducum provincialium poteſtas adverſaria quadam comitis Palatini, tanquam legati perpetui, inſpectione coerceri debebat, ita majeſtas regis, tanquam ſummi ducis, coarctabat poteſtatem ducis Francorum, qui illius erat quaſi ſculdaſius ſummus ſive palatii comes; ſigniferi ſimul Francorum ſive ducis perſonam ſuſtinens, honoribusque ſic eminens ducalibus, ut ceteros duces, niſi regio ſanguine creti eſſent, anteiret (*i*). Poteſtas igitur militaris, quam dux Francorum habebat, imperio regis tanquam ducis ſummi ſubdita, haud æque libera

(*h*) Reſpicimus ad inſignem locum *Gregorii Turon.* L. II, cap. 9, in quo de antiquiſſimis Francorum principibus diſputat, p. 52 edit. Pariſ. 1610. Ita vero ille, cum ex Sulpicio Alexandro Marcomerem & Sunnonem Francorum regales adduxiſſet, ſubjungit: *Cum autem eos regales vocet, neſcimus utrum reges fuerint, an vices tenuerint regum.* Hoc magis autem cenſeo, *regalem* hoc poſteriori ſenſu accipiendum eſſe, quod ipſe Gregorius tandem reges Francorum nullos a ſcriptoribus antiquiſſimis nominari obſervavit. Luculentius vero Burcardus, Fulconis Boni, comitis Andegavenſis filius alter, quem Hugo Capetus, jam ex duce Francorum rex, comitem Pariſinum & ſeneſchallum Franciæ creaverat, factus eſſe dicitur *comes regalis.* Cf. Odonis Foſſatenſis vitam Burchardi venerabilis comitis Pariſienſis in *Bouqueti ſcriptt. R. Gall* T. X, p. 350, atque ſic Francorum dux fuit regalis, ſive regiæ dignitatis vicarius.

(*i*) Quis hoc negare auſit de Conrado I, Eberhardo, Conrado II & Ottone Wormatienſi? Conradus autem IV, teſte Wippone, primus inter principes ſeculares elegit patruelem ſuum Conradum Salicum. De Conrado Staufenſi canit Guntherus poeta: *Fit prior in ducibus ſemper, primusque ſedebat.* Sic etiam Conradus, magnus comes Palatinus Rheni, Guilielmo Neubrigienſi dicitur *vir ſummae poſt imperatorem amplitudinis.*

libera erat, ac poteſtas ceterorum ducum, ſed tamen hoc eminentior, quod præerat Francis (*k*). Rex tanquam dux ſummus jure belli in provincia ſolus pollebat, dux autem ille regis erat locumtenens, atque, ut uno verbo omnia complectar, magnus ſeneſchallus regis, regnique univerſi. Hinc jubente rege aderat ceteris ducibus vel marchionibus, ubi periculum erat belli, auxiliator cum Francis ſuis; hinc mittebatur in provincias, maxime illas, quarum pacatio & conſervatio valebat ad regis regnique ſalutem tuendam, ut & diſcordias componeret tanquam comes palatii, & fines adverſus hoſtes tueretur. Hinc Eberhardum ab Henrico I rege ad Lotharingiam pacandam miſſum, Conradum Sapientem, tanquam Francorum ducem, Lotharienſi regno præfectum, Ottonem, ejusque filium ac nepotem, Conrados, legatione perpetua Carinthiæ, finiumque regni tuendorum auctos videmus. Cum principes iſti, quod Francorum ſigniferi regiique legati erant, præ ceteris ad haſce legationes obeundas legi conſueverant, tum reges forte ſua multum intereſſe arbitrati ſunt, duces, quorum magna eſſe debebat auctoritas apud Francos, longius ex ea provincia abeſſe, in qua ut plurimum degere atque regnare ipſi geſtiebant. Itaque ad exemplum regis, qui antiquitus omnes regni provincias obire debebat, Francorum duces, comitesque palatii huc illuc ablegabantur, ut regis vices obirent, donec tandem extincta cæſarum Salicorum familia, & regnantibus Staufenſibus, ad quos Francorum ducatus hereditate venerat, provincia Rhenana ſenſim in aliam mutari formam cœpit.

§. XLV.

Speciatim de juribus & honoribus ducum Francorum

Duces Francorum non Francis ſolum præfuere, ſed hoc ipſo exercituum Germanicorum duces primi, ſive ut vetuſtiori voca-

(*k*) Quam enim dignitatis prærogativam teſte Lamberto Schafnab. ad an. 1073 concedebant Saxones Rheni principibus, ea vel maxime conſpicienda fuit in duce olim Francorum, æque & in primate Francorum ſacro.

vocabulo utar, primi ſigniferi & regis & regni extiterunt. Tali perſona indutus cernitur Eberhardus dux, quem frater rex alloquens dicit: ***Sunt nobis copiae exercitus congregandi;*** quem poſt fratris obitum „ congregatis principibus & natu majoribus exercitus „ Francorum, in loco, qui dicitur Fridisleri, deſignaſſe Henri„ cum Saxonem regem coram omni populo Francorum atque „ Saxonum „ narrat Witichindus. Cum idem adverſus Ottonem I regem rebellis extitiſſet, chronographo Quedlinburgenſi teſte, magnas copias congregare potuit: „ Eberhardus dux Fran„ corum atque Giſelbrachtus, comes Luthariorum, congregato „ nefando exercitu transeuntes Rhenum maximam partem regni „ depopulati ſunt „ Qui deinde in ejus locum ſuffectus cernitur, Conradus II Wormatienſis, clariſſime ab auctoribus, quos ſupra nominavimus, dicitur ***dux, procurator et rector, ſignifer Francorum.*** Ducatu quidem Lotharingiæ orbatus, ſed patria, hoc eſt, Francorum ducatu, contentus cum nova erga regem pietate defungi vellet, in prælio iſto acerrimo adverſus Hungaros aciem Francorum eduxit, quemadmodum Burcardus dux Suevos ſuos, & Henrici ducis Bavariæ tum ægrotantis locum tenentes, produces tres, Bavarorum legiones. Quæ teſtimonia, ut alia mittam, cum clariſſima ſint, adverſarii ducatum Francorum militarem principibus noſtris abrogare non audent. Verum dux verus omnis, ſi originem ſpectemus, populo ſuo in exercitum congregato cum imperio præfuit, atque hoc tanquam proprium ducis ita extitit, ut in conferendis ducatibus inſigne militare adhiberetur, vexillum ſive haſta ſignifera. Quum vero reges ipſi ab anno MXXXIX ducatu Franciæ Rhenanæ potiti eſſent, pro arbitrio ſuo ſigniferos Francorum conſtituere, qui vices ducis agerent (*l*). Delata tandem ad Staufenſes principes hereditate cæſa-

(l) Sic anno 1050 Werinherum, primicerium & ſigniferum regis, comitem, ni fallor, Haſſorum, cecidiſſe referunt ſcriptores. In prælio an. 1080 adverſus Rudolfum Suevum commiſſo Godefridus dux Lotharingorum vexilliferi partes ſuſtinuit, cf. *Pfeffingeri Vitr. illuſtr.* T. III, p. 957.

cæsarum Salicorum, illi denuo honore ducis Francorum sive signiferi primi aucti videntur; quod quidem de Conrado, altero Friderici Staufensis ducis Suevorum filio, & duce Francorum, diserte testatur Guntherus poeta Ligurinus versibus illis celebratissimis:

Regnat Lotharius, Conradus amicus habetur
Summus & imperii signifer ipse fuit.

Conradi hujus, dein regis, ex fratre nepos, idemque frater Friderici Ahenobarbi cæsaris, Conradus dux, qui primus reliquias ducatus Francorum Rhenani cum comitatu palatii ad Rhenum ab anno MCLVI conjunxit, biennio post in bello, adversus Mediolanenses in Italia gesto, princeps in prælium ibat (*m*), vel nomine ducis Franconiæ & Sueviæ tum minoris, Friderici de Rothenburg, patruelis sui, vel quod magis credam, suo quodam prærogativo honore subnixus. Vnde haud dubito, officium vexilliferi, quod dynastæ & advocati de Plauen, etiam sub finem seculi XIII a comitibus Rheni Palatinis, tanquam heredibus ducatus Francorum Rhenani, beneficii loco tenuere, huc refer-

(*m*) Quod Vincentius, canonicus Pragensis in *Dobneri monum. histor. Bohem.* P. I ad an. 1158, p. 57 testimonio suo, quamvis contaminato, firmat. Is enim l. c. comitem Palatinum, quem ante p. 55 *Conradum* recte nominaverat, Ludovicum vocat, deque eo dicit: „ qui in prima „ fronte militiæ ex antiquorum successorum suorum dignitate - Sue„ vorum armata militia — in campestria progressus sit. „ Postquam nimirum Staufenses principes, ex Suevia oriundi, ducatum Francorum cum ducatu Sueviæ adepti erant, factum est, ut nomine Suevorum ipsi etiam Franci indigitarentur, atque etiam duces Franconiæ in appellatione ducis Suevorum gauderent. quod pluribus observavi in comm. de nuptiis feminarum principum Salicarum &c §. 6, p. 24. Quodsi igitur Vincentius Pragensis l. c. Conradum *Palatinum comitem de Suevia* vocat, adjectio hæc ad illius natales referri debet, eundemque designat, quem p. 55 *Palatinum comitem de Rheno* dixerat. Omnino autem præter verum ill. *Olenschlagerus* l. c. p. 150 not. 9 asserit, Conradum comitem Rheni Palatinum etiam Palatinatum Sueviæ tenuisse. Hunc certe isto tempore habuerunt Tubingenses comites.

ferre (*n*). Debebant illi vi hujus officii in curiis & expeditionibus regum ſequi comitem Palatinum Rheni, tanquam ſeniorem ſuum, qui primus ſignifer imperii olim habitus eſt.

§. XLVI.

Dapiferatus.

Quemadmodum igitur dux Francorum in bello ducis primi ſive magni ſeneſchalli officio fungebatur, ita idem in aula munus ſummi dapiferi adminiſtrabat (*o*): *Eberhardus menſae praeerat.* Cum hæc ſuprema palatii officia nonniſi ducum primariorum propria antiquitus fuere, adeo ut inde vocarentur *Palatini archiduces*, tum dux Francorum præ ceteris eminebat honore dapiferi, qui illuſtrior videbatur, & officio ſupremi ſeneſchalli conjunctus erat (*p*). In curia quidem an. DCCCCLXXXV celebrata Henricus, dux Bavariæ, ex communi recentiorum opinione, tanquam princeps regalis ſive regii generis, munere dapiferi, pincernæ autem Hezilo ſeu Henricus Spirenſis, nomine patris ſui Ottonis Wormatienſis, Francorum ducis, functus eſſe exiſtimatur, necdum ipſe ſupra huic ſententiæ refragari auſus ſum. Quum vero non ſolum Henricus iſte Spirenſis, Ottonis filius, a Wippone *Hezil* appelletur, ſed & Henricus Rixoſus, Bojorum dux,

(*n*) In ill. *Piſtorii amoenit. hiſt. jurid.* p. 2239 literæ beneficiariæ a Rudolfo Palatino kal. Jan. an. 1298 conceſſæ leguntur, ex ipſo autographo excuſæ, ex quibus indubitate colligimus, Plauenſes dynaſtas officium hoc vexilliferi a Palatinis, tanquam ſummis imperii ſigniferis, tenuiſſe. Cf. ampl. *Fladii* binas commentationes de vexilliferatu dominorum de Plauen, beneficio Palatino, vernaculo ſermone ſcriptas 1750 & 1753.

(*o*) Pariter Galliæ ſeneſchallus in præliis ſigniferi, & in coronatione regum dapiferi honorem adminiſtrabat, quod teſtatur *Rudolfus de Diceto* ad an. 970; cf. *Buri* illuſtr. juris feud. in catalogo officialium illuſtrato voce *ſeneſchallus* p. 335, & *Bouquetii ſcriptt. R. G.* T. X, p. 248 ſq. Ne dicam de privilegio Alphonſi regis an. 1258 Friderico I, duci Lotharingiæ, dato, quo is ſummus ſeneſchallus in aula citra Rhenum & dapifer conſtituitur.

(*p*) Vid. *Senkenbergii* comm. de uſu vivido juris Germ. p. 164 ſq.

dux, diserte ab Ottone Frisingensi nomine Hezilonis designetur (q), pari forsan jure sumere licet, Henricum Spirensem dapiferi & Hezilonem Bavarum pincernæ officium administrasse; atque hæc sententiæ commutatio probabilior videri potest considerantibus, officium pincernæ ducum Bavariæ certe deinceps proprium fuisse (r), quippe a quibus illud ad Bohemiæ reges translatum videtur, cum Henricus Leo utrumque & Saxoniæ, cui officium mareschalli inhærebat, & Bavariæ ducatum habuisset, ac seculo sequenti Bavariæ duces Palatinatu Rhenano, & qui ei conjunctus erat, dapiferatu potiti essent. Officium scilicet dapiferi cum ducatu Francorum ad Staufenses principes, Sueviæ duces, qui sic facile munus camerarii marchioni Brandenburgensi, honoribus ducalibus aucto, concessere, pervenisse, documento esse potest dapiferatus Bambergensis illorum proprius, quamvis factum sit, ut uterque dapiferatus inde a seculo XII medio ad Conradini usque necem distraheretur; ille quidem imperii penes comites Palatinos Rheni esset, hic vero Bambergensis a Suevorum ducibus ob beneficii amplitudinem retineretur, quousque utraque dignitas denuo unita est. Otto certe illustris, primus ex Boica gente comes palatii, honore archidapiferi functus est in coronatione Wilhelmi regis (s). Verum abstineo a diligentiori hujus materiæ tractatione, qua facile evinci queat, officia regni haud æque, ac vulgo putantur, mobilia fuisse.

(q) In *chron.* L. VI, cap. 27, p. 131.

(r) Quod codices antiquiores speculi Suevici confirmant. Vide variantes lect. in edit. Schilteri p. 71, n. 6.

(s) Testante magno chronico Belgico ex Emundo Dintero, in *Pistorii script. R. G.* Tom III ed. Struv. p 243. Neque igitur notitia hæc coronationis, quam quoque prodidit Trithemius, cum Ludewigio in comm. ad A. B. Tom. II, p. 661 pro fabula Hirsaugiensi haberi debet.

§. XLVII.

Dux Francorum aut eligendus maxime in regem, aut præcipua auctoritate in rege creando præditus fuit.

Regno vacante vel regibus absque herede dignitatis suæ defunctis, Francorum duces inter candidatos regni habitos fuisse principes, superius diximus (*t*). Erant nimirum regales, hoc est, ut cum Conrado I rege sive ad ejus sententiam dicente Luitprando, episcopo Cremonensi (*u*) loquar, *heredes regiaeque dignitatis vicarii.* Quodsi vero alii duces sive principes loco nostrorum eligerentur, summa tamen electionis maxime penes ducem, æque & primatem sacrum Francorum fuisse dignoscitur. Cum enim, teste Lamberto Schafnaburgensi, scriptore gravissimo, ipsi Saxonum proceres se principibus Rhenensibus non multitudine solum, sed & dignitate inferiores profiteri, ad eosque adeo regis electionem referre haud gravati sint (*x*), cum regnum a Francis oriundum fuerit, atque rex in terra Salica eligi antiquitus consueverit, denique omnia, quæ ad electionem & inaugurationem regis pertinerent, Francicorum morum indolem referrent: decebat certe principem Francorum haud minus, quam primatem populi primarii omnisque Germaniæ sacrum, electionis negotio non solum interesse, sed etiam præesse. Eberhardus sane, dux Francorum, fratris regis ultima admonitione permotus, cum honorem suum cessisset Henrico Saxonum duci, „ congregatis principibus (verbis utor Witichindi) & natu majoribus exercitus Francorum in loco, qui dicitur Fridisleri, „ designavit eum regem, coram omni populo Francorum atque „ Saxonum. „ Otto Wormatiensis, Francorum dux, teste Ditmaro Merseburgensi, „ cum post mortem cæsaris (Ottonis III) „ ab Henrico tunc duce (Bavariæ) in regem eligeretur, tan- „ tum hoc onus humiliter excusans, eundem primo per inter- „ nuntios,

(*t*) §. XXIII.

(*u*) *Histor.* L. II, cap. VII, in *Reuberi script. R. G.* edit. Joannis p. 155.

(*x*) Vid. supra pag. 392 init.

„ nuntios, ac per se ipsum, quasi ad hæc aptiorem, sibi præ-
„ posuit. „ Luculentius documentum nobis præbet historia electionis Conradi Salici, a Wippone diligentius scripta. Cum enim uterque regni æmulus, Cuno minor dux Francorum & Cuno major, ejus patruelis, ambo in Francia Teutonica nobilissimi, tandem inter se convenissent, aggrediebantur demum ad electionem. „ Ad extremum vero (inquit scriptor ille) conti-
„ git, ut ipsi inter se convenirent quodam pacto, in tam dubia
„ re satis convenienti, ut si quem illorum major pars populi
„ laudaret, alter eidem sine mora cederet. — Hinc — conse-
„ dere principes, populus frequentissimus astabat — archiepisco-
„ pus Moguntinensis, cujus sententia ante alios accipienda fuit,
„ rogatus a populo, quid sibi videretur — laudavit & elegit
„ majoris ætatis Chunonem. — Hanc sententiam ceteri archi-
„ episcopi & reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter seque-
„ bantur. Junior Chuno paululum cum Lotharingis placitans,
„ statim reversus, maximo favore illum ad dominum & regem
„ elegit ; quem rex manu apprehendens, fecit illum consedere
„ sibi. Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis
„ sæpissime repetebant : fit clamor populi, omnes unanimiter
„ in regis electione principibus consentiebant. „ Itaque princeps inter duces ceterosque proceres civiles suffragium ferebat dux Francorum. Post electionem Lotharii Saxonis, subdole peractam, Fridericus Cocles, dux Suevorum & senior coheredum Franciæ Rhenanæ, qui ab avunculo regalia acceperat, una cum aliis proceribus fratrem suum, Conradum, regem creavit, qui cum ipse dux Francorum esset, tum quidem cedere coactus, tandem vero post Lotharii obitum fere ex una voluntate Friderici fratris, absentibus etiam Saxonum principibus, denuo electus est.

Postquam autem honores ducis Francorum ad comitem Palatinum Rheni, Conradum Franciæ Rhenanæ coheredem, ejusque successores transierunt, prærogativa Palatinorum Rheni prin-

cipum illuſtrioribus etiam documentis demonſtratur (*y*). Primum quidem exhibet hiſtoria electionis ab obitu Henrici VI inſtitutæ, quam pari diligentia ac fide expoſuit Rogerius de Hovedeno, ſcriptor Anglus (*z*). Palatinus quidem Rheni, Henricus Brunsvicenſis, præ ceteris ſpem potiendi regni habere potuit. Verum cum idem ab expeditione in Syriam nondum redux eſſet, ejusque avunculo, Anglorum regi, periculoſum videretur, Palatini adventum exſpectare, quod Philippus Staufenſis omni ratione regnum ambiret, res eo deducta eſt, ut Palatini frater, Otto Brunſuicenſis, eligeretur. Quid tum in eligendo rege moris fuerit, his ſcriptor vetuſtus enarrat verbis: „Eſt autem ſciendum, quod in electione Romanorum imperatoris taliter procedendum eſt. Defuncto itaque imperatore, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, duces, comites & omnes ceteri magnates Alemanniæ, in unum convenientes, debent duodecim viros eligere communiter, & eos præſentare archiepiſcopo Colonienſi & archiepiſcopo Moguntino, & duci de Saxonia & comiti Palatino de Rheno, & quemcunque illi quatuor elegerint, erit rex Alemannorum.„ Itaque Colonienſis archiepiſcopus ſuo & Moguntini tum abſentis nomine cum aliis principibus utriusque ordinis elegit Ottonem & coronavit. „Henricus vero, dux Saxoniæ, comes etiam Palatinus de Rheno, frater prædicti Ottonis, poſt reditum ſuum de terra Syriæ ratum & gratum habens, „quod

(*y*) Quæ celeb *Ludewigio* in ſuo ad A. B. commentario vol. I p. 170 ſqq. maximi momenti viſa ſunt. Neque ill. *Olenſchlagerus* in nova illuſtratione A. B. quamvis alias ad augenda jura primatis Francorum & omnis Germaniæ ſacri jura ingenioſus ſit, iſtam Palatini olim prærogativam negare audet p. 12 & 116. Cum vero auctoritatem Palatini comitis in eligendo rege a ſeſquiſeculo demum ante A. B. obtinuiſſe credit, quod is ope banni contumaciam coercere potuerit, ſatis pro arbitrio agit; cum hæc ipſa ratio illam a ſeculi X initiis fere neceſſariam fuiſſe doceat, atque hiſtoria haud levia ejus documenta ſuppeditet.

(*z*) *Annal. Angl.* in vita Richardi ad an. 1198, p. 775 &c. cf. *Pfeffingerii Vitr. illuſtr.* T. I, p. 146 (*b*).

„ quod de fratre ſuo factum erat, electionem ſuam confirmavit. „ Poſtquam deinde, cum Henrici Palatini filia, eaque fratris, Henrici junioris, herede, Agnete Palatinatus Rheni ad Ottonem illuſtrem, Bavariæ ducem, tranſiiſſet, hic duplicem perſonam in eligendis regibus ſuſtinuit, ipſo his verbis teſtante (*a*): „ Vellem „ utrique voci renuntiare, videlicet palatii & ducatus, & dare „ ſuper hoc eccleſiæ pro me & heredibus publicum teſtimonium. „ Quanta autem fuerit etiam id temporis prærogativa Palatini, ipſe pontifex ſummus, Urbanus IV, in literis ad Richardum regem prid. kal. Sept. an. MCCLXIII datis (*b*) egregio docet teſtimonio: „ Et archiepiſcopum Maguntinum & comitem Palatinum Rheni vel ipſorum alterum, altero nequeunte, vel forſitan non volente, pertinet ad electionem ipſam celebrandam „ diem præfigere, ac cæteros electores principes convocare. „ Conſpirat præclare jus provinciale Alemannicum (*c*) æque & Saxonicum, quippe quod utrumque docet, Moguntinum præſulem ſub pœna excommunicationis, & comitem Palatinum Rheni ſub pœna banni diem electionis indicere debuiſſe. Itaque perilluſtris quondam Ludewigius (*d*) recte jus convocandi electores olim penes Palatinum Rheni, quod is inſtar ducis Franciæ fuerit, regiæque dignitatis vicarius, fuiſſe pronuntiavit. Atque unde factum foret, ut ſæpius electores uni Palatino facultatem deligendi regis deferrent, niſi illius auctoritas antiquitus extitiſſet ſingularis.

Habuit

(*a*) In reſponſo, quod legato pontificio, Alberto Bohemo dedit; vid. Jo. Aventini excerpta ex Alberti Bohemi actis in ill. *Oefelii ſcriptt. Boic.* T. I, p. 788. *Gewoldus* quidem negaverat, Palatinos Rheni principes ante conjunctionem Palatinatus cum Bavaria, dignitatem electoriam habuiſſe. Hodie talia dixiſſe pœniteat.

(*b*) In *Du Mont corp. diplom.* T. I, n. CCCCXVI, p. 217.

(*c*) Vide illud cap. XXXI in *corpore juris Germ. Senckenbergiano* tom. II, p. 48.

(*d*) L. c. p. 170 ſqq.

Habuit certe idem jus de electione controversa decidendi, cui conjunctum fuisse videtur jus reges electos proclamandi.

§. XLVIII.

Dux Francorum interrex seu vicarius imperii

Dux Francorum erat regiæ dignitatis vicarius vacante imperio, sive interrex. Haud equidem hujus loci est amplior eorum confutatio, qui jus vicariatus imperii in palatio nescio quo fundatum esse, sibi aliisque persuadere gestiunt. Sic certe lubricum & instabile videatur fundamentum vicariatus Saxonici, cum intelligi fere nequeat, qua ratione Palatinus Saxoniæ, qui duce Saxonum, imo & marchionibus videbatur inferior, ad altius imperii fastigium emergere debuerit. Neque ego video, quem illi sic interregem esse velint, & a morte Ludovici infantis, & a Conradi I obitu, & in Saxonia defuncto Henrico I rege, cum is primus Palatinatuum provincialium in Suevia & Bavaria conditor fuerit, atque in Saxonia demum Otto I cæsar ducatu dimisso, inque Hermannum Billungum translato comitem instituisset Palatinum (*e*). Quam denique prærogativam comiti Palatino Saxoniæ præ ceteris Palatinis, Sueviæ & Bavariæ, jure tribuere queant, difficile est explicatu, cum præsertim Palatinatus Bavariæ ab anno MCCXLIX ducatui denuo adjunctus fuerit (*f*). Unde alii mihi videntur probabilius originem vicariatus á ducatu repetere, quamvis & sic objici queat, duces Bavariæ vicaritatus imperii exsortes fuisse. Quare tandem alii ad officia summi dapiferi seu seneschalli & mareschalli confugiunt, ex iisque intelligi putant, quare Palatinus Rheni sive dux Francorum & dux Saxonum interreges evaserint; neque ego vereor, utramque conjungere sententiam. Ducatus nimirum parens est officii summi. *Quatuor duces ministrabant.* Itaque dux Francorum seneschallus extitit,

(*e*) Cf. nostram de origine Palatinatuum provincialium disputationem in commentt. acad. Boicæ vol. IV, p. 115 - 137.

(*f*) Cf. illustris *Pfeffelii* specim. sigill. Bavar. illustr. ibid. vol. II, p. 81 sq.

extitit, qui in coronatione regum dapiferi partes ageret, in bello autem Francis cum imperio præesset signifer; neque archimareschallus non habuit ab incunabilis regni destinationem bellicam, quippe qui *equestri ordini et eligendis locandisque castris praeerat;* adeo ut alter imperii vexillifer, habita maxime Saxonum ratione, salutandus esset. En igitur duos imperii signiferos supremos, primum Francorum, alterum Saxonum. Quis vero nescit, regni Germanici indolem primitus fuisse militarem, Francis Saxones æquo fœdere junctos, ita ut illi haberentur primarii, ceteros denique populos Francis, Thuringos etiam ex parte Saxonibus paruisse? Quemadmodum igitur reges omnium, maxime Francorum & Saxonum, fuere duces summi, ita decebat præ ceteris Francorum & Saxonum, populorum principum, signiferos vacante regno imperium regni vicarium administrare. Neque nos commovere debet, quod in coronatione Ottonis I Arnulfus Bavariæ dux officio mareschalli functus est. Ipse enim Saxonum dux Otto regiam dignitatem adeptus erat, & qui ejus vices in Saxonia agebat, Sifridus, tum belli causa absens agebat. Itaque narrationi de quatuor ministeriis Witichindus Corbejensis statim subjungit: „ Sifridus vero, Saxonum optimus „ & a rege secundus, gener quondam regis, tunc vero affi„ nitate conjunctus, eo tempore procurabat Saxoniam, ne qua „ hostium interim irruptio accidisset, nutriensque juniorem Hen„ ricum secum tenuit. „ Jam igitur patet, Arnulfum vice ducis Saxoniæ officium mareschalli administrasse, suumque adeo pincernæ obeundum reliquisse Suevorum duci, qui pariter camerarii munus tum concedebat Lotharingorum duci. Verum postquam Otto M. novum Saxoniæ ducem præfecisset Hermannum Billingum, hujus filius *Bernhardus equis praefuit,* adeoque munus proprium ducis Saxoniæ obiit. Sic igitur dux Saxonum interrex erat in omnibus provinciis, in quibus vigebat jus Saxonicum, hoc est, in Saxonia & Angaria, tum orientali tum occidentali, ac Thuringia septentrionali. Potestas autem vica-

ria ducis Francorum patebat per Franciam Rhenanam non solum, sed & per ceteras regiones, in quibus Francorum jus obtinebat, denique per provincias Francis subjectas, adeoque & Sueviam & Bavariam *(g)*. Quodsi quis hasce juris vicarii origines ex conjuncta stirpe ducatus & officii summi, quod penes Francorum & Saxonum duces extitit, repetundas in dubium vocare velit, is tamen opinioni illorum accedat oportet, qui rationem vicariatus a ducatu arcessendam ducunt. Neque sic minus intelligitur, qua ratione jura vicarialia ducum Franciæ Rhenanæ & Sueviæ concreverint in Staufensibus principibus, atque dein ad comites Rheni Palatinos, tanquam illorum heredes, pervenerint. Friderico certe Cocliti Henricus V cæsar moriens rempublicam tuendam, hereditatem reginamque cum regalibus Trifelsæ custodiendis reliquit sive commisit (*h*). Anno autem MCLX Fridericus I imperator, in obsidione Mediolani occupatus, teste Alberico, „ designavit, si forte decederet, duos „ imperatores, filium Conradi prædecessoris sui, & post eum, „ Henricum ducem Saxoniæ. „ En igitur duos imperatores vicarios, Fridericum de Rothenburg, Francorum ac Suevorum ducem,

(*g*) Sunt quidem, qui Bavariam a vicariatu Palatino sive Francico olim exemtam fuisse, haud omnino improbabiliter contendant, cf. *Ludewigii* comm. ad A. B. Tom. I, p. 508 - 54. Contrariam vero sententiam munire licet ipsius Rudolfi I regis tabulis, quibus Ludovico Severo, Palatino Rheni, administrationem ducatuum Austriæ & Stiriæ commendat, „ quod vacante imperio principatus, terras, possessiones & alia jura „ imperii custodire debeat, quousque Romano imperio de principe sit „ provisum. „ Jam cum Austria olim pars fuerit Bavariæ, dicta ratio etiam ad jus vicarium Palatini comitis afferendum facere videtur. Ceterum custodiam jurium regiorum ad seneschallum maxime spectasse, colligere licet ex eo, quod pariter ad Delfinum, magnum regni Arelatensis seneschallum, pertinere dicitur *jurium imperialium observatio et imperii obviare jacturis et periculis.* Vid. *hist. Delphin.* Tom. II, p. 365 chartam an. 1138. Quando autem hæc custodia magis necessaria fuit, quam vacante imperio?

(*h*) Teste *annalista Saxone* ad an. 1125.

ducem, & Henricum, ducem Saxonum. Friderico illo dein immatura morte defuncto prærogativum jus vicariale cum ceteris honoribus ducalibus advenit Conrado Palatino Rheni, cæsaris fratri, & *post ipsum summae amplitudinis.* Facit autem tum interregni raritas, tum scriptorum negligentia, ne quis plura exempla vicarii imperii desiderare debeat, quæ demum a conjunctione Palatinatus Rhenani cum Bavaria frequentari cœperunt, atque cum in vulgus nota sint, hic præterire licet (*i*).

§. XLIX.

Honore quatuor officiorum aulicorum ipse dux splendebat

Quamvis ab antiquissimis temporibus proceres Germaniæ majores ac dynastæ potentiores splendorem aulæ regiæ etiam assumendis officiorum præfectis æmulati sint, præcipuum tamen hoc habuisse videntur duces, ut cum essent regum simulacra, meliori jure honoribus regiæ domus superbirent, atque officiales haberent altiori loco natos, eosque ministerialibus imperii comparandos (*k*). Concedunt hoc non solum fere omnes, qui aliquid vident in antiquitate Germanica, sed ipse etiam Ludovicus imperator in privilegio ducali Reinoldo, Geldriæ comiti, concesso (*l*) clare docet, ad ducatuum & principatuum splendorem, more imperii, quatuor officia aulica eaque hereditaria, dapiferi, mareschalli, pocillatoris & camerarii pertinuisse. Itaque duces Francorum eum quoque aulæ suæ splendorem obtinuisse recte arbitramur, quo ceteri duces atque principes tum sacri tum civilis ordinis celebrari consueverunt. Facit quidem illo-

(*i*) Exemplis vicariatum Palatinum denuo confirmavit ill. ab *Harpprecht* in diss. de vicariatu imperii, qui legitur in archivi judicii cameralis parte IV.

(*k*) Quantum certe arrogaverit sibi Hermannus I Saxoniæ dux, testimonio esse potest, quod de eo narrat *annalista Saxo* ad an. 969.

(*l*) Vide illud in *Leibnitii cod. jur. gentium*, P. I, p. 151 & *Miraei opp. diplom.* tom. I, p. 450.

illorum temporum, quibus duces Francorum non re ſolum, ſed nomine ſeſe extuliſſe videmus, obſcuritas, quo minus ille ipſorum ſplendor nobis hodie luceat. Verum ſuperſunt tamen veſtigia, ex quibus officiorum aulicorum ſignificatio eluceat. Conradus certe, primus ex gente ducum Franciæ & Sueviæ Staufenſi, qui Palatinum nomen terris Auſtraſiæ Rhenanæ attulit, ſuos habuit miniſteriales in hac ipſa provincia, in qua honores ducales & ipſe obtinuit & ſucceſſoribus, Palatinis Rheni comitibus, reliquit. Inter eos maxime cognitus eſt Eberhardus de Ertbach ſive Erpach (*m*), cujus antiqui officii veſtigium remanere videmus in pincernatu hereditario, quem etiamnum a Palatinis Rheni principibus habent comites ac dynaſtæ Erbacenſes. Ad eandem fere antiquitatem adſcendit notitia dapiferorum de Alceja (*n*), quos æque & illos ex ordine dynaſtarum fuiſſe novimus. Neque officium mareſchalli, quod Wildgravii una cum landgravia ſive comitatu ſuo a Palatinis Rheni olim tenent (*o*), ab iſta antiquitate remotum eſt. Qui tandem fuerint camerarii Palatinorum, tanquam ducum Franciæ, obſcurum eſt, niſi comites de Nuringen, qui comeciam Vederoviæ a Palatinis olim tenuerunt, iſto officio ornatos fuiſſe ſuſpicemur (*p*). Manifeſtum

(*m*) Quem ipſius Conradi tabulis an. 1184 ſubſcripſiſſe, videre licet in *Gudeni ſyll. diplom.* n. XIII, p. 34. Conf. quæ de eo narrat chron. Lauresham. in *cod. Lauresh. dipl.* vol. I, p. 254.

(*n*) Cf. literas Henrici junioris, Palatini Rheni, an. 1213 datas apud *Gudenus* l. c. p 84 inter teſtes: *Wernherus dapifer de Alceie.* An Marquardus de Anewilre & ejus filius Theodoricus de Huſen, dapiferi, eodem ante illum munere præditi fuerint, incertum relinquo. Habuerunt certe iſtud hereditario jure dapiferi de Alceja, quousque gens hæc floruit; qua exſtincta eo ornati fuere domini de Hirſchhorn.

(*o*) Vide quæ de eo notavimus in diſſ. de com. Veldentiæ in *actis acad. Pal.* vol. II, §. IV, p. 253.

(*p*) Quod alibi forſan probabimus, cum de eo diſputare nunc nimis longum foret.

ſtum vero eſt, officiales hoſce hereditarios, in Francia Rhenana conſpicuos, eosque ex ordine dynaſtarum & comitum, natales ſuos haud ad Palatinatum Ripuariorum Aquisgranenſem, quem Conradus cum hereditate ſua in Francia Auſtraſia conjunxit, ſed ad ducatum Francorum in eadem referre. Quemadmodum longior diſputatio de officiis hisce hereditariis Palatinatus Rhenani fines hujus commentationis excedit, ita maxime opto, ut a viris rerum Palatinarum peritioribus materia, quæ ad illius ſplendorem pertinet, in lumine collocetur.

§. L.

Ad formulam ducalis imperii attendentes vel maxime eam in tutela provinciæ armata, quam advocatiæ nomine appellari conſtat, adeoque etiam in advocatia & eccleſiarum & civitatum poſitam videmus. Quod quidem ducis officium tanti viſum eſt, ut cum plurimis advocatiis ſpecialibus, tum generali per omnem provinciam polleret, honorifice diceretur advocatus principalis (*q*), univerſalis tutor, cuſtos ac defenſor vaſallorum, civitatum, oppidorum, terrarum & omnium jurium imperialium (*r*). Neque igitur dubito, magnum ducatus Rhenani decus in advocatia eccleſiarum majorum Franciæ Auſtraſiæ omnis ponere. Verebatur certe Moguntina eccleſia ſeculo X *potentem*

Dux Francorum advocatus generalis eccleſiarum majorum

 ſuum

(*q*) Vide diploma regis Adolfi an. 1294 datum, quo Johannem Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi ducem conſtituit „ advocatum principalem „ & rectorem & judicem generalem in aquis & in terris, ad exercen„ dum omnia, quæ pacis obſervantiam reſpiciunt & ad advocati princi„ palis officium pertinere noſcuntur — a partibus circa fluvium Mo„ ſellæ usque ad partes maris, quod Zee vocatur, & ex parte Rheni „ altera verſus Weſtphaliam &c.„ in *Butkenſii trophaeis Brabant.* T. I, probatt. p. 117.

(*r*) Cf. *Edmundum Dinterum* L. V, cap. I ad an. 1255 apud *Butkenſium* l. c. p. 95.

suum advocatum, eumque placita agentem (*s*). Quis vero potentior duce in hac ipsa provincia? Fridericus quidem Cocles, dux Suevorum, Franciæ Rhenanæ heres, an MCXXXVIII, cum electioni novi præsulis Moguntini adesset princeps & auctor, insigne juris advocatitii documentum edidit (*t*). Atque idem cum fratre Conrado, Francorum duce, similem auctoritatem avunculo suo, regi Henrico V, in constituendo Wirceburgensi episcopo ad tuendam electionem opposuerat (*u*). Neque igitur miramur, quod Conradus Staufensis, Palatinus Rheni, antiquum jus in eligendo novo præsule Moguntino cum landgravio Thuringiæ, quem alterum Moguntinæ ecclesiæ advocatum dixeris, obtinere studuit (*x*). Quod autem duces Francorum advocatiam principalem ecclesiæ & Spirensis & Wormatiensis olim tenuerint, vel ex eo certissime colligimus, quod illa cum hereditate Salica ad Staufenses principes pervenit. Spirensem quidem sibi retinuit Fridericus Ahenobarbus, idemque dein imperator, quem cum filio Henrico VI rege an. MCLXXXVIII advocati partes sustinuisse profitetur ipse episcopus Spirensis (*y*). Wormatiensis autem tutela cum beneficio insigni, castro oppidoque Heidelberg, & comecia Stalbohel hereditate accepit Friderici cæsaris frater, Conradus Palatinus Rheni, suisque successoribus trans-

(*s*) *Gudeni cod. dipl. Mog.* tom. I, n. v, p. 8.

(*t*) Teste *Ottone Frisingensi de gestis Frid. I*, lib. I, cap. XXII, p. 418.

(*u*) Narrante *annalista Saxone* ad an. 1122 p. 647.

(*x*) Vid. additiones ad *Lamb. Schafnab.* an. 1160, p. 428, in *Pistorii* T. I ed. Struv.

(*y*) Cf. *Lehmanni chron. Spirensi* L. V, cap. LXV sub Ulrico II episcopo, ibique literas, ex quibus hæc verba excerpere liceat: „Consulentibus „ & approbantibus præfatis principibus, scilicet domino imperatore & „ ejus filio gloriosissimo rege eo tempore existentibus ecclesiæ Spirensis „ advocatis. „

transmisit (z). Neque tamen sic ecclesiæ istæ caruere advocatis specialibus, qui comitis sive judicis officio in quovis episcopio fungerentur. Urbium denique, Wormatiæ, Spiræ, ceterarum advocatias obtinuisse duces nostros, nemo facile dubitaverit, qui ea, quæ supra de Conrado Wormatiensi, ejusque filio Ottone, ducibus Francorum, disputavimus, recordari velit.

§. LI.

Protector fabrorum ahenariorum per omnem Franciam

Cum duces nostri Francorum fuissent signiferi, hoc ipso illi in tutela & clientela sua habuisse existimandi sunt opifices armorum, qui armaturæ olim consueta genera, loricas, scuta, galeasque fabricabantur, maximeque a nobilissimo capitis munimento, galea sive casside, Germanis *kassila*, sive *kessel* (a) dicebantur *kesseler*, quo nomine sequior ætas fabros quoscunque ahenarios complexa est. Atque etiamnum isti ministeriales Palatini comitis habentur ejusque sunt in tutela, ubicunque per omnem Franciæ Rhenanæ tractum, sive in ipsa Palatina provincia, sive in aliorum principum ceterorumque territoriis habitent (b). Originem vero indolemque horum fabrorum primitus

(z) Ita equidem Henricus Wormatiensis in literis clientelaribus an. 1225, Ludovico I Bojorum duci, eidemque Palatino Rheni concessis apud *Freherum origg. Pal.* P. I, cap. x, p. 81: „Quia vobis commisit dominus potestatem & dominæ A. uxori filii vestri, per quam Wormatiensem ecclesiam juvare potestis, & ei assistere in suis necessitatibus, ut ad auxilium & consilium tam nostrum quam ejusdem ecclesiæ tam vos quam successores vestri & dominæ A. — sitis perpetuo obligati & vobis & successoribus dictis in feodum concessimus &c.„

(a) Cf. *Wachteri gloss. Germ.* sub voce *Kessel.*

(b) Cf. *Pfeffingeri Vitr. illustr.* T. III, p. 913 - 916 & perill. quondam Icti Heidelbergensis, *J. F. Hertlingii diss. de regalibus Palatinis*, 1734 editam, §. IX. Privilegia cæsarea & ipsius Palatini Caroli Ludovici electoris integra edidit *Thulemarius de octoviratu* cap. XVIII, §. 46, p. 271 - 280.

tus militarem ſubindicat clare ſatis etiam hæc protectorii lex, ipſis inter alias conditiones lata, ut in ſecuritate burgorum ac terminorum, ubi habitent aut ſedem fortunarum ſuarum habeant, quando id neceſſitas poſtulet, defendenda adeſſe debeant; cujus officii ſui pretium olim ferunt facultatem privam exercendi rem ahenariam in terris clientelæ Palatinæ attributis. Sunt quidem, qui hanc fabrorum ahenariorum tutelam ad officium archidapiferi aulicum, Palatinis comitibus olim proprium, referre malint (*c*). Sed facit ipſa illorum deſtinatio bellica (*d*), dapiferalis officii cum imperio ſigniferi bellico antiquiſſima conjunctio, denique hujus clientelæ analogia cum illa buccinatorum bellicorum, quæ penes Saxonum duces eosdemque mareſchallos antiquitus eſt (*e*), ut originem tutelæ fabrorum ærariorum militarem a ducatu ipſo Francorum repetamus.

Videamus jam, qui fuerint olim & etiamnum ſint termini hujus clientelæ. Hæc autem in privilegio Ruperti cæſaris memorantur loca terminalia: „a Sura fluvio, Alſatiæ limite boreali,
„ verſus Lutram cæſaream, a Lutra verſus Kirnam ad Navam,
„ a Kirna peragrando ſilvam Sane verſus Confluentes Rheni ac
„ Moſellæ, a Confluentibus Rhenum transeundo ad Montaborem
„ usque, a Montabore ad Fridbergam, civitatem imperii, a Frid-
„ berga

(*c*) Satis certe confidenter ita pronuntiavit celeb. *Buderus* in *diſſ. de protectione opificum ſpeciali &c.* quæ eſt quarta in ejus *ſymmictis obſervatt.* lib. II, vide p. 37. Neque vero privilegia cæſarea quicquam continent, quod opinioni iſti faveat.

(*d*) Quæ ex protectorio ahenariorum Hohenloico confirmatur. Vi illius enim obligati erant domino beneficiario ad hæc præſtanda ſervitia, ut eum, ubi diffidatus eſſet, per quatuordecim dies in expeditione hoſtili propriis ſumtibus ſequerentur, ſin autem expeditio longius duratura eſſet, tum ſumtibus domini alendi militarent adverſus omnes, niſi quibus ante fide & ſacramento obſtricti fuiſſent; cf. ampl. *Hanſelmanni* demonſtrationem diplomaticam ſuperioritatis territor. Hohenloicæ &c. P. I, p. 139.

(*e*) Cf. *Reinhardi diſſ. de offic. imp. Saxonicis* ſect. II §. XV, p. 140 ſqq.

„ berga ad Gelnhusam, inde ad Miltenbergam Mœno vicinam, „ hinc ad Dunckelsbohel, a Dunckelsbohel ad Enzam fluvium, „ ab Enza ad Murgam fluvium, a Murga ad litus Rheni, e re- „ gione Suræ ad Rhenum.„ Qui hosce clientelæ Palatinæ fines cum illis, quibus Franciam Rhenanam supra disterminare conati sumus, diligenter conferre velit, næ is delectabitur intelligendo, quam bene utraque terminatio conspiret, atque altera alteram illustret. Conspirat porro non modo cum ea, sed notitiam quoque finium, quibus Francia Rhenana a Franconia sive Francia orientali distincta fuit, inde a Miltenberga ad Dinckelsbohelam usque, egregie supplet terminatio clientelæ fabrorum ahenariorum, quam a Palatinis Rheni beneficii loco habent Zobelii de Gibelstatt per Franconiam (*f*), quamve comites Hohenloici eidem adfinem habuere (*g*). Cum enim Staufenses principes ducatum Franconiæ etiam ante, quam Franciæ Rhenanæ hereditatem adiissent, liberalitate regia nacti essent, intelligitur, qua ratione Conradi, Palatini ad Rhenum, successores etiam clientelam fabrorum ahenariorum in Franconia, extincta familia Staufensi, adepti sint. Cum pariter supra ostenderimus, ducatum Alsatiæ sub Conrado IV juniore Wormatiensi, Francorum duce, cum ducatu Franciæ Rhenanæ conjunctum fuisse, atque dein utramque provinciam

Nnn ad

(*f*) Quos de Zobeliorum privilegio laudavit auctores *Hertlingius* l. c. p. 48, ii tantum generatim, nec distincte de eo loquuntur. Clarissimo autem *Kremero*, historiographo Palatino, mihi amicissimo, curatiorem ejus debeo notitiam, ex privilegio Ludovici Barbati electoris an. 1410 repetitam. En ambitum terminalem protectionis fabrorum Franconicæ: „ A Miltenberga ad Gelhusam, hinc ad Bruckenoviam, inde ad Bischofshemium, inde Fladungam, tum Meinungam, Slussingam, Austeltam, „ Seslachium, Ebern, Eltmann, Ebracum, Slusselfeldam, Windshe- „ mium, ponticulum Osthemensem, inde ad Dunckelsbuhel, inde ad „ Heylpronnam, inde ad Mosbacum, tandem a Mosbaco ad Miltenber- „ gam. „

(*g*) Fines hujus districtus exposuit *Hanselmannus* l. c. unde eos excerpsit *Buderus* l. c. p. 42 sq.

ad Staufenſes tranſiiſſe, fortaſſis etiam ratio manifeſta eſt, ob quam Palatini comites noſtri in Alſatia & Brisgovia clientelam fabrorum cuprariorum habuerint, equeſtri familiæ de Rathſamhauſen in ſubſeudum conceſſam (*h*).

§. LII.

Præmonenda de comitatu palatii Rhenano

Supra probavimus (*i*) ſummam palatii comitivam ſeculo IX exeunte jam in gente illuſtriſſima Salicorum Vederovienſium Haſſorumve conſpicuam eſſe. Gebhardus certe, comes Vederoviæ ſeu Franciæ antiquæ clariſſimus, munere comitis palatii functus eſt; atque ejus fratruelis Eberhardus, Francorum dux, etiam comitis potentiſſimi Franciæ titulo ornatur, qui quidem plenius cognoſcitur ex eo, quod eundem ſcriptores boni (*k*) comitem palatii appellent. Neque dubium eſt, quin ejus ſucceſſores, Francorum duces, ex familia Wormatienſi, quemadmodum in exercitu, ſic in Palatinis placitis primas tenuerint. Præter ipſos enim haud extitiſſe in Francia Rhenana, qui ad hunc palatii principatum aſpirare auderent, facile mihi quisque dabit, cum præſertim & ipſi comitatus majores Franciæ tenuerint, & ceteros comitibus minoribus beneficii loco conceſſerint, quod infra

(*h*) Paucis eam attigit vir immortalis, *Schoepflinus*, in *Alſat. illuſtr.* T. II, p. 713, §. 584, ubi Johannem de Rathſamhuſen feudum ahenariorum an. 1361 primum acquiſiviſſe docet. Docuit autem me laudatus Kremerus, in literis feudalibus a Ruperto cæſare an. 1399 Ludelmanno Rathſamhuſio datis fines ejus brevibus ſic deſcriptos legi, ut ſilva Hagenoenſi, verſus ſeptentrionem, & verſus auſtrum Hauenſteinio ſive Petra Pertuſa ſupra Baſileam, ab occidente Vogeſi, ab oriente Silvæ Nigræ dorſo terminentur. Atque iidem fines fuere ducatus Alſatiæ veteris, cf. *Schoepflinus* l. c. tom. I, p. 631, §. xxi.

(*i*) Vid. §. XXVII, p. 401.

(*k*) *Sigebertus Gemblac.* ad an. 938, *Albericus* ad eundem annum p. 275. Unde Aventinus Eberhardum ſubinde vocat præfectum prætorio Francorum.

fra exemplis comprobabimus. Atque nescio an ipsum illud seneschalli supremi officium, quatenus in aula versabatur, ad unam regiæ mensæ præposituram referenda sit, cum sciamus, etiam appellationem illius Germanicam, *Truchses* sive *Drotset* sæpius, imo primitus adhibitam esse ad præposituram palatii sive tribunalis designandam (*l*).

Sed quid opus est verborum testimoniis, cum tot rerum documenta adsint, quibus duci Francorum, ejusque heredi, comiti Palatino Rheni, summum judicis imperii officium vindicari queat. Ante vero quam ea enumeremus, præmonendum censemus, quod ad rem cognoscendam pertineat atque sententiæ nostræ iniquam interpretationem cavere possit. Scilicet ipsi sæpius jam observavimus, duces nostros, quos judicio principum sive curia regali ceu proximos a rege præsidere decebat, ob honorem locumtenentis regii, quem simul sustinebant, sæpius ad exteras provincias tuendas, bellaque gerenda cum potestate ducis ablegatos, adeoque a curia regali absentes fuisse; quo factum est, ut cæsares illorum vices aliis, vel filiis, iisque regni heredibus, vel probatissimo cuique inter principes, quin comiti Palatino Francorum Aquisgranensi, ubi placita celebrabantur regia, mandarent (*m*). Atque cum ducatus Francorum post obitum Conradi Wormatiensis ad regem Henricum III hereditate venisset, necesse videbatur, alios subinde provinciæ comitis palatii vacuæ alligare. Unde haud improbabile est, Henricum de Lacu, comitem Palatinum Ripuariorum, etiam partes præsidis curiæ

 impe-

(*l*) Celeb. *Eccardus* in *comment. crit. in catechef. Theotisc.* p. 130 dilucidius originem vocabuli *Drotset* ita explicavit, ut idem sit ac dominicus præpositus; quam derivationem licet ill. *Buri* in illustratione juris feudalis ad *Schilterum* p. 275 voce *dapifer* comprobare nolit, suo tamen suffragio confirmat vir summi nominis, *Koelerus* in *notitia historica de officiis hereditariis provinciarum Brunsvico Luneb.* §. XX, p. 52 sq.

(*m*) Cf. quæ diximus in serie illustrata comitum Palatinorum p. 66 sq. ac novissime in præf. ad historiam Godfridi Calwensis p. 174.

imperialis ſive comitis Francorum Rhenanorum adminiſtraſſe, atque inde cognomen *Rheni* titulo adjunxiſſe. Neque ſimilem honorem Sigefrido ejus privigno heredi, qui ſe comitem Palatinum Francorum appellavit, adſcribere dubitamus. Verum quum is cæſari rebellis cecidiſſet, haud equidem filiolo Wilhelmo comitatus Ripuariorum Palatinus hereditarius ereptus videtur, ſed Godfrido Calwenſi comiti mandata eſt provincia Francica, quippe penes quem curiæ imperialis præſidium fuiſſe, diſerte teſtatur chronographus Laureshamenſis (*n*). Sic vero officium comitis palatii a ducatu Francorum militari, qui in Staufenſibus principibus reſtitutus fuit, aliquamdiu abſtractus eſt arbitrio regum, usque quo tandem poſt Salicorum cæſarum extinctionem, Lothario II regnante, Conradus Staufenſis, Francorum dux, munus comitis palatii ſive præſidis curiæ imperialis denuo ſibi vindicavit. Atque hujus ex fratre nepos, Conradus comes Palatinus, ſummæ poſt imperatorem amplitudinis vir dici non meruiſſet, niſi is cum comitatu Palatino Aquisgranenſi ſupremam comitis Palatini dignitatem olim ducum propriam conjunxiſſet, a qua heredes ejus merito ſcriptori vetuſto dicuntur magni comites Palatini de Rheno. Quantumvis autem reipublicæ Germanicæ, maxime judiciariæ, forma pedetentim ac noviſſime conſtituto a Friderico II cæſare judice aulico, quem recte vicarium comitem palatii dixeris, mutata fuerit, ſuperſtes tamen manſit dignitas ſuprema comitis palatii, quam illuſtrioribus juribus ac prærogativis etiamnum eminentem habet comes Palatinus Rheni, quod brevibus jam declarabimus.

§. LIII.

Jura ad comitatum palatii referenda

In deducendis vero juribus ex ſuprema palatii comitiva, ducum Franciæ Rhenanæ propria, ordinem ſequemur, quo munus comitis Palatini generatim deſcripſimus, ejusque functiones diſpo-

(*n*) Vide comm. de Godfrido Calwenſi §. 13, p. 205-209.

diſpoſuimus in commentatione de origine Palatinatuum provincialium (*o*). Scilicet comes Palatinus omnis primum erat *Palatinus judex* in provincia, ſive regius judex omnium, qui a ducnm comitumve poteſtate judiciaria exemti, regioque tantum juri devincti erant, inque cauſis, quas reges ſibi reſervaverant; deinde vicarius ſive *Sculdaſius* ſummus duci in placitis provincialibus aſſidens, ejusque abſentis locum tenens; tum advocatus generalis bannum regalem ſive ſanguinis exercens; tandem ſummus fiſci regii per provinciam totam procurator. Qua vero poteſtate quadripartita comites Palatini in provinciis ducalibus prædití erant, eadem comites palatii ſive duces Francorum in provincia regali eminuiſſe nemo dubitaverit. Quin duces Francorum ſive comites palatii primarii majorem etiam in modum jura iſta habuiſſe, quam comites Palatinos, qui illius imaginem in provinciis ceteris repræſentabant, facile eſt intellectu. Quum enim duces noſtri provinciæ, regibus tanquam ducibus Francorum ſummis addictæ, cum poteſtate Palatina præeſſent, atque curiæ regalis præſides haberentur ſummi, non ſolum Francorum populi victoris ac primarii, ſed univerſi etiam regni judices ſupremi olim fuere.

§. LIV.

Judicia provincialia

Primum igitur dux Francorum Rhenenſium judex Palatinus ipſorum erat. Hinc dubio procul iſti ſive duces ſive comites Palatii a ſeculo X tenuere comitatus ſeu judicia provincialia in pagis Franciæ Rhenanæ, Spirenſi, Wormatienſi, Navenſi, Longavia inferiori, Nidenſi, Vederovia, Craichgovia & Elſenzgovia, ceteriſque, quos vaſallis ſuis beneficiario nomine conceſſerunt, quemadmodum jam ſupra in ſerie hiſtorica ducum Franciæ Rhenanæ probavimus. Neque vero obſcuritas vetuſta-

(*o*) In commentariis academiæ elect. Boicæ vol. IV.

tis amica, sterilitas scriptorum, qui res scitu digniores memoriæ traderent, atque etiam monumentorum seu chartarum veterum disturbatio, denique inscitia, quæ etiamnum antiquitatis reliquias delitescere jubet, haud, inquam, ea cuncta patiuntur, ut frequentiora vestigia potestatis judiciariæ ducum nostrorum in ceteris Franciæ Rhenanæ pagis demonstremus. Relinquamus igitur ætati futuræ spicilegii largioris fructum. Nullam vero causam, præter istam Palatii comitivam, subesse facile nobiscum arbitrabuntur lectores in eo, quod plerique comitatus Franciæ Rhenanæ a Palatinis Rheni comitibus dati olim sint beneficio. Simili certe ratione comitatus Ripuariorum plerique cum plurimis advocatiis pertinuerant ad comites Palatinos Aquisgranenses, ab iisque ad alios beneficiaria lege venerunt (*p*). Cum uberior hujus loci tractatio materiam peculiari libello possit præbere amplissimam, nonnisi breviter comitatus illos clientelæ Palatinæ percurrere licet, neque tamen minus sperare, hoc satis fore ad origines illorum ad comitivam Palatii, quam habuere duces Francorum, referendas. In agro Wormatiensi comites Liningenses antiquitus judicium provinciale seu comeciam cum jure conducendi a Palatinis Rheni comitibus habuere (*q*). Atque in

(*p*) Cf. seriem illustratam com. Pal. Aquisgran. p. 26 sq. & genealogiam adjunctam sub Hermanno I, & literas Wilhelmi Juliacensis reversales an. 1230 in *Tolneri cod. dipl.* n. LXXXII, p. 69.

(*q*) In literis maxime reversalibus comitum Liningensium, quales deductioni & demonstrationi juris Lininga-Dachsburgici in landgravii Hessonis hereditatem inter probationes n. 6 & 8 subjunctæ leguntur, feudum Palatinum antiquum esse dicitur comecia Liningensis cum tribus judiciis provincialibus, quæ a mallis antiquioribus appellantur 1) in Stahelbohel, inter Wormatiam & Spiram, 2) in Kaldenberg, ad Primiam fluvium prope Wachenhemium, 3) ad Stolen sive in Stamp, inter Stausam castrum & Alsingebornam villam. Ab hisce autem judiciis diversam comeciam Liningensem, atque hujus sedem Ogershemium fuisse, pluribus docetur in historia successionis Liningensis ab an. 1237 ad an. 1506 deducta & probationibus amplissimis munita, quæ prodiit an. 1749, vide

in eodem pago comeciam peculiarem seu judicium Pfeffingen prope Durckhemium ab iisdem principibus olim tenuerunt comites Westrasiani de Hohenburg (*r*). Pari ratione landgraviatus sive comecia Wildgraviorum, quæ ad pagum Navensem relata, atque a quatuor mallis, quos judicium provinciale perambulare solebat, quadripartita nobis videtur, antiquum est comitum Palatinorum Rheni beneficium (*s*), æque & officium mareschalli terræ Palatinæ hereditarium. Veldentini autem comites, cum Wildgraviis communi stirpe veterum comitum pagi Navensis

vide probat. xxIII, & cf. chartam venditionis oppidi Agersheim an. 1323 factæ, quam historiæ Rudolfi I Palatini & Ludovici cæsaris adjecimus in comm. acad. Boicæ vol. III p. 126 &c. n. x; unde colligere licet, judicium provinciale Liningense universum quadripartitum a quatuor mallis, ubi id agebatur, extitisse.

(*r*) Vide sententiam parium curiæ Palatinæ an. 1389 latam de comecia Pfeffingen in scripto eristico, quod exceptiones comitum Liningensium Westerburgicorum in causa hereditatis ab Hessone landgravio relictæ exhibet, probatt. n. 13, p. 16. Ultimo autem comite Hohenburgensi, Johanne, absque heredibus masculis circa annum 1440 defuncto comecia Pfeffingen rediit ad Ludovicum, electorem Palatinum. Pendebant ab hac comecia curtes Schonenberg & Quidersbach cum hominibus S. Pirminii, quas cum variis decimis in istis aliisque locis, ceterisque juribus ab Hohenburgensibus comitibus in subfeudum habuere dynastæ Dunenses, domini de Oberstein.

(*s*) Cf. quæ ex tabulis veteribus eam in rem observavimus in comm. de comitibus Veldentinis, §. IV, not. (b) in *actis acad. Pal.* vol. II, p. 253; ubi distinctam cognoscas comeciam Flanheim a ceteris judiciis majoribus eidem conjunctis, in Rhunen, in Syende. Obscurius vero est, quæ fuerit quarta sedes judicii provincialis. Nescio enim, qua ratione cum monumentis beneficii Palatini certissimis conciliari queant literæ feudales, quibus Ludovicus Bavarus cæsar an. 1318 Johanni wildgravio Dunensi comeciam provincialem inter Moguntiam & Treviros sitam, sigillatim judicium in Spizheim an der Locher, tanquam feudum imperii confert, in *Lunigii archiv. imp.* spicil. sæcul. P. II, p. 1919. Ceterum inter judicia majora comitum Silvestrium etiam extitisse Offenbacense, colligi queat ex notitia, quam ill. Kremerus in historia gentis wild- & Rhingravicæ p. 21 not. 4 communicavit.

venſis orti, a Palatino comite habebant comeciam caſtro Lichtenberg conjunctam cum terra S. Remigii, binisque curtibus Boſenbaco & Nerzvilla cet. (*t*). In eodem pago Navenſi comites Sponhemii a Palatinis comitibus lege beneficiaria tenebant bannum ferinum ſive jurisdictionem foreſtalem in ſilva Sane cum ceteris juribus locisque. (*u*).

Alia autem ratio fuit pagi Spirenſis, cujus comitatum, æque & advocatiam eccleſiæ majoris Spirenſis, uti familia Salica Spirenſis, eaque cæſarea, atque hac exſtincta Staufenſes principes, pariter regnum adepti, ſibi retinuerant, ita illum per ſuos comites ac procuratores adminiſtrandum curarunt; unde factum, ut cum Staufenſis familia regno excidiſſet, inde ab interregno reges Spirgoviæ præficerent advocatos provinciales, qui quicquid regii juris in illa ſupererat, procurarent. Verum frequentibus bonorum imperii alienationibus atque oppignerationibus terrarum & jurium in Spirgovia imperialium, a Ludovico Bavaro & Carolo IV cæſaribus in gratiam Palatinorum comitum factis, advocatia iſta ſenſim debilitata, tandem extincta inque jus Palatinum converſa eſt (*x*).

Veniamus jam ad pagos transrhenanos, eorumque comitatus. Atque ſic prætermiſſo pago Rhingaviæ inferioris, qui cum juris olim eſſet Moguntini, comitibus Rheni paruit tanquam miniſterialibus Moguntinis (*y*), occurrit primum Einrichia ſive

(*t*) Vid. comm. de comit. Veldent. §. VIII, p. 263.

(*u*) Literæ feudales loquuntur præterea piſcationem fluminis Navæ, quartam partem oppidi Kirchberg, villasque Süffersheim & Leubersheim.

(*x*) Cf. ill. *Schoepflini Alſatiam illuſtr.* T. II, p. 607 ſq.

(*y*) Uti vel ex eo patet, quod comites Rheni frequentius in tabulis occurrant inter miniſteriales, atque titulo vicedomini nonnunquam ornentur. Quamvis autem comeciam Rhingaviæ haberent a Moguntina eccleſia, bannum tamen recipiebant a rege, Cof. jura ſucceſſ. illuſtriſſ. Lœwenhauptiorum in dynaſtiam Bretzenheim an. 1745 adj. num. I, & vide Embrichonem ringravium ac vicedominum in *Joannis ſcriptt. Mog.* T. II, p. 688, 760 &c.

ſive pagus ſive provincia, cujus comitatum a Ludovico, ultimo comite Arnſteinenſi, reſignatum conſobrino & heredi ſuo Reimboldo domino de Iſenburg, atque ab hoc comitibus Naſſoviis & Catimelibocenſibus venditum (*z*), a comite Palatii ſive duce Francorum pependiſſe ex eo colligimus, quod comecia iſta provincialis pagi Einrich, quæ cum inter Naſſoviorum & Catimelibocenſium comitum familias communis eſſet, a quatuor condominis dici cœpit judicium quatuorvirale (*Vierherrengericht*) uti olim, ita etiamnum beneficio Palatini comitis ad Rhenum accepta feratur (*a*). Comitatus vero Sainenſem & Wedanum, quem utrumque pago Engers comprehenſum videmus, clientelæ Palatinæ fuiſſe nemo ignorat (*b*). Comitatum Heyger ſeu jurisdictionem pagi minoris Heyger, cum judicio Ebersbach & advocatia Selbach a Palatinis noſtris habebant antiquitus Molſpergii dynaſtæ in Longavia, quoad eum pari lege acceperunt Naſſovii comites (*c*). Sic & comitatus Solmenſis, quem ex comitatu Ardgoviæ, pagi minoris ad Longaviam inferiorem referendi, ortum eſſe credimus, beneficiaria lege a Palatinis comitibus pendet (*d*).

Ooo De

(*z*) Teſte biographo vetere Ludovici Arnſteinenſis in *Honthemii prodr. hiſt. Trevir.* P. II, p. 711.

(*a*) Cf. illuſtris quondam *Reinhardi* comm. hiſtor. jurid. vol. II, diſſ. 12, p. 274, celeb. *Eſtoris origg. jur. publ. Haſſ.* Lib. I, cap. VIII, in *elect. jur. publ. Haſſ.* p. 70, & *Tolneri hiſt. Pal.* p. 38, n. 6.

(*b*) De comitatu Sainenſi vide *Freheri origg. Pal.* P. II, p. 27 ſq. & ſolidam informationem de indole comitatus Sainenſis an. 1745 editam, cap. III, p. 10 ſqq. Wedanum vero comitatum fuiſſe beneficiarium, pariter ex literis feudalibus, quales & mihi ad manus ſunt, jam obſervavit *Freherus* l. c.

(*c*) Cf. *Tolneri hiſt. Pal.* p. 38, n. 3-7. Laudatas vero ibi tabulas ex tabulario Dillenburgenſi liberaliſſime mecum communicavit vir perill. ab *Erath*, ex quibus venditor fuit Gyſo de Molleſperg cum filiis Johanne & Gyſone.

(*d*) Vid. *Freherum* l. c. & cf. deductionem Palatinam, quæ in cauſa Wedana prodiit Heidelbergæ 1661.

De comitatu veteri Nuringensi (*e*), qui Vederoviam & fortasse Nidegoviam primitus perambulavit (*f*), probe vero ab advocatia imperiali Vederoviæ distingui debet (*g*), supersunt literæ clientares seculi XIII, quæ illum olim Palatino juri alligatum fuisse significent. Scilicet istam comeciam provincialem ab Ottonis de Hammerstein, comitis Vederoviæ, ultimi ex familia Salica Vederoviensi, obitu, qui an. MXXXVI accidit, ducatui, credo, Francorum adjunctam, acceperunt primum comites dicti a castro suo vel mallo Nuringen in Nidegovia; dein his extinctis circa an. MCLXX Minzenbergii dynastæ, iique simul advocati & procuratores foresti regii Drieich, occuparunt (*h*); tandem post hujus gentis interitum inter heredes Minzenbergiorum dynastæ Falkensteinii obtinuere sec. XIII. In Nidgovia porro Palatinos comites verebantur dominos suos Homburgi montani possessores (*i*) quem-

(*e*) Disputarunt de indole hujus comitatus duumviri, de re historica optime meriti, *J. A. Bernhard* & *Ph. Guil. Flad.* Cum enim ille in *antiqq. Wetteraviae* Lib. II, cap. VI comeciam Wetteraviæ Nuringensem declaraturus, documenta juris Palatini in suspicionem vocasset, hic vindicias ejus an. 1747 edidit, quæ illum denuo provocarunt ad diligentiorem comeciæ Wetteraviensis illustrationem, anno insequenti excusam. Quamvis autem doct. Bernhardus emendatiorem ejus plenioremque notitiam suppeditaverit, haud tamen satis bene pugnasse censendus est, qui Vederoviensem comitiam cum advocatia generali Vederoviæ in unum miscuerit, atque sic rem omnem implicaverit magis quam explicaverit.

(*f*) Ipsa scilicet Nuringa, olim in monte posita, ubi dein castrum novum Falkenstein ex adverso Kœnigsteinii erectum fuit, in Nidgovia reperitur.

(*g*) Similiter in Alsatia comitatus provincialis diversissimus fuit ab advocatia provinciali sive generali. Officium quidem advocati solummodo pendebat a rege, & referebatur ad urbes, ceteraque loca juris regii; comes vero jus dicebat civibus liberis, per totum pagum, munusque suum ab alio potentiore habere poterat. Unde alios habuisse advocatiam, alios hereditariam comeciam, series advocatorum Wetteraviensium docere potest. Sed hoc alibi disputabimus.

(*h*) Cf. excell. *Buri* deductio de prærogativis veterum forestorum regiorum sect. I.

(*i*) Cf. *Tolneri hist. Pal.* p. 102.

quemadmodum in Vederovia castrum Bracht eorundem fuit beneficium (*k*).

Wildenstein castrum cum villis & judiciis eo pertinentibus ad Speshartum silvam in Moingovia habuere olim a Palatinis Rieneccii comites, atque his extinctis comites de Erbach. Comitatus Erbacensis in Plumgovia, Moingoviæ parte, pincernatu hereditario terræ Palatinæ Rhenanæ conjunctus, inter feuda Palatina illustris maxime est (*l*). Tale etiam in Moingovia fuit comitatus castri Lichtenberg (*m*), ut cetera taceam.

Rhenensis superioris æque & Lobodunensis pagorum comitatus primum erant regii, usque quo illius comitatum, dictum Bessingen, Wirceburgensi ecclesiæ, hunc vero Wormatiensi contulit Henricus Sanctus imperator. Illum quidem Wirceburgenses episcopi largiti sunt comitibus Catimelibocensibus, Palatina stirpe oriundi, hunc vero, quem cum comecia Stahelbohel eundem esse existimant eruditi (*n*), cum castro burgoque Heidelberg duces nostri Palatini, iique advocati ecclesiæ Wormatiensis supremi, tanquam beneficium Wormatiense recognoverunt.

Consolidarunt iidem in Elsenzgovia comitatum Dilsperg, extinctis comitibus de Dilsperg, qui illum ex hereditate Laufensi consecuti erant (*o*). Craichgoviam sec. X & sequenti admini-

 stra-

(*k*) Quod comites Wilnavii cum dynastis de Liesberg, dein Rodensteiniis habuerunt.

(*l*) Non est, quod eam in rem pluribus adducamus *Schneideri* historiam Erbacensem.

(*m*) Feudum Catimelibocense, a quo etiam Dietherus comes an. 1228 cognomen sumsit *comitis de Lichtenberg*; cf. *Gudeni sylloge diplomat.* cod. Schonaug. n. LXVII, p. 155 & 157.

(*n*) Cf. *Freheri origg. Pal.* P. I, cap. x, p. 82. Stalbuhel vero nomen est commune, clivum denotans, cujusmoda loca olim malli erant. Inde etiam comecia Liningensis dicebatur in Stahelbuhel.

(*o*) Cf. *Tolnerum* p. 83.

ſtrarunt comites ducum vaſalli, quorum ultimus Zeiſolfus cum ſuperſtites non habuiſſet filios, ceſſit Craichgoviæ præfectura ſeu comitatus Bretheim comitibus, qui de caſtro Laufen in Neckergovia inferiori appellati ſunt (*p*). In Salzgovia & Pfunzgovia caſtra Graben & Stein accepta debebantur Palatinis (*q*). Atque comitatus Eberſtein in Ufgovia neſcio an ad clientelam Palatinam relatus olim fuerit (*r*).

Sed ſatis ſint exemplorum, quæ doceant, comitatus fere omnes Franciæ Rhenanæ, ſi ab iis diſceſſeris, quos vel a regibus ipſis (*s*), vel ab eccleſiis habebant pauciores, beneficiarios fuiſſe acceptosque Palatinis Rheni, heredibus ducum. Unde vero hos tot comitatibus auctos exiſtimes, niſi quod comitatum Palatii tenerent. Pari certe ratione comites Palatini Ripuariorum antiquitus tenuerant comitatus pagorum Aquisgranenſis, Tolbiacenſis, Colonienſis, Bunnenſis, Eifliæ, Ruricgaviæ cet. Atque ex eodem illo fonte facile credo derivare liceat jurisdictionem Palatinam in vaſallos, quamvis immediatos. Sed modum tandem facimus huic capiti.

§. LV.

(*p*) De his alibi agimus. Hodienum Palatinorum jus ſupremum in Craichgovia teſtatur receſſus, quem vocant, centenaicus; de quo vide *Franciſci Alef gemmam juris Palatini* a Ferd. Joſ. Wreden diſſertationis loco propugnatam an. 1740.

(*q*) Conſulatur index *hiſtoriae Zaringo-Badenſis Schoepflinianae* ſub vocibus *Graben* & *Stein.*

(*r*) Cf. ſolidam informationem de indole comitatus Sainenſis Germanice editam, in cujus adjunctis n. 8, p. 7 leguntur literæ clientelares Palatinæ an. 1327 datæ, quibus Joannes Sainenſis inveſtitur quatuor comitatibus *Solms, Virnberg, Bilſtein et Eberſtein.* Johannes nimirum ille pronepos erat Johannis comitis de Sponheim & Sayn, qui poſt obitum fratris uterini Eberhardi de Sayn, dicti de Eberſtein, jus, credo, hereditarium in comitatum Eberſtein ad poſteros propagaverat.

(*s*) Tales fuere Decienſis in Longavia, Lœwenſteinenſis in Murrergoia, ceteri.

§. LV.

Dux Francorum tanquam comes Palatii aſſidebat regi, qui ſupremus regni judex erat, quippe cum conſtet, id moris antiqui fuiſſe, ut nullus judex ſuperior, ſive rex, ſive dux, ſive comes, in celebrandis placitis ſeu judiciis non haberet a latere legatum ſeu quæſtorem ſuum, quem ſcaldaſium majores noſtri vocare conſueverunt; atque ſi quis cauſſam haberet adverſus ipſum judicem, hæc coram ſculdaſio ventilanda eſſet (*t*). Facile autem quivis intelliget, officium hoc ſculdaſii regii generalis graviſſimum proprium eſſe debuiſſe proprincipis Francorum, ejusdemque comitis palatii. Novimus quidem, ſæpius filios regum, aliosve proceres, ſive ſacros ſive civiles, vices judicis in placitis regiis obiviſſe, quoties dux Francorum vel abſens erat, vel cæſarum filiis, regibus deſignatis ſive in conſortium imperii aſſumtis, cedere debebat, vel alia quævis cauſa obſtare videbatur. Neque vero ſic ipſa tollitur regula, quæ uti veteri reipublicæ eique liberæ aptiſſima videtur, ita fons exſtitit judicii illius, quod aurea bulla Palatino Rheni in ipſum cæſarem tribuit. Neque certe facile ullus antiquitatis patriæ peritus probaverit illuſtris quondam Senkenbergii, neſcio quam docte gratiam captaturi, juveniles ſive aſſentationes ſive calumnias, quibus judicium in cæſarem Palatinum, refragante veteris reipublicæ formula, ipſaque lege fundamentali, ut ſpecula taceam, obloquentibus veterum ſcriptorum teſtimoniis exemplisque, quæ hiſtoria usque ad Friderici III cæſaris ætatem ſuppeditat, fabulis annumerare aggreſſus eſt (*u*). Quamvis autem judicium iſtud quodammodo uſu perie-

Judicii principum ordinarius præſes adeoque etiam judex cæſaris

(*t*) Cf. quæ diximus in comm. de origine Palatinatuum provincialium ſect. II, §. 2 in act. acad. Boicæ vol. IV p. 74 & 78 not. f. & *Senkenbergii fabulam judicii Palatini*, cap. I, §. 3, p. 70.

(*u*) Scriptam a ſe, cum in academia ſtudiis vacaret, diſſertationem paululum dein reviſam primum Francofurti edidit, tum vero cum binis aliis de judicio principum & reçurſu ad comitia denuo publicavit curis ſecundis

perierit ſive obſoleverit, manet tamen veritas ejus hiſtorica, quam cum pluribus adſtruere vetent fines huic commentationi præſcripti, provocare liceat ad viros clariſſimos, qui in illa confirmanda verſati ſunt, Hertlingium, Eſtorem & Olenſchlagerum (x).

§. LVI.

Vicarius abſentis cæſaris ſeu regis &c.

Eidem huic ducis Francorum ſive comitis Palatii perſonæ, quæ locum tenentem ſeu vicarium regis repræſentabat, apta mihi videtur prærogativa vicarii imperii, abſentibus & imperatoribus & regibus deſignatis, quæ poſtquam ad Palatinos Rheni comites ſeculo XII cum ceteris juribus, ducatui Francorum olim conjunctis, propagata eſſet, atque rarius cæſari vivo adjungeretur rex, frequentius a Palatinis noſtris exerceri ſolita, literis Ruperti regis an. MCCCCI datis, quibus Ludovicum filium ſui abſentis vicarium eſſe jubet, egregie declarata & confirmata eſt (y). Atque ex eodem capite facile vindicari licet jus tutelæ legitimæ in reges minores annis (z). Denique huc referri debet Palatini

dis auctam 1745. Ipſe autem in præfatione nova p. 65 confitetur, longe ab eo diſſenſiſſe viros ſummos Ludewigium, Struvium, Heineccium, Wenkerum, Frid. Eſaiam de Puſendorff; quibus addimus virum rerum patriarum peritiſſimum, J. D. Kœlerum, qui quoties in ſcholis hiſtoriæ J. R. G. Alberti I cæſaris lites de vectigalibus obmotas electoribus Rhenanis enarraret, indignabatur, veritatem judicii Palatini Senkenbergii calumniis vanitatis accuſari.

(x) Vide illum in *diſſ. de regalibus Palatinis* §. V, iſtum in libello de judicio principum &c. 1757 edito, cujus tota ſectio III vindicias judicii Palatini in cæſarem continet p. 100 - 112; hunc in nova A. B. illuſtratione §. XLIII, p. 154 ſq. qui in explicando hoc argumento ita verſatur, ut non appareat, quare tandem Senkenbergio aſſentiri velle videatur.

(y) Quas vide in *Freheri* notis ad *Petrum* de *Andlo in repraeſ. reip. Germ.* an. 1657 Noribergæ edita p. 200 ſqq.

(z) Cujus exemplum ſupra adduximus §. XXVIII, p. 403.

tini jus in electione dubia definiendi (*a*), factamque rite electionem proclamandi (*b*).

§. LVII.

Ex eo tandem, quod comes palatii habendus est sculdasius regis, intelligitur potestas ordinaria, quam Palatinus Rheni olim habet de banno sanguinis investiendo, cum Saxonum dux in suo districtu similem potestatem nonnisi ex delegatione regia habere debuerit (*c*); intelligitur porro potestas sæviendi singularis in latrones per universam Franciam Rhenanam, bannusque viarum publicarum sive regiarum, qui hodie jure conducendi comprehendi solet, atque Palatinis Rheni etiam extra terras suas per comitatum superiorem Catimelibocensem, Francofurtum usque, itemque per Badense territorium usque ad Pforzhemium proprius est (*d*). Mitto jam Rheni fluminis custodiam, cetera, quæ hic attingere non opus est.

Potestatem habens ordinariam de banno investiendo, bannumque viarum publicarum

§. LVIII.

Tandem comites Palatii nostros supremos fuisse fisci regii procuratores, atque ex eodem beneficia sua habuisse, dubium esse nequit recordantibus ea, quæ supra de Conrado Sapiente ejusque filio Ottone, Francorum ducibus, horumque potestate, in Spiram maxime & Wormatiam civitates, disputavimus (*e*). Habebant nimirum in illis præter sua prædia monetam, teloneum, multam pecuniariam, decimasque. Quum Otto III cæsar an. MCCCCXCVI ecclesiæ Moguntinæ forestum quoddam ad Rhenum

Procurator fisci regii per Franciam Rhenanam summus

